UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est, Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V. Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

urn:nbn:de:hbz:466:1-63462

Visual Library

M. 1. 38.

Th. 4839.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CANDIDATUS ABBREVIATUS JURISPRUDENTIÆ SACRÆ.

HOC EST,

JURIS CANONICI, SECUNDUM GREGORII PAPÆ IX. LIBROS V. DECRETALIUM EXPLANATI SUMMA,

SEU

COMPENDIUM,

Quod

In Usum maximè Discipulorum ex libris suis collegit Auctor ipse, nimirum

R.P. VITUS PICHLER,

Soc. JESU, SS. Theologiæ & SS. Canonum Doctor, horúmque olim in Dilingana Academia, nunc verò in Electorali Ingolstadiana Universitate Professor Ordinarius, & Juris Primarius.

Collegii S.J. Paderb. 1766

PARS POSTERIOR.

EDITIO SECUNDA.

Cum Facultate Superiorum.

Augustæ Vindel.

Sumptibus Hæredum Martini Happach & Consort.

Anno M DCC XXXIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Approbatio Theologicæ Facultatis.

PArs hæc posterior *Canditati Abbreviati Jurisprudentiæ Sacræ* non minùs, quàm universa Opera præcedentia Auctoris hujus clarissimi, ad omnem Orthodoxæ Fidei ac Legum normam est exactissima: Doctrinam enim solidissimam probatissimámque summa utilitate ita Praxi accommodat, ut immensam rerum tractandarum congeriem clarissimâ simul brevitate contineat, maximâ ingenii perspicaciâ dilucidet, summâ eruditione, & singulari prudentiâ tractet, & Orbi dudum avidissimo amœnissimè propinet: Unde Opus Auctori suo summopere glorioſum, literati Orbis exspectationi apprimè consonum, luce publicâ, & omnium lectione digniſsimum censeo. 24. Jun. 1731.

FRANCISCUS HALDEN S. J. SS. Theol. Doct. & Prof. Ord. S. Facultatis p. t. Decanus.

Approbatio Juridicæ Facultatis.

TOta Juris Canonici Medulla, in duas partes æquè maximâ induſtriâ, ac gratiſſima concinnitate redacta, ad Juris Studioſorum guſtum, atque utilitatem, ſolidiſſimè proponitur. Digniſſima proin eſt, ut ad perennem celeberrimi Authoris famam publicæ luci committatur. Ita cenſeo. 25. Junij 1731.

JOANNES FRANCISCUS de Haibe, J. U. Doctor, Sereniſſimi Electoris Bavariæ Conſiliarius Actualis, Inſt. Imper. & Rer. Criminal. Profeſſor Ordinarius, ac p. t. Facultatis Decanus.

Elen-

Elenchus Titulorum.

Ex Libro III.

Titulus XXI. De Pignoribus & aliis Cautionibus. 1

Titulus XXII. De Fidejussoribus. 10

Titulus XXIII. De Solutionibus. 15

Titulus XXIV. De Donationibus. 26

Titulus XXV. De Peculio Clericorum. 32

Titulus XXVI. De Testamentis & ultimis Voluntatibus. 45

Titulus XXVII. De Successionibus ab intestato. 99

Titulus XXVIII. De Sepulturis. 109

Titulus XXIX. De Parochiis, & alienis Parochianis. 118

Titulus XXX. De Decimis, Primitiis, & Oblationibus. 121

Titulus XXXI. De Regularibus & transeuntibus ad Religionem. 148

Titulus XXXII. De Conversione Conjugatorum. 157

Titulus XXXIII. De Converſione Infidelium. 160
Titulus XXXIV. De Voto, & Voti Redemptione. 161
Titulus XXXV. De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium. 172
Titulus XXXVI. De Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ. 176
Titulus XXXVII. De Capellis Monachochorum, & aliorum Religioſorum. 179
Titulus XXXVIII. De Jure Patronatûs. 180
Titulus XXXIX. De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus. 193
Titulus XL. De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris. 198
Titulus XLI. De Celebratione Miſſarum, Sacramento Evchariſtiæ, & Divinis Officiis. 203
Titulus XLII. De Baptismo, & ejus Effectu. 206
Titulus XLIII. De Presbytero non baptizato. 207
Titulus XLIV. De Cuſtodia Evchariſtiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum. 208

Titu-

Titulus XLV. De Reliquiis & Veneratione Sanctorum. 209
Titulus XLVI. De Obſervatione Jejuniorum. 211
Titulus XLVII. De Purificatione poſt Partum. 215
Titulus XLVIII. De Eccleſiis ædificandis vel reparandis. 216
Titulus XLIX. De Immunitate Eccleſiarum, Cœmeterii, & Rerum ad eas pertinentium. 218
Titulus L. Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant. 239

Liber IV.

Titulus I. De Sponſalibus & Matrimonio. 244
Titulus II. De Deſponſatione Impuberum. 312
Titulus III. De clandeſtina Deſponſatione. 317
Titulus IV. De Sponſa Duorum. 338
Titulus V. De Conditionibus appoſitis in Deſponſatione, vel in aliis Contractibus. 351

Titulus VI. Qui Clerici vel Voventes Matrimonium contrahere possunt. 364
Titulus VII. De eo, qui duxit, quam polluit per adulterium. 374
Titulus VIII. De Conjugio Leprosorum. 381
Titulus IX. De Conjugio Servorum. 384
Titulus X. De Natis ex libero Ventre. 387
Titulus XI. De Cognatione Spirituali. 389
Titulus XII. De Cognatione Legali. 396
Titulus XIII. De eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ, vel Sponsæ. 399
Titulus XIV. De Consanguinitate & Affinitate. 406
Titulus XV. De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coëundi. 430
Titulus XVI. De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ. 437
Titulus XVII. Qui Filii sint legitimi. 455
Titulus XVIII. Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari. 467
Titulus XIX. De Divortiis. 470
Titulus XX. De Donationibus inter Virum & Uxorem, & de Dote post Divortium restituenda. 483
Titulus XXI. De Secundis Nuptiis. 491

Li-

Liber V.

Titulus I. de Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus. 497
Titulus II. De Calumniatoribus. 516
Titulus III. De Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur, vel promittatur. 518
Titulus IV. Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias, sub annuo censu concedant. 555
Titulus V. De Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi. 557
Titulus VI. De Judæis, Sarracenis, & eorum Servis. 561
Titulus VII. De Hæreticis. 569
Titulus VIII. De Schismaticis & Ordinatis ab eis. 592
Titulus IX. De Apostatis & Reiterantibus Baptisma. 594
Titulus X. De his, qui filios occiderunt. 596
Titulus XI. De Infantibus, & Languidis Expositis. 598
Titulus XII. De Homicidio voluntario vel casuali. 603
Titulus XIII. De Torneamentis. 624
Titulus XIV. De Clericis pugnantibus in Duello. 625

Titulus XV. De Sagittariis. 635
Titulus XVI. De Adulteriis & Stupro. 636
Titulus XVII. De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum. 657
Titulus XVIII. De Furtis. 661
Titulus XIX. De Usuris. 670
Titulus XX. De Crimine Falsi. 693
Titulus XXI. De Sortilegiis. 696
Titulus XXII. De Collusione detegenda. 700
Titulus XXIII. De Delictis Puerorum. 702
Titulus XXIV. De Clerico Venatore. 704
Titulus XXV. De Clerico Percussore. 714
Titulus XXVI. De Maledicis. 716
Titulus XXVII. De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. 719
Titulus XXVIII. De Clerico non Ordinato ministrante. 721
Titulus XXIX. De Clerico per saltum promoto. 723
Titulus XXX. De eo, qui furtivè Ordinem suscepit. 724
Titulus XXXI. De Excessibus Prælatorum & Subditorum. 725
Titulus XXXII. De Novi Operis Nuntiatione. 728

Titu-

Titulus XXXIII. De Privilegiis & Excessibus Privilegiatorum. 733
Titulus XXXIV. De Purgatione Canonica. 748
Titulus XXXV. De Purgatione Vulgari. 750
Titulus XXXVI. De Injuriis & Damno dato. 754
Titulus XXXVII De Pœnis. 771
Titulus XXXVIII. De Pœnitentiis & Remissionibus. 781
Titulus XXXIX. De Sententia Excommunicationis. 792
Titulus XL. De Verborum Significatione. 817
Titulus XLI. De Regulis Juris. 820

Ami-

Amice Lector.

ANtequam legere incipias hoc Opuſculum, monere te volui, ut priùs corrigas errores typi, qui, licèt multi non ſint, quia tamen in numeris & citationibus propter meam abſentiam irrepſerunt aliqui, te poſſent ſeducere, quod mihi & tibi permoleſtum accideret: ſic autem corrigenda ſunt:

Errata.

pag. 26. lin. 7. pro *6.* leg. *9.*
pag. 70. lin. penult. pro *qui* leg. *quia.*
pag. 154. lin. 11. pro *18.* leg. *19.*
pag. 157. lin. 10. pro *ea* leg. *eam.*
pag. 178. lin. 12. pro *VII.* leg. *VIII.*
pag. 186. lin. 21. pro *5.* leg. *3.*
pag. 296. in titulo pro *diritibus* leg. *dirimentibus.*
pag. 344. lin. antepenult. poſt verbum *ille* reponantur hæc omiſſa, *qui certat de damno, contra eum,*
pag. 459. lin. 5. ante verbum *intermedio* ponantur hæc omiſſa *nativitatis, nec*
pag. 711. lin. 8. pro *fugiſſet* leg. *fugillet.*
In Indice. verbo *pœnalis lex* add. I. & verbo *Vaſallus* pro II. leg. I.

Titu-

TITULUS XXI.

De Pignoribus, & aliis Cautionibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex sit Cautio.*
2. *Quid & quotuplex sit Pignus & Hypotheca.*
3. *Quinam oppignorare possint:*
4. 5. *Et quæ res oppignorari.*
6. *Quo modo constituatur Pignus, vel Hypotheca.*
7. *Quis sit effectus Pignoris, & Hypothecæ.*
8. *Quid & quotuplex sit Actio Pignoratitia & Hypothecaria.*
9. *Quo tempore præscribatur actioni Pignoratitiæ.*

CAutio in genere est securitas, quæ alteri præstatur de solutione debiti, vel alia satisfactione. Si hæc securitas fiat sola promissione, vocatur *Simplex:* si promittatur sub juramento, *Juratoria:* si constituantur fi-

dejusores, *Fidejussoria*, vel *satisdatio*, de qua in *tit. seq.* si denique detur pignus, *Pignoratitia* dicitur, de qua ultima in hoc *titulo*. Fidejussoria & Pignoratitia in Jure veniunt nomine *cautionis idoneæ*.

2 *Pignus* sumitur vel *objectivè* pro ipsa re, quæ datur vel obligatur alteri pro securitate: vel *formaliter* pro conventione vel contractu ipso, quo constituitur pignus, seu res obligatur creditori, qui contractus dicitur esse Juris Gentium & bonæ fidei: vel *effectivè* pro jure reali, quod ex dicto contractu oritur creditori in re oppignorata. *Hypotheca* subin confunditur cum Pignore, licèt presse loquendo distinguantur; nam *Pignus* exigit actualem traditionem rei oppignoratæ: *Hypotheca* autem perficitur nuda conventione, & res solùm obligatur, wird verschriben / creditori sine actuali traditione rei, & possessionis translatione. §. 7. *Inst. de act.* Nihilominus tamen etiam per hypothecam acquiritur jus reale ex Jure Prætorio, à quo originem habet, sicut Pignus à Jure Civili regulatur. Pignus, utì & Hypotheca alia dicitur *Expressa*, quæ expresso contrahentium consensu constituitur: alia autem *Tacita*, quæ constituitur ex dispositione Legis absque ullo alio partium pacto vel contractu: sic Fiscus Principis habet hypothecam tacitam in bonis subditorum in ordine ad tributa: civitas in bonis administratoris: uxor in bonis mariti pro assecuranda dote, & bonis paraphernis: pupilli & minores in bonis tutorum & curatorum: venditor in re vendita respectu emptoris, donec iste de pretio satisfecerit &c. Tam Expressa quàm Tacita vel est *Generalis*, qua vel omnia bo-

bona, nullo excepto, creditori obligantur, consequenter etiam futura, utì & actiones ac jura (nisi quæ Jus specialiter excipit) censentur oppignorata; aut quoddam genus bonorum, v. g. omnium immobilium, omnium mobilium, totus grex ovium &c. vel est *Specialis*, quomodo aliqua res oppignoratur in specie, singularis, & determinata, v. g. hæc domus, hic scyphus aureus. In hypotheca generali afficiuntur etiam res singulæ, ita ut cum onere pignoris transeant ad quemcunque possessorem; at merces venales, & pecuniæ solùm includuntur in genere, non in specie, ne scilicet turbetur commercium humanum, si tales merces vel pecuniæ distraherentur cum onere pignoris, seu jure reali creditoribus competente.

3 Dico 1. Oppinorare possunt omnes & soli, qui libera rerum administratione præditi alienare: pignus verò acciperè, qui contrahere & contrahendô obligari possunt. Pars 1. sumitur ex *l. 11. & 18. §. ult. ff. de Pignorat. act.* quia oppignorare est quoddam alienationis genus, & via ad illam. Pars 2. constat indè, quòd, qui pignus accipiunt, se obligent ad illud custodiendum.

4 Dico 2. Oppignorari possunt omnes & solæ res, quæ sunt in commercio humano, & alienari non prohibitæ, sive sint mobiles sive immobiles, corporales vel incorporales. Sumitur ex *l. 18. cit. & l. 9 §. 1. ff. h. t.* Unde oppignorari nequeunt res pupillares, litigiosæ, fundi dotales, res fideicommisso subjectæ, & feudales sine consensu domini directi, res alienæ sine consensu domini, & ita, ut jus reale transferatur in creditorem, quamvis ei oriatur jus ad rem,

& actio personalis: item res jam uni oppignorata, nisi secundus creditor moneatur, quòd res jam alteri sit obligata. *l. 15. ff. h. t.*

5 Quæres, an Prælatus validè oppignoret, vel hypothécet res Ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosas, sine solennitatibus Juris? R. affirmativè, si constituat pignus vel hypothecam *generalem:* negativè, si *specialem.* Ita distinguit verior sententia cum Abb. & Molin. contra Barb. id desumens ex *c. 5. de reb. Eccl. alien.* ubi Prælatus prohibetur res Ecclesiasticas obligare *titulô specialis hypothecæ:* ergo tacitè videtur Jus concedere hypothecam generalem, præsertim cùm per hanc nihil novi damni in effectu immineat Ecclesiæ, eò quòd independenter ab omni hypotheca jam omnia Ecclesiæ bona obligentur ad solvenda debita creditori, & per hypothecam generalem Prælato necdum concedatur potestas alienandi rem Ecclesiæ determinatam, sed determinari primùm debeat cum consensu Capituli & Superioris; quæ determinatio tamen jam fieret per hypothecam specialem, sine consensu Superioris & Capituli constitutam.

Objic. 1. In *Extrav. Ambitiosa int. comm. eod.* prohibetur omnis alienatio rerum immobilium Ecclesiæ sine solennitatibus, & quidem in specie etiam *hypotheca* absque distinctione inter generalem & specialem. 2. Res immobiles pupilli & minoris nec per hypothecam generalem possunt obligari absque decreto Judicis. per *l. 7. §. 5. ff. de reb. eor. qui sub tut. l. 4. 5. C. de præd. min.* Sed Ecclesia gaudet jure pupilli & minoris: ergo. R. ad 1. prohibetur quidem omnis alienatio.

natio, ac hypotheca in ſpecie, at non omnis, ſed ſolùm, quæ alibi in Jure non obſcurè fuit permiſſa: ſed in *d. c. 5.* haud obſcurè fuit permiſſa hypotheca generalis: igitur, ut evitetur correctio & diſcrepantia Juris, *cit. Extrav.* intelligi debet de hypotheca ſpeciali. Ad 2. *trans. ma. diſt min.* Eccleſia gaudet jure pupilli &c. ubi Jus ſpeciale quid non diſponit. *C. Min.* ubi aliud diſponit, ſicut aliud diſponit in *d. c. 5.* ubi videtur ſatìs clarè permittere hypothecam generalem. *N. min.*

Dico 3. Pignus conſtituitur non ſolùm per actualem traditionem, aut contractum, ſed etiam per nudam conventionem. 2. Non tamen ipſi adjici poteſt pactum Legis commiſſoriæ, quo id agitur, ut debitô intra certum tempus non ſolutô pignus committatur, ſeu amiſſum acquiratur creditori. 3. Neque pactum antichréſeos, quo id agitur, ut creditori liceat uti pignore, ſeu fructus pignoris percipere (ſaltem valorem communis & liciti intereſſe excedentes) donec ſolvatur debitum. Pars 1. ſumitur ex *l. 1. ff. de pignorat. act. & l. 4. h. t.* Pars 2. ex *c. 7. h. t. & l. 1. C. de pactis pignorum.* Pars 3. ex *c. 4. & 6. h. t. c. 1. 2. 8. de uſuris.* quia debitor manet dominus pignoris, conſequenter ipſi fructificare debet. 6

Objic. 1. de Jure Bavar. *tit. 15. art. 6.* ad conſtituendam hypothecam (licèt non ad pignus) requiritur Scriptura. Et in aliis locis paſſim opus eſt Scripturâ, vel confirmatione Magiſtratûs, ſi res immobilis ſupponatur pignori. 2. Per pignus & hypothecam acquiritur jus in re: ſed per conventionem & pactum nudum non acquiritur jus in re; ergo. 3. In *c. 1. de feudis. & c. 16. de Uſur.*

permittitur domino directo, ut fructus percipiat ex re feudali sibi oppignorata, si servitia remittat vasallo. Item marito ex bonis sibi pro dote oppignoratis: ergo pactum Antichreticum non est prohibitum in pignore. ℞. ad 1. Id procedit, ubi Statutum speciale, aut consuetudo loci ita exigit, non de Jure Communi. Ad 2. In constitutione pignoris, etiam per nudam conventionem factâ, Jus Prætorium specialiter tribuit jus reale. Ad 3. Illi duo casus ex justa causa excipiuntur à communi regula.

7 Dico 4. Effectus pignoris (& hypothecæ) sunt jura & obligationes, atque actiones, quæ oriuntur creditori accipienti, & debitori pignus danti. Igitur creditor consequitur 1. jus in re, sibi oppignorata vel hypothecata, vi cujus illam actione reali persequi potest, ad quemcunque possessorem devenerit, remediis tam petitoriis quàm possessoriis; quia talis res transit cum onere pignoris. *c. 5. h.t.* licèt à debitore, etiam auctoritate Judicis, fuisset vendita. 2. jus retinendi pignus, donec solvatur debitum totum, & ex integro satisfiat. *l. 9. §. 3. ff. de Pign. act. l. 6. C. de distract. pign.* cùm jus pignoris sit indivisum pro toto debito: quod ex æquitate etiam procedit propter aliud debitum, pro quo res illa obligata non fuit. *l. un. C. Etiam ob chirogr. pecun.* 3. Jus prælationis in concursu creditorum, pignus vel hypothecam non habentium, de quo ad *tit. de Solut.* 4. Jus distrahendi, seu vendendi pignus alteri, plus offerenti, ut ex pretio sibi satisfiat, & residuum restituatur debitori. *t. t. ff. & C. de distr. pign.* Si nempe conventum sit, ut debitô intra certum tempus non solutô liceat pignus

gnus vendere: si verò non sit conventum de distractione pignoris, debet priùs moneri debitor, & post monitionem adhuc exspectari per biennium. *l. fin. §. 1. C. de jure dominii:* quod tamen biennium non observari ajunt, nisi in casu, quo creditor ipse vult emere. Si res fructifera sit data in pignus, à fortiori licebit creditori vendere fructus, computandos tamen in partem solutionis. Quid circa hoc de Jure Bavarico sit statutum, videre est *tit. 15. art. 17.* & im Gandt-Process *tit. 4. art. ult.* Idem creditor contrahit econtra obligationem 1. rem oppignoratam exactâ diligentiâ custodiendi, ita ut teneatur præstare culpam etiam levem, si per hanc pignus periit, vel deterioratum est. *§. 4. Inst. quib. mod. re contrah. obl.* 2. Abstinendi ab usu pignoris, nisi expressè vel tacitè consentiat debitor: secus si facit, furtum committit. *§. 6. Inst. de obl. qua ex del.* 3. Restituendi pignus cum fructibus & meliorationibus, quamprimum fuerit debitum ex integro solutum. *§. 4. cit.* demere tamen potest expensas in custodiendo vel meliorando pignore factas.

Actio ex pignore resultans est duplex, *Pignoratitia* & *Hypothecaria.* Illa est *Civilis* & *Personalis*, oritúrque ex pignore, quatenus est contractus: Ista autem *Prætoria* & *Realis*, oritúrque ex pignore, quatenus producit jus in re. Illa datur & debitori ejúsque hæredibus, atque vocatur *Pignoratitia directa*, ad repetendam à creditore rem oppignoratam cum tota causa, nempe fructibus &c. post solutum vel aliàs extinctum debitum: & creditori ejúsque hæredibus, atque vocatur *Pignoratitia contraria*, ad præstandam sibi indemnitatem,

& ad consequendum à debitore id, quod pignoris nomine sibi abest. *Hypothecaria* autem datur soli creditori ejúsque hæredibus, neque statim competit, sed primùm, quando debitor est in mora, & tum, si alius, quàm debitor, hypothecam possideat, non nisi excusso priùs debitore principali, qui dedit hypothecam vel pignus, de Jure Recentiori *Nov. 4. c. 1. l. 24. cum Auth. sub. C. h. t.* Hæc actio hypothecaria vel est *Serviana*, sic dicta à Servio Prætore, & datur locatori ad persequendas res ab inquilino vel colono illatas in domum vel fundum locatum, tanquam oppignoratas pro securitate mercedis: Vel *quasi-Serviana*, quæ datur aliis creditoribus ad persequendas res quascunque sibi oppignoratas: in ordine autem ad consequendam possessionem pignoris utrobique conceditur *Interdictum Salvianum*, vel *quasi*. Cœterùm tam Pignoratitia, quàm Hypothecaria actio est perpetua, & utrinque ad hæredes transitoria, donec nimirum solvatur pignus vel per debiti solutionem, remissionem, aut quamcunque satisfactionem, vel per præscriptionem. Sed hinc

9 Quæres, quantum temporis requiratur, ut per viam præscriptionis solvatur pignus, seu actio indè nata extinguatur? R. cum distinctione: si pignus vel hypothecam possidet debitor vel ejus hæres, requiruntur 40. anni. *l. 7. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Si possidet extraneus, cum titulo ipsi sufficiunt 10. anni inter præsentes, at sine titulo requiruntur 30. anni. *l. 7. cit. pr.* quod procedit, etsi pignus consistat in re mobili. Si autem possidet ipse creditor, probabiliùs etiam sufficiunt 30. anni ad præscribendum

actioni

actioni pignoratitiæ directæ contra debitorem, intra hoc tempus reluere pignus negligentem, ut docet valde communis cum Imola contra Gail, Mynſ. Rath, Pirhing. eò quòd juxta *l. 1. C. de ann. except. & l. 3. C. de præſcr. 30. vel 40. ann.* omnes actiones perſonales 30. annis extinguantur, & nullibi reperiatur clarè excepta actio pignoratitia directa.

Objic. 1. Non valenti agere non currit præſcriptio. per *l. 7. §. 4. eod.* Sed debitor ante ſolutionem non poteſt agere ad reluendum vel repetendum pignus. *l. 9. §. 3. ff. de pign. act.* ergo. 2. Actio nondum nata non poteſt extingui per præſcriptionem: ſed actio pignoratitia directa ante expunctum debitum non eſt nata. *l. 9. cit.* ergo. 3. Creditor non poſſidet pignus nomine ſuo, ſed debitoris nomine detinet: ſed ſine poſſeſſione non currit præſcriptio: ergo nunquam præſcribit pignus. R. ad 1. *diſt. ma.* non valenti agere propter impedimentum Juris *C. ma.* propter impedimentum facti, quia debitor v. g. non eſt ſolvendo, vel non vult ſolvere. *N. ma.* Ad 2. *diſt. min.* ante expunctum debitum actio nondum eſt nata quoad executionem *C. min.* nondum eſt nata in ſe. *N. min.* Ad 3. *C. totum;* non enim dicimus, ipſum pignus præſcribi, ut creditor fiat ejus dominus, ſed actioni pignoratitiæ præſcriptione privativa præſcribi aſſerimus, ut ceſſet ex parte debitoris jus luendi pignus: per quod ſatis multum perdit; ſi enim poſſet agere actione pignoratitia, nihil aliud probare teneretur, quàm oppignorationem, illâ autem amiſsâ debet probare dominium pignoris, quod eſt difficilius. Ad præ-

ſcriptionem privativam actionis ſufficit poſſeſſio negativa, conſiſtens in hoc, quòd omiſſa ſit repetitio pignoris.

TITULUS XXII.

De Fidejuſſoribus.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Fidejuſſio, & Fidejuſſor.*
2. *Quinam fidejubere poſſint.*
3. *Super qua obligatione, vel debito.*
4. *Fidejuſſionis effectus.*
5. *Quæ remedia competant Fidejuſſoribus.*

1 FIdejubere eſt *fide* interpoſita creditorem *jubere* ſecurum eſſe de ſatisfactione. Unde *Fidejuſſor*, alio nomine *Interceſſor*, Bürg/ dicitur eſſe, qui pro alieno debito fidem ſuam interponit, ſeu promittit, quòd debitore principali non ſolvente (qui nihilominus manet obligatus) ipſe velit ſolvere. Adeóque *Fidejuſſio* ſeu *Interceſſio*, Bürgſchafft/ eſt obligatio ſuccedanea & acceſſoria, quam quis ad ſolvendum alienum debitum, ſi debitor principalis ob inopiam vel aliam cauſam non ſolvit, in ſe ſuſcipit ſive per ſtipulationem (nempe ad interrogationem unius & reſponſionem alterius, utì de Jure Civili Romano fieri deberet, & ideo fidejuſſio eſt contractus Juris Civilis, verbalis, unilateralis, & ſtricti Juris) ſive per nudum pactum, ſcriptô vel oretenus, inter abſentes vel præſentes initum, utì habet recepta conſue-

tudo,

tudo, vi cujus jura stipulationum & pactorum confusa sunt. Differt Fidejussor ab *Expromissore*; quia hic ita se obligat pro alieno debito, ut prior & principalis debitor omnino liberetur: à *Constitutore*; quia hic per nudum pactum spondet se soluturum, quod ipse vel alius debet, adeóque etiam pro debito proprio solutionem promittere potest: à *Mandatore*; quia hic suo nomine se obligat, & ante obligationem principalem alterius: à *córreo debendi*, quia & iste suo nomine, & principaliter promittit solutionem. Si quis tertius se obligat pro ipso fidejussore, vocatur fidejussor fidejussoris, Rück-Bürg/ & talis fidejussio dicitur *succedanea*. Si fidejussio fiat in Judicio, dicitur *Satisdatio*, & qui cavet de Judicio sisti, *Vas*, qui autem dejudicatum solvi, *Præs* appellatur.

Dico 1. Fidejubere possunt omnes, qui contrahere, & contrahendô se ac sua obligare, nisi specialiter prohibeantur. Text. & DD. *in l. 3. ff. h. t.* Prohibentur autem Milites in actuali expeditione constituti. *l. 31. C. de locato.* Minores & Pupilli. *ff. 1. Inst. de auth. tut.* & ibi DD. Clerici obligando reditus ad suam sustentationem pertinentes, imò & patrimonialia, si id frequenter faciant, & non pro causa pia. *c. 1. & 2. h. t.* Religiosi sine consensu Prælati & majoris partis Capituli. *c. 4. eod.* ipsi Prælati Ecclesiastici obligando bona Ecclesiæ in notabili quantitate sine consensu Capituli. *c. 2. de solut.* Denique Mulieres. *t. t. ff. & C. ad S. C. Vellejanum.* nisi nempe fidejubeant in utilitatem propriam, aut pro dote alterius mulieris, vel pretium competens accipiant pro 2

pro fidejussione, vel nisi instrumentum publicum & tres testes, aut juramentum, quod juxta *c. 9. & 28. de Jurejur.* observari debet, aut dolus ipsius intervenerit, vel nisi post biennium repetat fidejussionem; per varias Leges *cit. tit. ad S. C. Vell.* Vel denique, prout in praxi, & de Jure Bavar. obtinet, nisi mulier de beneficio S. C. Vell. certiorata renuntiaverit eidem; quia cuilibet permissum est renuntiare favori principaliter propter se introducto. *l. penult. C. de pact. c. 12. de for. comp.* Extende hoc, ut fœminæ etiam pro foro interno conscientiæ non obligentur fidejussione in illis casibus, in quibus hoc privilegio uti possunt pro foro externo, partim quia parùm istis prodesset hoc privilegium, si Leges reliquissent obligationem naturalem in conscientia; partim quia in *l. 40. ff. de condict. indeb.* mulieri fidejubenti conceditur *exceptio perpetua*, imò & *condictio soluti*, seu repetitio illius, quod ex fidejussione solvit: atqui posse solutum repetere signum est non existentis obligationis naturalis, seu in conscientia. *l. 10. ff. de O. & A.*

3 Dico 2. Super omni obligatione aliena, sive naturali sive civili, & super quovis debito, sive descendat ex contractu sive ex delicto, fidejuberi potest. §. *1. 3. Inst. l. 1. 4. 8. 16. ff. h. t.* Excipe, nisi agatur criminaliter ex delicto ad pœnam corporis afflictivam, & non merè pecuniariam. *l. 56. l. 70. ff. eod.* quia pœnæ corporales suos tenere debent auctores. Dein nec uxori regulariter permittitur, ut stante Matrimonio exigat à marito fidejussionem pro illata dote conservanda vel restituenda. *l. 1. 2. C. Ne fidejuss. dotium dentur.* nisi

nempe

nempe maritus fiat decoctor, & ad inopiam vergat.

Dico 3. Effectus fidejussionis proximus est obligatio solvendi debitum alienum, quod existebat tempore fidejussionis §. 5. *Inst. l. 68. §. 1. ff. h. t.* & quidem obligatur in solidum fidejussor, ita ut, si plures essent fidejussores, quilibet in totum id, pro quo fidejussit, conveniri possit à creditore, quem hic voluerit, etiam omisso debitore principali. §. 4. *& ibi DD. Inst. eod. l. 3. & 5. C. eod.* In duriorem tamen causam obligare se fidejussor nequit, h. e. ad majorem summam, quàm debeat principalis. §. 5. *cit. l. 8. §. 7. ff. eod.* licèt intensivè magis valeat se obligare & arctiùs, v. g. adjectô juramentô. Si tamen per errorem fortè ad majorem summam & extensivè magis se obligâsset, teneret fidejussio quoad summam concurrentem, verè debitam, nec corrueret tota, ut habet probabilior ex *c. 37. de R. J. in 6.* ibi: *utile per inutile non debet vitiari.* Effectus remotus est *actio* adversùs fidejussorem & ejus hæredes, & quidem *ex stipulatu*, si per stipulationem, *condictio ex moribus* autem, si per nudum pactum celebrata sit fidejussio. 4

Dico 4. Fidejussoribus, ne nimis graventur, à Jure concessa sunt quatuor remedia. 1. Beneficium *Ordinis*, vel *Excussionis*, vi cujus, si conveniantur ante debitorem principalem, petere possunt, ut debitor principalis conveniatur priùs, & excutiatur, h. e. ejus facultates & bona lustrentur usque ad saccum & peram, ut loquuntur, & tum demum, si deprehendatur non esse solvendo, contra se instituatur actio. *Auth. Præsente. C. h. t. Nov. 4. c. 1.* Dein 2. beneficium *Divisionis*, 5

vi

vi cujus, si plures sint confidejussores pro eodem debito, & unus tantùm conveniatur in solidum, excipere, ac petere is potest, ut actio dividatur, & contra singulos confidejussores moveatur pro rata. *§. 4. Inst. l. 10. C. h. t.* Si his beneficiis uti nequeat vel nolit fidejussor, supersit ipsi 3. Beneficium *Cedendarum actionum*, vi cujus exigere à creditore potest, & ante solutionem debet, ut sibi cedat omnes actiones, personales & reales, quas fortè habet adversùs debitorem principalem, & confidejussores, vel etiam pignorum possessores. *l. 13. 17. 36. ff. l. 21. C. eod. l. 76. ff. de Solut.* Quòdsi solvisset absque petita vel reservata hac cessione, haberet adversùs debitorem principalem, si eo rogante vel consentiente solvisset, actionem *mandati*, si eo absente vel ignorante, actionem *negotiorum gestorum*. Denique 4. beneficium *Liberationis*, vi cujus liberationem à fidejussione petere potest institutâ querelâ non adversùs creditorem, sed adversùs debitorem principalem, si iste diu distulit solutionem ex culpabili mora: si incipit dissipare bona, & vergere ad inopiam, ac impotentiam solvendi: si ipse fidejussor prætermissô ordinis remediô conventus & jam condemnatus est, vel propediem condemnandus. *l. 38. §. 1. ff. Mandati. c. fin. h. t.* His addunt DD. casum, quo fidejussor ex rationabili causa vult proficisci in remotas terras, diu non reversurus &c.

TITU-

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Solutio, & quæ illius species.*
2. *Quinam solvere possint:*
3. *Et quinam teneantur.*
4. *An Successor in Prælatura antecessoris debita.*
5. *Cui solvi debeat:*
6. 7. *Et cui priùs in concursu creditorum.*
8. *An jus prælationis se extendat ad usuras.*
9. *Quid solvi debeat.*
10. *Si solvatur indebitum, datur* condictio indebiti.
11. *Quo tempore, & loco, facienda solutio.*
12. *Effectus Solutionis.*

HIs demum tollitur, quæ per contractus hucusque explicatos nascitur obligatio. *Solutio* autem presse accepta definitur esse *physica præstatio seu redditio rei debitæ, debito loco & tempore facta creditori.* Communis ex *l. 46. 49. 85. ff. h. t.* Hìc autem sumitur latiùs pro omni liberatione à debito vel obligatione, quocunque modo facta, adeóque comprehendit. 1. *Gratuitam remissionem* debiti, aut redditionem chirographi. 2. *Acceptilationem,* quæ est solutio imaginaria, dum nimirum creditor ad interrogationem debitoris, num debitum habeat pro accepto, 1

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cepto, respondet affirmativè, adeóque opponitur stipulationi, & est contractus Juris Civilis. 3. *Confusionem*, quando nempe creditor fit hæres debitoris, vel viciſſim, quo pacto confunduntur jura defuncti & hæredis. 4. *Transactionem.* 5. *Sententiam absolutoriam.* 6. *Dationem in solutum*, quando debitor nomen, seu debitum activum, cedit creditori, ut illud loco solutionis accipiat. 7. *Compensationem*, quæ est debiti reciproci inter se contributio. v. g. debes mihi 100. ego autem tibi 70. In hoc casu censetur debitum esse per compensationem extinctum quoad 70. Si fiat in Judicio, *publica*, si clàm servatis debitis conditionibus, *privata* dicitur: compensationi vicina est *Retentio*, & est compensatio indirecta, eò quòd tribuat facultatem retinendi rem alienam jure pignoris, donec ratione debiti integrè fuerit satisfactum. 8. *Novationem*, qua vetus obligatio transfunditur in aliam manente eodem creditore & debitore, ut si loco pretii substituatur merx reddenda, vel si pecunia debita ex emptione convertatur in mutuum. 9. *Delegationem*, Anweiſung an ſtatt der Bezahlung / qua tollitur prior obligatio interventu novi debitoris, ac est species novationis, & ab hac differt ferè per hoc tantùm, quòd in novatione maneat idem debitor, in delegatione autem constituatur novus debitor consentiente creditore. Vicina delegationi est *assignatio nominis*, qua creditori indicat debitor, summam pecuniæ à tertio quodam sibi deberi, atque ab hoc illam exigi mandat, & retineri loco solutionis. 10. *Oblationem rei debitæ*,

bita, quando nempe debitor pecuniam, quam creditor sibi pro solutione oblatam acceptare recusat, obsignatam deponit apud Judicem. Denique 11. *Pactum de non potendo.* Sed per hunc ultimum modum non inducitur liberatio ipso Jure, sicut per præcedentes, sed solùm ope exceptionis.

Dico 1. Solvere potest omnis debitor, modò 2
liberam habeat rerum administrationem. 2. Imò & alius loco ipsius vel mandantis, vel etiam ignorantis, aut prohibentis. Pars 1. sumitur ex *l. 14. §. fin. ff. h. t.* Unde pupilli & minores, ac alii sub curatela constituti propria auctoritate nequeunt solvere: si tamen solverent, solutum vindicari & repeti posset, si adhuc exstaret. *l. 14. cit. §. 2. Inst. quib. alien. licet.* Si non exstaret ampliùs, solutio teneret. Pars 2. ex *l. 23. 58. 87. ff. h. t. §. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig.* cùm creditoris nihil interfit, an à debitore, vel ab alio solutionem consequatur. Si tamen quis solvat pro altero invito, censetur donâsse, & regressum contra ipsum non habet.

Dico 2. Solvere tenetur regulariter omnis 3
debitor per se vel per alium, & quidem integrè. *§. 1. cit.* Ratio, quia Justitiæ Commutativæ natura exigit cuilibet reddi suum usque ad æqualitatem, & quantum alteri debetur. Si id sponte non faciat debitor, facienda est per Judicem executio juxta cujuslibet loci consuetudinem & Praxin forensem, vel per captionem pignorum, vel rerum debitoris distractionem, ejus incarcerationem &c. Dixi 1. *Regulariter*, nisi nempe debitor, qui non est solvendo, vel cedat bonis, vel habeat beneficium competentiæ.

Cessio bonorum est abdicatio Juridica omnium bonorum & jurium, ut à Judice fiat solutio secundùm vires se abdicantis: & per hoc beneficium, quod appellatur *flebile*, cedens bonis liberatur ab incarceratione, & importunis creditorum exactionibus; licèt, si postea ad pinguiorem veniret fortunam, solvere teneretur, quantum posset deducta sui & familiæ sustentatione. *l. 6. ff. de cess. bon. l. fin. C. qui bonis ced. pos.* Hoc tamen beneficio non gaudent, qui dolosè, & in fraudem creditorum contraxerunt debita, vel ex furto, rapina &c. vel prodigendo aut luxiriosè vivendo, atque de Jure Bavar. *tit. 13. art. 5.* gaudet nullus, nisi de quo constat, quod absque sua culpa ad impotentiam solvendi redactus sit. *Beneficium competentiæ* est privilegium certis debitoribus competens, vi cujus nec cedere bonis debent, nec incarcerari possunt, nec ultra id, quod salva sustentatione congrua solvere possunt, conveniri. Competit parentibus contra liberos, & viciſſim: fratribus contra se mutuò: marito contra uxorem in restitutione dotis: socio omnium bonorum contra socium: donanti ex donatione convento: militibus: mulieribus honestè viventibus: & probabiliter etiam Illustribus, Doctoribus, Advocatis, & Professoribus. Præcipuè autem Clericis, ut habet communior DD. ex *c. Odoardus 3. h. t.* quia mendicitas & defectus congruæ sustentationis dedecet Statum Clericalem. Ut tamen Clericis competat hoc beneficium, debitum debet esse Civile, non ortum ex delicto, vel ex dolo: dein non debent esse suspecti de fuga, non conveniri actione reali, non malitiosè negare debitum in Judico, debent saltem

tem

tem præsumptivè & summariè impotentiam solvendi probare, item cautionem juratoriam præstare de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam pervenerint. Si hæc non concurrant, carcerem non evitabunt.

Quæres, an Successor in Prælatura, vel Beneficio Ecclesiastico, solvere teneatur debita ab Antecessoribus contracta? R. 1. Si debita sint contracta in utilitatem Ecclesiæ, item in necessariam Antecessorum sustentationem, quam Ecclesia tenebatur præstare Prælato vel Beneficiato, obligatur successor ex bonis vel reditibus Ecclesiæ, salvâ tamen congruâ suâ, vel ex patrimonialibus aut beneficialibus bonis, siqua reliquit antecessor, debita solvere. per *can. 70. caus. 12. q. 2. c. 1. de Pign. & c. 1. h. t.* tenetur tamen creditor probare, credita in utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ, aut in necessariam sustentationem Rectoris, fuisse conversa. per *c. 1. de depos. c. penult. de fidejuss.* nisi Prælatus Antecessor cum consensu Capituli, aut Beneficiatus cum consensu legitimi Superioris, debita contraxisset. R. 2. si Antecessor in utilitatem propriam contraxit debita, & Ecclesia non fuit obligata ipsi succurrere, ut si propter luxum, aut usus inutiles, contraxit debita, Successor ad nihil tenetur etiam ex bonis Ecclesiæ, sed nisi Antecessor reliquerit bona propria, creditor damnum ferre debet, uti &, si beneficium fuit tam tenue, ut sufficientes ad sustentationem reditus non præbuerit, idque scivit defunctus. Vid. P. Pirhing. *h. t. àn. 17.* 4

Dico 3. Solvi debet creditori, cui aliquid debetur, vel alteri, cui data est potestas à creditore recipiendi solutionem. DD. passim ex 5

l. 3. 12. 14. 34. 49. ff. h. t. Creditori autem creditoris tui, si iste foret invitus, perperam solveres. per *l. 108. §. 1. ff. de Legat. I.* Dein securè non solvis pupillo, minori, vel alteri Curatorem habenti, & libera rerum administratione destituto, sine authoritate eorum, quibus subsunt; si enim ab his perdatur, vel malè consumatur soluta pecunia, iterum conveniri & ad solvendum adigi potes. *l. 15. ff. h. t.* Imò, licèt cum dicta authoritate solveres præfatis personis, & pecunia perderetur, haberent restitutionem in integrum, nisi solutio facta fuisset interveniente Judicis decreto. §. *fin. Inst. quib. alien. licet.*

6 Quæres, quibus in concursu creditorum, casu quo omnibus solvendo non est debitor, ut si cedat bonis, vel decernatur subhastatio bonorum, Vergantung / & instituatur Processus Edictalis, ante cœteros solvi debeat? R. hoc ordine. 1. omnibus præferendi sunt, qui res proprias jure dominii habent apud debitorem existentes, uti sunt res depositæ, commodatæ, locatæ, bona dotalia & parapherna uxoris adhuc exstantia, item res piis locis venditæ, donatæ, legatæ &c. 2. Veniunt creditores specialiter privilegiati, quales sunt Judices, quibus aliquid debetur ratione Processûs Edictalis, Inventarii &c. vel ratione impensarum funeralium & sepulturæ, pharmacorum pro defuncto ordinatorum in ultimo morbo, ratione mercedis vel salarii. 3. Creditores hypothecarii, quorum aliqui gaudent speciali privilegio, uti quibus res aliqua in specie est hypothecata, antequam perveniret ad debitorem: Fiscus seu Camera Principis &c. in ordine

ad

ad tributa & collectas, quò etiam de Jure Bavar. refertur dominus fundi, seu directus, Sakh- oder Grund-Herr / quoad annuos canones pro tribus retro annis, & dominus Vogteiæ quoad pensitationes jurisdictionales: uxor & ejus descendentes ratione dotis non ampliùs exstantis in se: qui mutuum dederunt ad domum, vel aliam rem emendam aut reficiendam, & simul expressam constituerunt hypothecam: qui habent hypothecam publicô instrumento constitutam, vel tribus testibus saltem subscriptam. Ex collocatis in hac classe præferuntur antiquiori hypotheca muniti. 4. Creditores hypothecarii simplices, sive habeant hypothecam specialem sive generalem &c. & semper primatus debetur anteriori hypothecæ. 5. Creditores chirographarii, current-Schuldner / personali quodam privilegio instructi, uti qui apud debitorem deposuerunt rem, quæ tamen non ampliùs exstat, dantes mutuum ad emendam vel reparandam domum &c. at sine constitutione hypothecæ expressa, Respublica, Civitas, Communitas, Ecclesia, Monasteria, Causæ piæ, Pupilli &c. omni hypotheca destituti. 6. Creditores chirographarii simplices, nullo, etiam personali tantùm, privilegio muniti. Et in hac duplici classe ultima constituti parificantur, non attenta prioritate temporis, quo debitum est contractum. Atque juxta hunc ordinem fit secundùm Jus Commune, & communem DD. sententiam, solutio debitorum, & semper præferuntur, qui in classe anteriori hìc sunt recensiti, &, ubi prioribus fuit satisfactum, & nihil ampliùs supereſt de bonis debitoris, cessatur: si verò, ubi

ad chirographarios ſimplices perventum eſt, aliquid quidem adhuc reliquum reperitur, ex reſiduo ſolutionem pro rata conſequuntur debitum ſuum juxta proportionem Geometricam. *l. 6. C. de bonis auth. Jud. poſſid.* v. g. ſuperſunt adhuc ex bonis ſubhaſtati 200. floreni, at à quatuor creditoribus chirographariis prætenduntur 400. floreni adhuc debiti, cuilibet pro uno floreno cedit dimidius, adeóque ad ſingulos florenos, non ad creditores, reſpicitur. Ita quoad omnia communis.

7 De Jure Bavarico in proceſſu Edictali, Gandt. Proceſs, *tit. 2. art. 1. ſeqq.* iſte ordo eſt proditus. 1. Ponuntur ſumptus Judiciales in Proceſſu Edictali. 2. Impenſæ funerales in ſepulturam, Medicos, Pharmacopæos factæ. 3. Mercedes famulitii domeſtici & operariorum, ſed tantùm unius anni. 4. Qui ad emendam, reparandam domum &c. materialia vel pecunias dederunt mutuas, cum ſuis tamen limitationibus; item dominus fundi quoad canonem annuum &c. 5. Uxor ratione dotis. 6. Pupilli, Minores, Eccleſiæ, & cauſæ piæ. 7. Fiſcus. 8. Creditores hypothecarii. 9. Chirographarii habentes inſtrumenta coram Notario & teſtibus confecta. 10. Chirographarii privilegio perſonali muniti. 11. Chirographarii ſimplices. Vid. ad *d.* Gandt. *Proceſſ.* Cancellar. Schmid.

8 Petes, utrùm Uſuræ, à debitore non ſolutæ, reducantur ad ſummam debiti in concurſu creditorum, ità ut creditores juxtà prælationis ordinem eas conſequantur ſecundùm proportionem cum ſuo debito principali, & cœteri poſteriores creditores nihil conſequantur, donec prioribus

ribus etiam usuræ sint solutæ? R. affirmativè spectato Jure Communi, quia accessorium sequitur principale, & prior tempore est etiam prior jure. In multis tamen locis, utì & in Bavaria nostra, ex æquitate aliquid immutatum est, ita ut non aliæ usuræ, quàm quæ singulis annis Judicialiter exactæ sunt, non tamen solutæ, in debitum principale computentur, eodémque privilegio gaudeant, item illæ, quæ Processu Edictali durante cedunt. Postquam verò creditoribus quoad debitum principale, & usuras Judicialiter exactas, fuit satisfactum, iterum servandus inter creditores erit ordo circa usuras alias, quem circa sortem principalem debiti observandum esse dixi.

Dico 4. Solvi debet id ipsum, quod debetur. 2. Regulariter totum debitum simul & semel; nisi nempe aliter sit conventum, vel debitum per partes contractum, vel ex diversis causis, v.g. 100. ex mutuo, 50. exempto &c. Pars prior constat ex *l. 2. §. 1. ff. de R. C.* ibi: *aliud pro alio invito creditori solvi non potest*, ut adeò non tenetur creditor aliquid aliud, & æquivalens, v.g. frumentum pro pecunia, accipere. Excipitur casus, quo res debita præstari nequit, quia v.g. periit. Pars posterior ex *l. 99. h.t. l. 41. §. 1. ff. de Usur. & l. 122. pr. ff. de V. O.* quia una obligatio tolli debet una solutione, & solutio per partes habet sua incommoda; cùm pecunia minutè soluta facilè consumatur, & applicari nequeat ad magnum quid & utile, v. g. ad emendos census annuos, rem frugiferam &c. *Objic.* In §. 1. *Inst. quib. mod. toll. obl.* dicitur: *quod debetur,* 9

pro parte rectè ſolvitur. ℞. hoc procedit, quando credito ultro admittit ſolutionem per partes, vel quando ſic eſt conventum &c.

10 Quæres, quid ſit Juris, ſiquis ſolvit indebitum, ſeu quod non erat debitum? ℞. 1. Si per errorem aut ignorantiam facti ſolvit, quod nec naturaliter nec civiliter debebat, *condicere* poteſt, ſeu repetere ſolutum per *condictionem indebiti*, quæ eſt actio civilis, perſonalis, ſtricti Juris, & perpetua; modò probet errorem, & indebitum. *l. 1. ſeqq. l. 41. ff. de cond. ind.* talis enim ſolutio cenſetur eſſe conditionata, *ſi non apparuerit indebitum.* Uſuras tamen, & fructus civiles, ac merè induſtriales, quos ex re indebitè ſoluta percepit alter, non licet repetere. *l. 1. C. eod.* Dixi, *modò probet errorem, & indebitum*; quod incumbit repetenti, niſi ſit talis perſona, quæ propter præſumptam Juris imperitiam ex ſpeciali privilegio relevatur ab onere probandi, utì pupillus, minor, fœmina, miles, agricola. *l. 25. §. 1. ff. de probat.* tunc enim accipiens debet probare debitum; utì & in caſu, quo accipiens negavit, aliquid ſibi eſſe ſolutum, poſtea verò Actor repetens probavit fuiſſe ſolutum. *c. fin. h. t.* quia contra ipſum mendaciter negantem militat præſumptio Juris. ℞. 2. Probabiliter etiam condici poteſt, ſi indebitum ſit ſolutum per errorem *Juris*, ut ſi ſolviſti aliquid ultra ſortem in mutuo, putans id debitum fuiſſe. Ita æquior ſententia Abb. Molin. Stryck. contra Duaren. Perez, Harpprecht. Quia generaliter error & ignorantia Juris non nocet illi, qui certat de damno vitando. *l. 7. & 8. ff. de J. & F. J.* Nec æquitas videtur pati, ut ſine cauſa ſolutum maneat penes

acci-

accipientem. Adde, quòd in *l. 23. §. 2. ff. de cond. ind.* dicatur repeti posse, quod datum est ex transactione ipso Jure invalida: ergo error circa Jus non obstat repetitioni. *Objic.* In *l. 10. C. de J. & F. J.* exstat iste textus planè clarissimus in contrarium: *cùm quis Jus ignorans indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio: per ignorantiam enim facti tantùm repetitionem indebiti soluti competere, tibi notum est.* R. hanc legem intelligendam esse de ignorantia Juris crassa & supina, quam neque ego prodesse censeo; ut evitetur contrarietas Jurium, & obtineatur finis legum, condictionem indebiti concedentium, qui fuit æquitas naturalis. Cœterùm acceptio indebiti est *quasi-contractus*, quia per consensum Legibus inductum accipiens censetur se obligare ad reddendum, quod indebitè recipit.

II Dico 5. Solvi debet tempore, & loco debito. Ratio, quia sæpe multùm interest creditoris aut debitoris, quo tempore & loco fiat solutio; nam *solidum non solvitur, non minùs quantitate, quàm die. l. 85. ff. h. t.* Et planè non rarò debitores morosi, si diu differant solutionem, creditori graviter nocent, adeóque peccant mortaliter, & tenentur damna ex dilata solutione creditoribus secuta resarcire. Sed quo tempore & loco facienda est solutio? R. ad 1. Si tempus est per conventionem determinatum, observari debet, quia dies interpellat pro creditore. *c. fin. de locato. & l. 12. C. de contr. & committ. stipul.* si non est determinatum, differri regulariter potest solutio, donec creditor exigat, ut docet communis ex *l. 10. C. de Pignor.* Nec obstat, quòd in *l. 14. ff. de R. J.*

dicatur: *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur;* nam debetur quidem statim & in præsenti, sed non pro præsenti, ita ut urgeat statim obligatio solvendi non exigenti. R. ad 2. Si locus est conventus, sine consensu utriusque Partis in alio loco nec peti nec fieri potest solutio. *l. 6. C. h. t. l. 1. 2. 9. ff. de eo, quod certo loco.* Si non est conventus, tunc fieri debet vel in loco rei acceptæ, uti si quid debeatur ex contractu in utriusque utilitatem cedente, aut in utilitatem solius debitoris, ut in Commodato, aut in utilitatem solius creditoris, uti in Deposito: vel in loco, ubi res, quæ per actum gratuitum alteri est donata, promissa, legata, tempore donationis exstitit: vel in loco, ubi moratur creditor, uti in debitis ex delicto ortis, & quidem sumptibus debitoris eò transferri debet, quod debetur ex delicto.

12 Dico 6. Effectus solutionis proximus respectu debitoris est liberatio ab obligatione. *l. 43. ff. h. t.* respectu creditoris acquisitio domini rei solutæ, si solvens habuit ejus dominium. Effectus remotus respectu debitoris est exceptio solutionis factæ, jus petendi apocham à creditore subscriptam tanquam testimonium factæ solutionis, & jus repetendi chirographum, creditori datum, *per condictionem sine causa. l. fin. C. h. t. l. 2. C. de condict. ex lege.*

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid & quotuplex sit Donatio.*

3. Qui-

3. *Quinam donare, &*
4. *Quæ res donari valeant, & quantum.*
5. *An & quando revocari possit Donatio inter vivos.*
6. *Effectus Donationis.*

Donatio strictè & propriè dicta est *liberalis propriorum bonorum alteri facta concessio.* Sumitur ex *l. 29. ff. h. t.* ibi: *donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur*, h.e. quod nec ex Justitia nec ex Gratitudine vel aliunde sit debitum. Si accedat traditio rei donatæ, quam per se, saltem de Jure recentiori non requirit, est donatio *realis* & *perfecta*, éstque probabilius contractus, cùm *causam* habeat, per quam à nudo pacto distinguitur contractus: si fiat sine traditione vel per stipulationem, quæ est contractus Civilis & verbalis, vel per nudum pactum, vel per meram pollicitationem, quando nempe quis proprio motu se alteri aliquid daturum promittit (quam tamen pollicitationem alter acceptare debet, aliàs est ad nutum revocabilis) dicitur *verbalis* vel *imperfecta.* Dixi, *strictè & propriè dicta*, quæ nimirum fit ex mera liberalitate donantis & vocatur *gratuita*; nam si fiat ex alia causa, v. g. remunerationis aut gratitudinis, *remuneratoria* vocatur aut *antidoralis*, & est impropria, uti & si fiat propter nuptias: si sub conditione: sub modo seu onere, v. g. ut donatarius, cui donatur, fiat Doctor, sequatur militiam &c. 1

Præcipua divisio donationis est in donationem *inter vivos*, & in donationem *mortis causâ.* 2

sâ. Ista fit intuitu mortis futuræ, & sub expressa mentione mortis, licèt donans fortè adhuc valens sit & sanus: illa autem fit sine ulla mentione mortis, licèt forsan fiat ab ægro vel moriente. *l. 42. ff. de mort. caus. donat.* In dubio potiùs præsumitur donatio inter vivos, ut notant communiter ex *l. 27. ff. eod. & l. 42. cit. §. 1.* quia est magis propriè dicta donatio, quàm quæ fit ex mortis, vel alia causa, & sic non ex mera liberitate. Inter utramque sunt notabiles differentiæ; nam donatio mortis causâ semper & pro libitu est revocabilis, etsi res jam sit tradita, & facta donatarii, imò propter solam convalescentiam revocatur, si intuitu certi vitæ periculi facta sit: dein non transmittit jus ad rem donatam, si nondum facta est traditio, ad hæredem donatarii, si iste moriatur ante donantem &c. Aliter se res habet in donatione inter vivos.

3 Dico 1. Donare inter vivos possunt, qui rerum dominium & liberam administrationem habent, nec specialiter prohibentur. Ratio, quia *suæ quisque rei moderator atque arbiter est l. 21. C. mandati.* Hinc etiam filiusfamilias majorennis sine consensu patris de bonis adventitiis, pleno jure possessis, rectè donat. *Nov. 117. c. 1.* Econtra donare nequeunt pupilli, & prodigi declarati, item minores (exceptis iis donationibus, quas alii similis conditionis facere solent) sine consensu eorum, quibus subsunt: procuratores, tutores, & curatores de rebus suorum clientum, exceptis donationibus remuneratoriis, quæ non excedunt merita in suos principales collata, & iis, quas consuetudo permittit: Religiosi sine consensu Su-

pe-

perioris: Prælati Eccleſiaſtici de rebus Eccleſiæ immobilibus & mobilibus pretioſis ſine conſenſu Capituli & Superioris, de mobilibus autem aliis non niſi moderatè, vel remuneratoriè, vel ex cauſa pietatis, eleemoſynæ, miſericordiæ &c. quia id probat conſuetudo, exigit honeſtas, ut viteur ſuſpicio avaritiæ, & ſuadet virtutis ſtudium. Si Epiſcopus in ſua diœceſi exſtruat Monaſterium, usque ad quinquageſimam partem de reditibus Epiſcopatûs, ſi aliam Eccleſiam, usque ad centeſimam partem dotare permittitur. *can. 74. cauſ. 12. q. 2. c. Apoſtolicæ 9. h. t.* Denique pater invalidè donat filio in patria poteſtate conſtituto. *l. 11. & 17. C. h. t.* quia reputantur pro una eadémque perſona. ſi tamen talem donationem non revocet ante mortem, vel emancipationem, per eas convaleſcit donatio. Si pater donaret filio nondum emancipato ex cauſa, v. g. ſtudiorum, honeſti opificii, ad Gradum Litterarium, propter nuptias &c. teneret donatio. Quid ſit de donationibus conjugum, dicetur in *lib. IV. tit. 20.* Dixi, *donare inter vivos*; nam mortis causâ donare valet, quisquis teſtamentum facere. *l. 15. ff. de mort. cauſ. donat.* imò & filiusfamilias de bonis adventitiis, regularibus quoque, cum conſenſu patris.

Dico 2. Donari poteſt res in humano commercio exiſtens. 2. Si tamen ultra 500. ſolidos (h. e. aureos, ſeu ducatos, quorum unus defacto valet 4. florenos & ultra) quis uni eodem moraliter tempore donaret merè liberaliter ſine inſinuatione apud Judicem, donatio non valeret quoad exceſſum, licèt, ſi nec donans, nec ejus hæredes revocant, donatum retineri in foro 4

con-

conſcientiæ interno poſſit. Molin. *d. 278. n. 27.* König *h. t. n. 23.* Pars 1. ſuſtinetur communiter ex *t. t. ff. & C. de donat.* Si tamen res aliena donaretur, valeret quidem donatio in tantum, ut transferatur conditio uſucapiendi, ſeu poteſtas illam præſcribendi, non ut dominium immediatè transferatur per traditionem. per *c. 79. de R. J. in 6.* Pars 2. à communi traditur, & fundatur in §. 2. *Inſt. l. 34. & 36. §. ult. C. h. t.* Porro per *inſinuationem* intelligitur declaratio mentis & voluntatis donandi apud Judicem in-vel extra judicium, cum petitione, ut donatio in acta redigatur, ac ſuper ea conficiatur Scriptura; vel intelligitur denuntiatio donationis in ſcriptis facta Judici, quod ajunt ſufficere ex recepta conſuetudine: Judex autem non neceſſariò debet eſſe proprius, & aliàs competens. per *l. 27. & 30. C. eod.* De Jure Bavarico ad 1000. florenos redacta eſt hæc ſumma 500. ſolidorum, & loco inſinuationis ſufficiunt quoque 5. teſtes. Landt-Recht *tit. 1. art. 1.* & ibi docet Cancell. Schmid. *n. 141.*

5 Dico 3. Donatio inter vivos, tam verbalis quàm realis, per ſe revocari nequit. *l. 5. & fin. C. de revoc. donat.* quia per eam alteri jus, perſonale vel reale, acquiritur: ſed jus abſolutè quæſitum invito auferri regulariter non poteſt etiam à Principe, niſi ob cauſam publicæ utilitatis vel neceſſitatis. Excipiuntur tamen tres caſus. 1. Si ſit inofficioſa, ſeu tam immodica, ut cedat in aliorum præjudicium, præſertim liberorum aut parentum in *legitima*; tunc enim, ſaltem quoad exceſſum, reſcindibilis & revocabilis eſt. *l. 1. 2. 4. 7. C. de inofficioſ. donationib.* & ibi DD. 2. Si

do-

donanti omnia bona, vel notabilem eorum partem, priùs nullos liberos habenti, postea nascatur proles una vel plures ex legitimo matrimonio. *l. 8. C. de revoc. donat.* & ibi DD. Et hoc casu donatio (intellige de merè liberali) censetur revocata ipso Jure: si tamen facta fuisset Ecclesiæ vel causæ piæ, vel cum juramento de non revocando, tunc non revocatur tota, sed solum quoad *legitimam*, quæ liberis debet salva manere. Lugo *d. 23. sect. 11. n. 194.* Molin. *disp. 282.* & plerique alii. Demum 3. si donatarius incipiat esse ingratus erga donantem, nempe violentas in donantem manus injiciendo: atroces injurias inferendo reales: aut grave damnum in bonis fortunæ: struendo insidias vel periculum vitæ; tunc enim donatio (iterum intellige de merè liberali, non facta causæ piæ, & cui juramentum de non revocando adjectum non est) propter unam ex recitatis ingratitudinis speciebus (probabiliter non propter aliam, etiam majorem) revocabilis est à donante instituta actione. text. & DD. in *l. fin. C. eod. & c. fin. h. t.* Si tamen donans ipse, ingratitudinem sciens, non revocaret, ab ejus hæredibus revocabilis non amplius esset, & donatarius maneret securus in conscientia, ejúsque hæredes; quia hæc actio revocatoria oritur ex delicto donatarii, proin est personalissima, nec ad-nec in hæredes transitoria. *Objic.* Juramentum actui adjectum sequitur naturam ipsius actûs tanquam accessorium: ergo, si donatio ipsa propter ingratitudinem est revocabilis, velut facta sub conditione non secuturæ ingratitudinis, etiam erit revocabilis, licèt ipsi adjectum sit juramentum; cùm pariter involvat

vat dictam conditionem. N. *dist. ant.* Juramentum *assertorium*, quod adjicitur in confirmationem actûs, sequitur hujus naturam velut accessorium. *C. ant.* Juramentum *promissorium* de non revocando donationem aliàs revocabilem. *N. ant. & conf.* quia tale juramentum stat per se, & parit obligationem saltem Religionis; cùm omne juramentum sit servandum, quod sine peccato servari potest. *c. 8. & 28. de Jurejur.*

6 Dico 4. Effectus immediatus donationis inter vivos *verbalis* est obligatio tradendi rem donatam, licèt pactô nudô sit facta. *c. 1. & 3. de Pact. §. 2. Inst. h. t.* mediatus verò *condictio ex lege*, donatario concessa. §. 2. *Inst. l. 35. C. h. t.* Sic enim appellatur actio, quæ ex natura negotii non competit, sed ex speciali assistentia Legis. *t. t. ff. de condict. ex lege.* Quamvis autem donatarius habeat hanc condictionem ad compellendum donatorem, ut rem tradat; per eam tamen petere fructus à donante interea perceptos non potest, minùs usuras propter moram. *l. 9. 22. ff. h. t.* Effectus autem donationis *realis* est translatio dominii in donatarium, vel, si res aliena donata sit, conditio usucapiendi. *l. 9. cit. §. ult. & t. t. pro donato.* Donans tamen liberaliter rem alienam non tenetur de evictione. *l. 18. §. ult. ff. h. t.*

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Peculium Clericorum, & quæ eorum bona.*

2. Quæ

2. *Quæ sint beneficialia eorum superflua.*
3. *Quorum bonorum domini sint Clerici.*
4. *An etiam redituum Beneficialium;*
5. 6. *Maximè superfluorum.*
7. 8. *An & quo Jure teneantur hos erogare in pias causas.*

PEculium, quasi pusilla pecunia, in Jure dicitur illa portio bonorum, quam servus, vel filiusfamilias, qui sui juris non sunt, à bonis domini sui, vel patris, separatam habent & quasi propriam. *l. 5. ff. de peculio.* Hoc loco sumitur pro bonis quibuscunque Clericorum, licèt sint sui juris. Hæc bona sunt in quadruplici classe. 1. *Patrimonialia*, quæ Clericis obvenerunt vel obveniunt ex causa & titulo merè profano, v. g. hæreditate, legato, donatione, contractibus, labore manuum, industria, arte &c. 2. *Quasi patrimonialia*, quæ ipsis obveniunt tanquam merces vel stipendium ex functione sacra, vel ministerio Ecclesiastico, uti sunt concionari, canere in Ecclesia, legere Missas, exequi funeralia, administrare Sacramenta &c. quò etiam referuntur omnes *reditus Stolæ*, ut vocant, & probabiliùs etiam *distributiones quotidianæ*, quæ Canonicis dari solent ob singulas præsentias in Choro; quia dantur tanquam denarius diurnus propter specialem industriam in Officiis Divinis, nec veniunt nomine fructuum Canonicatûs. Et hæc bona imitantur peculium quasi-Castrense, non adventitium, filiifamilias. 3. *Beneficialia*, seu *prospectu Ecclesiæ acquisita*, quæ ipsis obveniunt ex Beneficio Ecclesiastico in titulum collato, uti Decimæ, fructus,

& reditus annui, seu fixi. 4. *Parsimonialia*, quæ Clerici de congrua sustentatione, etiam ex beneficialibus sibi debita, parciùs vivendo sibi subtrahunt. Hæc omnia bona in aliquo sensu latiori, saltem ratione personæ Clericalis, subinde vocantur *Ecclesiastica*; quamvis propriè *Ecclesiastica* ac in specie, quæ à quibusdam vocantur Ecclesiastica *quarti generis*, sint illa bona, mobilia vel immobilia, quæ ad Ecclesiam ipsam pertinent, uti paramenta sacra, fundi, prædia ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, ornatum ejusdem, vel fabricam, ordinata, non verò ad ipsos Clericos spectant, & ideo neque peculium Clericorum constituunt.

2 Ex bonis *Beneficialibus* aliqua possunt esse *necessaria* ad congruam beneficiatorum sustentationem, aliqua autem *superflua*, quæ nempe redundant ultra competentem eorum sustentationem. *Congrua sustentatio* autem dicitur illa, qua viri timorati ejusdem conditionis & loci solent communiter esse contenti, & quæ requiritur ad eorum, ac familiæ victum, vestitum, habitationem, convenientem recreationem, hospitalitatem erga peregrinos, & consanguineos exercendam, ad moderata convivia, & donationes, præsertim eleemosynas, & ad occurrendum fortuitis casibus morbi, sterilitatis &c. Quantùm verò in particulari ad hanc congruam necessarium sit, una regula universalis dari nequit ob diversitatem loci, temporis, imò & ob personarum diversas qualitates: sic utique plus concedendum est Episcopo, quàm Prælato inferiori, plus huic, quàm Decano, vel Parocho, plus Canonico, quàm simplici beneficiato, plus Nobili quàm ignobili, plus Doctori,

Gra-

Graduato, aut insigniter docto, aut plus laboranti, quàm aliis. Notant præterea DD. quòd, sicut pretium rerum non est indivisibile, sed datur infimum, medium, & summum, ita etiam congrua sustentatio habeat suos gradus respectu ejusdem personæ, v. g. si infimum congruæ essent 500. medium forent 600. & summum 700. floreni annuatim. Sicut autem cuilibet est permissum rem suam summô vendere pretiô, ita & Clericis fas erit summum congruæ sibi attribuere. Jam quæstio est, an & quorum bonorum dominium & liberam administrationem habeant Clerici, maximè Beneficiati.

Dico 1. Clerici omnes sunt absoluti domini 3
bonorum patrimonialium. 2. Quasi-patrimonialium. 3. Et parsimonialium. 4. Consequenter de iis liberè possunt disponere ad causas æquè profanas ac pias. Ita plerique omnes. De *Patrimonialibus* constat indè, quòd per Clericatum ea non amittant, vel incapaces dominii reddantur. De *quasi-patrimonialibus* exinde, quòd ea recipiant instar mercedis & stipendii: atqui de ratione mercedis & stipendii est, ut transeat in dominium operarii, ut constat ab inductione Officialium, Opificum &c. De *Parsimonialibus* ex eo, quòd debeantur propriæ industriæ, & sint fructus quasi industriales, qui omni Jure debentur parcè viventibus quasi lucrum ex industria & parsimonia obveniens. *Libera dispositio* sequitur ex natura absoluti & pleni dominii, nec à Jure, nec à Fidelium ullo ligati, vel onerati. Restat igitur solùm quæstio de *Beneficialibus*. De quibus.

4 Dico 2. Clerici Beneficiati sunt verè domini bonorum seu redituum beneficialium, ad congruam sustentationem necessariorum. Communis contra quosdam Canonistas antiquos, & probatur ex Trid. *s. 23. c. 1. §. siquis autem.* ubi statuit, eos Beneficiatos, qui non residunt, *pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere.* Idem statuit *s. 24. c. 12. de ref.* de provisis ad beneficia Curata, Canonicatus, & Dignitates Ecclesiæ Cathedralis, intra bimestre Professionem Fidei non emittentibus, quòd scilicet *fructus non faciant suos.* Ergo à contrario, qui residunt, & Professionem emiserunt, fructus faciunt suos, saltem aliquos, consequenter illos saltem, qui ad congruam sunt necessarii. Atqui fructus facere suos idem est, ac eorum consequi dominium. *arg. l. 2. §. 2. ff. de R. C. & c. un. de Cler. non resid. in 6.* atque communis Juristarum loquendi modus satis superque id evincit. Unde apparet, quòd Beneficiati etiam de his bonis liberè valeant disponere.

5 Dico 3. Clerici Beneficiati sunt quoque verè domini beneficialium superfluorum. Ita hodie communissima Scriptorum Societatis JESU, imò communis quoque aliarum Scholarum, ut ex Thomistica testatur P. Mezger, ex Scotistica P. Sporer, imò teste Pallavicino Patres Concilii Tridentini jam vocabant *valde communem sententiam*, quo tempore floruit Dominicus Sotus, qui *l. 10. de J. & J. q. 4. art. 3.* ait, hanc sententiam sibi ita esse persuasam, ut, quamdiu Ecclesia contrarium non definierit, nesciret, an eam posset deserere, eò potissimùm, *cùm S. Thomas eam teneat, neque ullus ejusdem Ordinis Pater contrarium expressè dicat.*

cat. Interim tamen dicunt, Antiquos ferè omnes (qui utique Soto & S. Thoma antiquiores fuerint) contrarium tenere, quos ex Recentioribus secuti sunt Sfondrati, Van-Espen, Sannig, favente P. Reiffenstuel *h. n. 50.* ac nuper quidam Oeniponti, quem in suis Thesibus magisterialiter refutavit Dilingæ anno 1729. P. Augustinus Diesbach. Assertio probatur 1. eodem argumento, quo prior; quia Trident. *lo. cit.* non distinxit inter fructus ad sustentationem necessarios, & superfluos: ergo utrosque faciunt suos, qui residunt, & Professionem faciunt, Beneficiati: sicut non residentes & Professionem non facientes Tridentinum utrisque privavit in pœnam indistinctè. Confirmatur utraque assertio: Beneficiatis assignati sunt omnes reditus beneficiales indistinctè per modum mercedis & stipendii propter ministeria sacra: ergo omnes (tam necessarii quàm superflui) indistinctè transeunt in dominium plenum Beneficiatorum; non minùs ac reditus stolæ, & bona quasi-patrimonialia; id quod Adversarii admittunt. Prob. 2. Per divisionem rerum acquiritur dominium. §. *5. & fin. Inst. de Off. Jud. l. 1. 2. C. communia utriusque Judicii.* Sed Clericis in divisione bonorum & redituum Ecclesiasticorum, priùs communium, certi reditus sunt assignati sine differentia inter necessarios & superfluos, ut patet ex *can. 23. 25. 27. 28. caus. 12. q. 2.* in quo *can. 27.* Gelasius Papa decernit bona Ecclesiastica in quatuor partes esse dividenda, *quarum una sit Pontificis seu Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis*

applicanda. Vel ergo pauperibus ſurripiendum erit plenum ſuæ partis dominium, quod nemo dixerit, vel etiam Epiſcopo & Clericis relinquendum eſt ſuæ portionis. Prob. 3. Ex communi perſuaſione, & praxi, cùm nullus Pontificum vel Epiſcoporum urgeat reſtitutionem eorum, quæ Clerici de ſuperfluis in profanos uſus expendunt, aut hanc praxim damnet; quod utique fieri debuiſſet aut deberet, ne pauperes & Eccleſiæ rebus ſuis defraudarentur. Prob. 4. ex Bulla *Cùm ſicut* Julii III. edita anno 1550. ubi Papa ait, *pecunias & alias res, occaſione Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac Beneficiorum Eccleſiaſticorum provenientes, poſtquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt, & cum aliis ipſorum Beneficiatorum fructibus commixti ſunt &c. non ulteriùs in Eccleſiaſticis, ſed potiùs in ipſorum Beneficiatorum propriis, & ab eis acquiſitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro ſæcularibus & profanis haberi.*

6 *Objic.* 1. Clerici in *can. 19. cauſ. 12. q. 2.* vocantur diſpenſatores ſuorum redituum: ergo non ſunt domini. 2. Dicuntur committere ſacrilegium, imò furtum, ſi bona Eccleſiaſtica ſibi attribuant, vel malè expendant. *can. 6. cauſ. 1. q. 2. c. 4. h. t.* &c. ergo non ſunt domini. 3. Bona Beneficialia à SS. Canonibus & SS. PP. appellantur *res Dei, patrimonium Chriſti, bona pauperum:* ergo eorum domini non ſunt Clerici. 4. S. Bernardus *in ep. 2.* ad Fulconem ait: *quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum, de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* ergo. 5. Si bona ſuperflua cedunt Clericis per modum mercedis, committi-

tur

tur Simonia, quam utique horrebimus admittere. ℟. ad 1. *N. ant.* nam non redituum suorum, sed bonorum ad ipsas Ecclesias pertinentium, vocantur dispensatores, non quidem in *d. can. 19.* sed alibi: quoad suos reditus sunt quidem dispensatores, at non meri, sed simul domini, quod minimè repugnat. Ad 2. iterum est sermo de bonis ad Ecclesias pertinentibus, atque de illo tempore, quo nondum fuit facta divisio horum bonorum, & una pars per erectionem Beneficiorum necdum assignata Clericis Ecclesiarum ministris. In *c. 4. cit.* agitur de Prælato ex oblationibus & reditibus ipsius Ecclesiæ emente, & malè expendente. Ad 3. vocantur *res Dei & Christi*, non quòd eorum particulare dominium pertineat ad Deum vel Christum, sed quòd ad colendum Deum, & amore Christi, sint à fidelibus oblata Ecclesiis, & hujus Ministris deputata: quæ quidem ante dictam divisionem, & erectionem Beneficiorum, pertinebant ad particulare dominium Ecclesiæ tanquam personæ fictæ, uti & omnes reditus Ecclesiastici; post divisionem verò & erectionem Beneficiorum pars redituum assignata est Clericis. *Bona pauperum* appellabantur, quia Clerici olim vivebant in communi, carentes omni dominio, uti nunc Religiosi; de quibus temporibus intelligendi sunt SS. Patres & antiqui canones; qui insuper sæpe loquebantur exaggerativè, & impropriè: sic S. Hieron. relatus in *can. hospitalem d. 42.* universim, etiam de laicis, pronuntiat, *aliena rapere, qui ultra necessaria sibi retinere probatur.* Et S. Aug. *in Ps. 147.* ait: *res alienæ possidentur, dum possiden-*

tur superflua. Quis talia accipiat in sensu proprio? Si reditus post divisionem suprà relatam,& erectionem Beneficiorum, à quibusdam vocantur *bona pauperum*, vel *Dei*, indè fit, quòd Clerici habeant obligationem, personalem saltem, ex præcepto Ecclesiæ, superflua erogandi in pauperes, vel in causas pias; quam nec ego abnuo. Ad 4. S. Bernardus, qui scripsit post divisionem, usus est exaggeratione & auxesi Oratoria, & communiter à DD. intelligitur in sensu latiori (aliàs etiam committerent Clerici rapinam, si de quasi patrimonialibus aliquid sibi retinerent, vel si ultra victum & vestitum simplicem aliquid expenderent in largitionem moderatam, honestam recreationem &c. quod nec Adversarii concedunt) non in eo rigore, quem verba præseferunt, sed in hoc, quod superflua debeant expendere piè quocunque ex titulo, aut Jure. Ad 5. Hoc pacto nec quasi-patrimonialia, nec ad sustentationem necessaria, à Clericis accipiuntur sine Simonia, quia per modum mercedis accipiuntur; quod plerisque Adversariis dicere non libet. Dic ergo, etiam superflua accipi per modum mercedis non rigorosæ, sed potiùs per modum stipendii ad sustentationem, ut ut illud liberale sit: vel, si velis vocare mercedem propriè dictum, dic illam non considerari ut proportionatam ministeriis sacris, quod foret Simoniacum, sed proportionatam personæ & ex Justitia debitam pro sustentatione juxta illud Christi, *dignus est operarius mercede sua.*

7 Dico 4. Clerici Beneficiati, non obstante, quòd sint suorum redituum omnium veri domi-

ni,

ni, superfluos tamen tenentur erogare in causas pias. 2. Non quidem ex Justitia, uti Laym. & Pirhing &c. volebant. 3. neque ex virtute Charitatis, uti putabant Molina & Palao. 4. Neque ex virtute Religionis, uti contendebant Lugo & P. Franc. Schmier. 5. Sed ex solo præcepto Ecclesiæ 6. Eóque partim scripto, partim tradito; adeóque ex virtute obedientiæ tantùm. Pars 1. videtur esse omnium, licèt in radice hujus obligationis non conveniant. Pars 2. 3. & 4. probatur negativè, quia non satis probatur obligatio Juris Naturalis aut Divini, descendens ex virtute vel Justitiæ, vel Charitatis, vel Religionis; imò probatur oppositum ex variorum Pontificum Bullis, qui Clericis in Urbe, & districtu Romano usque ad 10. Milliaria existentibus, dederunt licentiam etiam de superfluis liberè disponendi per actus inter vivos vel ultimæ voluntatis ad causas quoque profanas, ut ex Bulla *Etsi Universis.* Sixti IV. ex Bulla *Cupientes* Julii III. ex Bulla *In eminenti* Pauli V. & ex Bulla Innoc. XII. qui non ita pridem simile privilegium concessit Jodoco Edmundo, Episcopo Hildesiensi, quæ exstat apud Struckium *in appendic. ad tract. de Cautelis Testament.* Pars 5. & 6. quam tenent Domin. Sotus, Covarruv. Garc. Less. Sanch. Haun. & longè communior modernorum Theologorum, & Canonistarum, desumitur ex *caus. 1. q. 3. can. 13. & caus. 12. q. 2. can. 13. &c.* item ex Trid. *s. 25. c. 1. de ref.* ubi Clericis *omnino interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cùm & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, con-*

sanguineis donent. Ergo Ecclesia prohibet superflua expendi in causas profanas. Quia verò dicta Jura videntur loqui de rebus & reditibus Ecclesiarum, seu ad Ecclesias pertinentibus, vel de temporibus divisionem rerum Ecclesiasticarum & beneficiorum erectionem antegressis, non sufficienter probarent nostram assertionem, nisi communis DD. interpretatio, aliquam obligationem piè expendendi Clericis imponentium ex una parte accederet; ex altera verò nulla ratio satis probat obligationem Juris Naturalis & Divini; indè deducitur, quòd hæc obligatio oriatur ex Jure Ecclesiastico, non merè *scripto*, sed simul etiam *tradito*, quod nobis explicat communis DD. sensus

8 *Objic.* 1. Card. Sfondrati *in Nepotismo §. 2. n. 1.* ait, Clericos ex Jure Divino & Humano tam certò obligari ad reditus superfluos piè erogandos, *ut probatione non indigeat; cùm omnes Patres, omnes canones, omnes leges, Divinæ Humanæque, ac denique omnes Theologi hoc ipsum uno ore profiteantur.* 2. Quamvis Clericis adstruatur dominium in reditus superfluos, illud tamen est ligatum vinculô Justitiæ ad eos piè expendendos, eò quòd fundatores Beneficiorum sub hoc onere, ex pacto saltem tacito, tam amplos ipsis reditus consignârint, utique nolentes ipsis dare ansam superbiæ & luxûs, sed potiùs DEI cultum & subsidium pauperum intendentes. 3. Clerici ratione statûs debent esse patres pauperum: ergo ex virtute Charitatis superflua tenentur dare pauperibus. 4. Ratio, cur Ecclesia præcipiat superflua expendi in causas pias, est, quòd sint *bona Dei*, & *patrimonium pauperum:* ergo

sup-

ſupponit, hanc obligationem jam dari antecedenter ex virtute Religionis, vel Charitatis. R. ad 1. Card. Sfondrati nimium dixiſſe & falſum, tam certò conſtat ex dictis, ut nec probatione indigeat ulteriori. Ad 2. Quamvis fundatores tacitô pactô obligârint Prælatos & Adminiſtratores, ut bona à ſe donata & applicata Eccleſiis applicent ad illos uſus, ad quos applicari voluerunt, conſequenter etiam obligârint ad reditus Beneficiales beneficiatis conſignandos: negatur tamen, quòd ipſos beneficiatos, quibus aſſignati reditus tradi debent, obligare intenderint, ut expendant piè, ſicut nec Muſicos, Ædituos, & Officiales Laicos, quibus voluerunt dari certos reditus de bonis Eccleſiarum, ad id obligârunt. Id concedo, quòd deſideraverint, & ſperaverint, à Clericis piè expenſum iri ſuperflua juxta præceptum Eccleſiæ, quo contenti fuiſſe præſumendi ſunt, cùm novam obligationem Juſtitiæ, vel ex pacto, à ſe ipſis impoſitam eſſe, non ſatis probetur, præſertim cùm tam gravis obligatio Juſtitiæ poſſet cauſare plurimos ſcrupulos, & pericula ſalutis. Propter dictum deſiderium bona Eccleſiis & Clericis donata rectè dicuntur *vota fidelium*, &, quia fundatores obtulerunt ad obtinendam peccatorum veniam, *pretia peccatorum*. Ad 3. Quamvis deceat, ut Clerici ratione ſtatûs curam habeant pauperum, eósque ex ſuperfluis juvent, imò ad hoc etiam obligentur (ſaltem disjunctivè) ex præcepto Eccleſiæ (qua de cauſa non malè hæc bona dicuntur *patrimonia pauperum*) ſpecialis tamen obligatio extra caſum gravis vel extremæ neceſſitatis pauperum (quo caſu etiam Laici de patrimonialibus ſuccur-

currere tenentur pauperibus) non ſufficienter probatur. Dein hoc argumentum probaret, quòd Clerici nequeant ſuperflua expendere in alias cauſas pias, v. g. in ornamentum Eccleſiæ. Ad 4. Illa ratio dicit quidem convenientiam, non verò obligationem à Jure Naturali introductam; nec obligationem Religionis inducit illa ordinatio ad Dei cultum; quia per illam illi reditus nec fiunt ſacri in ſe, utì calices per conſecrationem, ut patet, nec fiunt ſacri, quia perſonis ſacris cedunt, aliàs etiam patrimonialia, & quaſi-patrimonialia, Clericorum fierent ſacra. Unde ergo obligatio Religionis? Certè, ſi propter hoc, quòd fundatores, offerendo Eccleſiis ſua bona, ſpectârint cultum Dei, & indè apud Clericos naſceretur obligatio Religionis, etiam Officiales Eccleſiarum Laici ſuos reditus ab Eccleſiis acceptos tenerentur piè expendere: quis autem hoc ſomniat? Satìs ſuum finem cultûs Divini obtinent fundatores, ſi Clerici, quibus liberaliter & ad ſuperfluitatem usque conſuluerunt, ſacra miniſteria obeant. Quamprimum Clericis, utì & Officialibus Laicis, applicantur ſui reditus, extrahuntur ex ærario & dominio Eccleſiæ, vel DEI, atque in illorum tranſeunt dominium, licèt cum obligatione ſuperflua piè expendendi, impoſita ſolo præcepto Eccleſiaſtico.

TITU-

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & Ultimis Voluntatibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Ultima voluntas, & quæ ejus species.*
2. 3. *Quid & quotuplex sit Testamentum.*
4. *Quæ sint solennitates Testamenti Scripti:*
5. *Et quæ Nuncupativi, de Jure Civili.*
6. *Et quæ de Jure Canonico, An hoc correxerit Civile.*
7. *An duo testes de Jure Canonico requirantur ad valorem, vel solùm ad probationem.*
8. *Testamentum ex parte voluntatis imperfectum est nullum.*
9. 11. 12. *Utì & imperfectum ex parte solennitatis, at non pro foro interno conscientiæ.*
10. *An corruente Testamento ruant & Legata.*
13. *Testamentum Pium valet sine omni solennitate.*
14. *Utì & Testamentum Nuncupativum inter liberos.*
15. *An, & quam solennitatem requirat testamentum Militis:*
16. 17. *Et Rusticorum, ac tempore Pestis conditum.*
18. *Testamentum Publicum, item Judiciale,*

seu

seu apud Acta, *vel* ad Acta, *non opus habet solennitate, modò ritè fiat.*

19. *Quid sit Codicillus, quid ad eum requiratur, & quid operetur.*
20. *Quid sit Substitutio Directa, & quotuplex.*
21. *Quid Indirecta seu Fideicommissaria. Quid & quotuplex Fideicommissum, an alienabile.*
22. *Quid Juris, si in casu Substitutionis institutus ingrediatur Religionem.*
23. *Quid sit Legatum.*
24. *Quid Donatio mortis causâ.*
25. *Ad omnem ultimam voluntatem, exceptò testamentô, requiruntur & sufficiunt 5. testes.*
26. *Quinam facere possint Testamentum.*
27. *An etiam Clerici Beneficiati vi consuetudinis.*
28. *Essentiale Testamenti punctum est institutio Hæredis.*
29. *Quid & quotuplex sit Hæres.*
30. *Quinam hæredes instituí possint:*
31. *Et quinam debeant, saltem in legitima.*
32. *Quid si legitima, & quæ partes Hæreditatis.*
33. *An & quando locum habeant exhæredatio.*
34. *Quo modo instituendus sit Hæres.*
35. *An censeatur institutus in omnibus bonis.*
36. *An instituí possit in re aliena.*
37. *Quibus remediis consequatur Hæreditatem.*
38. *Quid sit Hæreditas.*
39. *Ad quid obligetur Hæres illam adiens, & qui-*

quibus gaudeat privilegiis, si conficiat Inventarium.

40. *Quid sit Falcidia, & Trebellianica, quando utraque competat.*
41. *Adire, vel repudiare Hæreditatem qui possint.*
42. *Quibus modis resolvatur Testamentum.*
43. *An rumpatur per ingressum Religionis.*
44. 45. 46. 47. *Executio, & Executor Testamenti.*

§. I.

Quid & quotuplex sit ultima voluntas, maximè Testamentum. Ubi etiam de requisitis ad hujus valorem.

Ultima voluntas in genere dicitur esse gratuita dispositio de bonis in tempus mortis, seu post mortem. Firmatur, & vim suam obtinet post mortem, per quam aufertur potestas eam mutandi, atque ideo vocatur *ultima* voluntas; in vita enim semper est revocabilis pro libitu. *l. 4. ff. de adim. leg.* ibi: *ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum.* Ejus species sunt *Testamentum: Codicillus: Substitutio directa & indirecta: Legatum: Donatio mortis causâ.* 1

Dico 1. *Testamentum* definitur quidem *l. 1. ff. qui testam. fac.* sic: *est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit*; quia tamen hæc definitio non satis exprimit differentiam à reliquis ultimis 2

vo-

voluntatibus, nisi per tò *justa* idem significet, ac *legitima*, seu, *directam hæredis institutionem continens*, cùm juxta *l. 3. ff. de his, quæ in testam. delentur.* nullum testamentum valere possit, *quod hæredem non habet*, & quidem directè institutum. *§. 2. Inst. de fideicommiss. hæredit.* ibi: *opus est, ut aliquis recto jure testamentô hæres instituatur*; ideo clariùs & rectiùs definitur esse *ultima voluntas, directam hæredis institutionem continens.* Hæredis autem *institutio* est subrogatio hæredis in universum jus, quod tempore mortis habuit testator: *directa* autem erit, quando hæres ita est institutus, ut hæreditatem immediatè ab ipso testatore consequatur, non mediante alio, seu sine interventu & ministerio alterius, jus suum transmittentis, ut si testator dicat: *Cajus sit hæres meus.*

3 Dico 2. Testamentum dividitur in *Scriptum*, quod ab ipso testatore, vel ejus jussù & nomine ab alio in scriptis factum, vel saltem subscriptum est, vocatur etiam *Clausum*, quia in eo necessè non est illius tenorem, vel institutum hæredem manifestare testibus, sed sufficit, si testator iisdem dicat, in hac scriptura contineri suam ultimam voluntatem. Et in *Nuncupativum*, ein von Mund ausgesprochnes Testament/ quod sine scriptura & subscriptione fit, oretenus tantùm nominato coram testibus hærede; sive dein Notarius hanc ultimam voluntatem in scripturam redigat pro memoria & faciliori probatione, sive non. Dividitur utrumque 2. in *Solenne*, ein zierliches Testament/ seu *Perfectum*, quod habet omnes solemnitates à Jure requisitas: & in *Insolenne*,

non

non solenne, seu *Imperfectum*, aut *Privilegiatum*, quod nullas, vel non omnes habet solemnitates Juris, nihilominus tamen ex speciali Juris privilegio sustinetur & valet: cujusmodi sunt sex. 1. *Testamentum Pium*, seu ad causas pias cónditum. 2. *Testamentum inter liberos* factum à parentibus. 3. *Testamentum Militis* in expeditione Bellica. 4. *Testamentum Rustici*. 5. *Testamentum tempore Pestis*. 6. *Testamentum Publicum*, quòd nempe fit coram Principe aut ejus deputato, vel eidem offertur: item Testamentum *Judiciale*, quod etiam subinde Publicum appellatur, & fit vel coram Judice & vocatur *apud Acta*, vel saltem Judici offertur, & dicitur *ad Acta* datum.

Quæres, quænam de Jure Solemnitates requirantur ad Testamentum solemne? R. 1. Ad testamentum *Scriptum* de Jure Civili sequentes. 1. Debet esse redactum in Scripturam vel ab ipso testatore, vel ejus jussu ab alio nominatim expresso, &, si ipse non scripsit testator, debet postea coram testibus subscribere, aut vocare testem octavum, qui ejus loco subscribat. 2. Debet testator per se, vel alium, specialiter rogare testes septem, seu convocare ad testificandum, vel, si aliàs jam sunt præsentes, rogare, seu monere, ut velint esse testes sui testamenti. 3. Et quidem testes idoneos, quales aliqui de Jure non sunt, utì servi propriè dicti: mulieres: impuberes: furiosi, & prodigi declarati: muti: surdi: cæci: infames infamiâ Juris: inviti & coacti: in potestate testatoris, vel alicujus testis, constituti, utì filiusfamilias in testamento patris, cùm reputentur pro uno corpore familiæ: hæres ipse; & generaliter 4

omnes inteſtabiles, qui nempe ob improbitatem morum teſtes agere nequeunt in aliis negotiis, inteſtabiles activè, qui propter delictum facere teſtamentum, & inteſtabiles paſſivè, qui hæredes inſtitui non poſſunt. 4. Et hi teſtes ita debent eſſe præſentes, ut teſtatorem audiant atque videant. 5. Coram his teſtibus teſtator per ſe, vel per alium, affirmare debet, in charta, quam exhibet, contineri ſuum teſtamentum & ultimam voluntatem ſuam. 6. Cui chartæ debent omnes teſtes ſua nomina ſubſcribere propria manu, v. g. hoc modo *ego Titius teſtis rogatus teſtamentum Sempronii propria manu ſubſcripſi:* vel: *teſtor, quòd à Sempronio teſtatore audiverim, in præſenti charta contineri ſuam ultimam voluntatem* &c. Videtur autem ſufficere (ſaltem de Jure Bavar.) ſi primi duo vel tres dicto modo ſubſcribant, reliqui autem hoc modo, *idem teſtor & ego Cajus*, vel, *ego Titius teſtor, ut primi duo* &c. Siqui ex teſtibus neſciant ſcribere, conceditur ipſis, ut alii conteſtes eorum loco ſubſcribant, expreſsè addendo, ſe rogatos aliorum loco ſubſcribere. 7. Iidem teſtes debent apponere ſinguli ſua ſigilla: ſi aliqui non habeant propria ſigilla, alius vel alii conteſtes ſua pro illis apponere valent, & ſic bis vel ter exprimere, imò carens ſigillô permittitur apponere ſigillum extranei; oportet tamen exprimere & fateri, ſe alienô ſignaculô ſubſignâſſe. 8. Atque totum hoc negotium abſolvi neceſſe eſt in uno contextu, h. e. nullo actu, qui ad teſtamenti factionem non pertineat, interpoſitô, & coram teſtibus omnibus ſimul congregatis; ſi tamen actus brevis impertinens, quem urgens natura, vel

cor-

corporalis necessitas, aut ratio sanitatis in testatore vel teste exigit, interveniret, nihil obesset. Denique consuetum, imò & consultum est adhibere Notarium publicum, specialiter requisitum, ut nempe securior sit testator de solennitatibus ritè adhibitis, & testamentum, si Notarius super illo conficiat Instrumentum Authenticum, vel sua subscriptione & sigillo authenticam fidem faciat testamento Instrumenti publici instar, minus habeat periculi, ne corruat, quod subiret, si contingeret unum vel plures testes émori ante testatorem. Sumuntur hæ solennitates ex §. 3. *seqq. Inst. de Testam. ordin. l. 18. 20. 21. ff. qui testam. fac. poss. l. 9. 21. &c. C. h. t.* Recess. Spir. *de anno 1512.* Jure Barvar. *tit. 34.*

§ 2. Solennitates testamenti *Nuncupativi* de Jure Civili sunt hæ. 1. Etiam in hoc adhibendi sunt 7. testes idonei, rogati, seu ad testificandum requisiti. 2. Debet testator eosdem jam præsentes per se vel per alium monere, quòd intendat facere testamentum, & quidem nuncupativum. 3. Tum coram iisdem simul præsentibus voluntatem suam circa hæredem, & legata, siqua facere velit, oretenus per se, vel per alium, manifestare, aut ex charta prælegere, consequenter in hoc testamento celari hæres non potest, adeóque non sufficit, si testator se referat ad schedam, in qua descriptum ait esse hæredes; quamvis id procedat in testamento scripto; cùm talis scheda censeatur esse pars testamenti scripti. 4. Totum rursus negotium in uno contextu, & eodem moraliter tempore & loco peragendum est. Proin eædem ferè solennitates necessariæ sunt, quæ ad

testamentum Scriptum, excepta subscriptione & subsignatione testatoris & testium, atque specificantur in *l. 21. ff. l. hac consultissima. 8. C. qui testam. fac. poss. l. hac consultissima 21. §. 2. & l. 20. 29. C. h. t.* Notarius etiam in hoc testamento propter dictas superiùs rationes consultò (non necessariò) adhibetur.

6 §. 3. Jus Canonicum discrepat à Jure Civili, & duos tantùm vel tres testes ad testamentum requirit in *c. cùm esses 10. h. t.* ibi: *quia verò à Divina lege, & SS. PP. institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id* (nempe subscriptio vel præsentia septem vel quinque testium in testamento & ultima voluntate) *noscitur esse alienum, cùm scriptum sit, quòd in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, præscriptam consuetudinem improbamus: & testamenta, quæ Parochiani coram presbytero suo* (nempe Parocho) *& tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere.* Ex quo textu aliqui inferre volebant, quòd Jus Canonicum correxerit Jus Civile quoad numerum testium, ita ut neque in foro Civili & in terris Imperii requirantur ad valorem testamenti septem testes, sed sufficiant duo vel tres cum vel sine Parocho (hunc enim non determinatè requirit Jus Canonicum, sed solùm occasione facti, quod Pontifici propositum erat, mentionem Parochi facit, non per modum decisionis) quasi nempe Jus Civile plures requirendo testes foveat peccatum, cùm textus dicat, *id à Divina lege*, duos tantùm vel tres testes exigente pro omni negotio, *alienum esse.* Sed contraria sententia est communis & vera; cùm per id *alie-*

dienum à Divina lege nihil aliud voluerit Jus Canonicum dicere, quàm quòd sit *præter*, non *contra*, legem Divinam, juxta quam quidem sufficiunt in quolibet negotio duo vel tres testes, non tamen prohibetur ex justis causis plures requirere; aliàs Tridentinum, requirendo ad valorem Matrimonii præter duos vel tres testes insuper Parochum, egisset contra Jus Divinum. Pontifex in *d.c.10.* rescripsit ad Episcopum Hostiensem, qui existit in territorio temporali Papæ, atque ideo ejus dispositio præcisè territorium temporale Pontificis, utì & forum Canonicum, respicit, ad quod pertinent Testamenta Pia, & Testamenta Clericorum, etiam ad causas profanas testantium, nisi in his aliud obtineat consuetudo, non verò afficit terras Imperii & forum Civile, imò nec potuit eò usque se extendere; cùm in Pontificis potestate non sit leges Civiles in causa merè profana, & peccatum non concernente, pro foro Civili immutare. Igitur juxta communem Regulam statuendum: ubi Jus Civile & Canonicum in materia profana & peccatum non involvente inter se discrepant, quodlibet est observandum in suo foro & territorio, consequenter quoad testamenta Jus Civile in terris Imperii & foro Sæculari: Jus Canonicum in territorio temporali Papæ, atque in foro Ecclesiastico, ad quod utique etiam pertinent Clerici. Quæstionis tamen est, an duo vel tres testes, quos requirit Jus Canonicum, requirantur per modum solemnitatis, ac ad valorem testamenti, an verò ad probationem duntaxat? Ego censeo, &

Dico 3. Duo vel tres testes, quos requirit 7

Jus Canonicum in *cit. c. 10.* probabiliùs pertinent ad ſolennitatem ſubſtantialem, ac ad valorem Teſtamenti, & non præcisè ad hoc, ut per eos probetur ultima voluntas. Proin, licèt de hac voluntate teſtatoris aliunde. v. g. per manum teſtatoris agnitam, ſatìs conſtaret, ſi tamen duo vel tres teſtes, & quidem idonei, ac ſpecialiter rogati, non interveniſſent, aut negotium non in uno contextu fuiſſet abſolutum, teſtamentum (excepto Pio) non valeret. Abb. Covarruv. & teſte P. Schmier, licèt adverſario, *de ſucceſſ. hæred. c. 2. n. 28.* major DD. numerus. Probatur: Jus Canonicum in materia adiáphora ſeu indifferenti, ubi diverſum à Jure Civili nihil ſtatuit, ſequitur Leges Civiles. *c. 1. de N. O. N.* Sed Jus Canonicum quoad teſtamenta nihil diverſi à Jure Civili ſtatuit præter numerum teſtium, pauciores requirendo: ergo in materia teſtamenti quoad alia ſequitur Leges Civiles, quæ proin etiam in foro Eccleſiaſtico, & in territorio Papæ, ſunt obſervandæ, excepto ſolo teſtium numero: atqui Jus Civile 7. teſtes idoneos & rogatos requirit ad valorem & ſubſtantiam teſtamenti ac per modum ſolennitatis ſubſtantialis: ergo & Jus Canonicum ad ſubſtantiam & valorem Teſtamenti requirit duos vel tres teſtes, eósque idoneos, & ſpecialiter rogatos &c. *Objic.* Pontifex in *c. 10. cit.* voluit reprobare ſolemnitatem Juris Civilis ad valorem Teſtamenti requiſitam: ergo credibile non eſt, quòd ipſe voluerit præſcribere novam ſolemnitatem ſubſtantialem 2. vel 3. teſtium; præſertim cùm ſe fundet in Lege Divina, vi cujus *in ore duorum vel trium ſtat omne verbum*: ſed de Jure Divino hic numerus

jus testium utique non requiritur ad valorem per modum solemnitatis substantialis, sed solùm ad probationem actûs. R. *dist. antec.* voluit reprobare solemnitatem Juris Civilis aliquam, videlicet quam expressit, consistentem in majori numero testium. *C. antec.* aliam quoque, quam non expressit, & omnem solemnitatem. *N. antec. & conf.* Omne Jus correctorium est odiosum & strictæ interpretationis, atque ideo non censetur plus correctum, quàm sit expressum. Pontifex allegavit quidem Jus Divinum, duos vel tres testes non requirens per modum solemnitatis substantialis, exinde tamen non sequitur, quòd Pontifex illos non requisiverit per modum solemnitatis, quia non expressit, quòd velit recedere à Jure Civili, testes (quos quidem exigit plures, quàm Jus Canonicum, & quidem idoneos, ac specialiter rogatos) requirente per modum solemnitatis substantialis.

Dico 4. Testamentum imperfectum ex parte actûs seu voluntatis (id quod intellige de quacunque alia ultima voluntate) seu quod quidem aliquis facere decrevit, vel jam inchoavit, vel sæpius dixit, se velle hunc aut illum instituere hæredem, hoc vel illud legare certis personis &c. morte tamen præventus, vel aliter impeditus, non perfecit, est nullum in utroque foro, ex- & interno, etiamsi aliàs esset privilegiatum, nullas requirens solemnitates, uti Testamentum ad causas pias, inter liberos &c. Ita communis cum Covar. contra Abb. quia tali casu solùm datur propositum testandi, vel per ultimam voluntatem disponendi, non 8

ipsum testamentum, vel voluntas de præsenti, aut actualis dispositio.

9 Dico 5. Testamentum imperfectum ex parte solemnitatis, seu deficiens in aliqua solemnitate ex hucusque recensitis, regulariter est nullum & irritum, saltem pro foro externo, si nempe non sit privilegiatum. Communis contra Bartol. & quosdam alios, propter claros textus in *l. 9. 12. & 21. C. h. t.* Dixi, *regulariter*; excipitur enim casus, quo hæres ab intestato ipse percepit, ac fatetur voluntatem defuncti, alium pro hærede in tali testamento instituentis. *l. fin. C. de fideicommiss.* Id quod etiam procedit de legato, vel fideicommisso, quod testator fecit in tali testamento imperfecto, & hæres ab intestato scit, & fatetur. *§. fin. Inst. de fideicommiss. hæred. & l. 16. C. h. t.* item *l. fin. cit.* ubi non tantùm de Legatis & Fideicommissis, sed etiam de Testamentis, per verba, *ne quid falsitatis incurrat per duos fortè testes compositum testamentum*, sic disponitur. Quòdsi hæres ab intestato id non fateretur, hæres tamen institutus, aut legatarius, sciret eum præsentem fuisse, quando testamentum, vel legatum fiebat, & audivisse, aut aliàs certò cognovisse voluntatem defuncti, alium hæredem volentis, aut legatum relinquentis alteri, posset hæredi ab intestato, si priùs ipse juret de calumnia, deferre juramentum, quo juret se nihil scire: quod si recusaret, hæreditas devolveretur ad hæredem institutum, vel legatum ad legatarium. *l. fin. & §. fin. citt.* Addidi, *si non sit privilegiatum*, de quo paulò pòst.

10 Quæres, an corruente propter defectum solemnitatis testamentò etiam legata, & fideicom-

commissa particularia, corruant? R. Si sint profana, corruunt. *l. 29. C. de fideicommiss.* quia accessorium sequitur principale. Nec obstat, quòd in testamento adhibiti sint §. testes, qui aliàs ad Legatum extra testamentum sufficiunt. Excipe 1. nisi testamento appositа fuerit clausula codicillaris, de qua infrà. per *l. 1. ff. de Jure Codicill.* Excipe 2. casum, quo hæres ab intestato jam solvit legatum in testamento insolemni relictum. *l. 2. C. de fideicommiss. l. 16. cit.* Dixi, *profana*; nam pia legata subsistunt, quia hæc sunt specialiter privilegiata, & ideo per se stant, nec sequuntur suum principale, utpote quod non est æqualiter privilegiatum. *Objic.* Legata profana testamento Pio insolenni inserta sustinentur, licèt neque testes §. fuerint adhibiti: ergo vice versa etiam subsistunt legata profana testamento profano insolenni & invalido inserta. R. *N. cons.* quia utrobique legata sequuntur principale, & valent, si istud subsistat, ac viciſſim corruunt eodem corruente.

Dico 6. Testamentum imperfectum ob defe- II
ctum solemnitatis probabiliùs valet pro foro interno, & in conscientia vim habet tam quoad institutionem hæredis, quàm quoad legata in eo relicta. Ita cum antiquis Theologis & Juristis plerisque Sotus, Molin. Saa, Fachin. *l. 4. controv. c. 5.* Reiffenstuel *h. t. n. 106.* & alii contra Covar. Ferd. Vasq. Lug. Haun. Arnold. Rath, P. Wiestner & alios Recentiores non paucos. Prob. 1. Ex una parte valet tale Testamentum spectato Jure Naturali, ex altera non probatur sufficienter irritatio à Jure Positivo statuta pro foro interno: ergo pro hoc foro valet. 2. Leges irritantes sunt odiosæ: ergo

sunt restringendæ. *c. 15. de R. J. in 6.* ergo Leges Testamentum imperfectum irritantes sunt restringendæ ad forum externum, præsertim cùm in sensu proprio intelligi adhuc possint etiam taliter, restrictæ, & insuper Reipublicæ adhuc satis sit consultum, si Judices teneantur tale testamentum pronuntiare irritum, quod legibus humanis, regimen politicum externum principaliter spectantibus, conforme non est. 3. Huc applicari possunt argumenta, quibus ad *tit. de Constitut. n. 23.* probavimus, leges simpliciter irritantes, & nullam mentionem facientes de foro interno, non irritare actus pro foro interno, v. g. electionem Prælati Ecclesiastici, & alienationem rerum Ecclesiasticarum, sine solennitatibus Juris factam. Unde meô judicio multi graves DD. qui in his casibus nobiscum senserunt, hîc autem discrepant, non satis consequenter loquuntur. Excipe tamen casum, quo res ad Judicem deducta est, & iste contra valorem testamenti sententiam tulit, cui utique in conscientia parére tenetur hæres in tali testamento institutus, & condemnatus, utpote justè & secundùm leges pronuntianti, & jus tribuenti hæredibus ab intestato.

12 *Objic.* 1. In *§. 7. Inst. quib. mod. testam. infirm.* Testamentum *imperfectum* absolutè dicitur *nullum*, infectum &c. ergo pro utroque foro est nullum. 2. In *l. hac consultissima 21. §. 1. C. h. t.* sic habetur: *ex imperfecto testamento voluntatem defuncti tenere non volumus.* Similia reperiuntur quoque in aliis textibus: sed, ubi ipsa voluntas redditur inefficax, nec obligatio naturalis & in conscientia oritur, ut patet in Religiosis, quorum vo-

lun-

luntas & dispositio circa res temporales sine consensu Superiorum nullarum est virium, etiam in foro interno. 3. Non-voluntas nullam omnino producit obligationem, nec ullum tribuit jus: sed voluntas, absolutè irritata, est non-voluntas: ergo. 4. Lex justa pro foro externo est etiam justa pro foro interno, ut habet commune axioma: ergo etiam lex pro foro externo testamenta insolennia irritans procedit quoque in foro interno. R. ad 1. In *d. §.* est sermo de testamento ex parte actûs & voluntatis imperfecto, quod nempe testator non perfecit, præventus morte, vel aliter impeditus: quod omnino nihil valere, jam suprà nos ipsi docuimus. Sed huc non quadrat, quia loquimur de testamento debitis solennitatibus destituto, & propter hunc defectum imperfecto. Ad 2. Dicitur quidem ibi *voluntas non tenere*, at quia nihil additur de foro interno, rectè intelligitur solùm de foro externo. Paritas cum Religiosis nulla est; quia horum voluntas, & dispositio, sine consensu Superioris facta, satis etiam pro foro interno intelligitur esse irritata per abdicationem omnis dominii, quo se exuunt, & ejus incapaces se faciunt ex dispositione Ecclesiæ per votum paupertatis: sed disponens de re, cujus dominium non habet, utique nulliter agit pro omni foro: Testator autem disponit de rebus propriis, & suis. Ad 3. *dist. min.* voluntas, absolutè irritata, est non-voluntas pro foro externo. *C. Min.* pro foro etiam interno, si id lex irritans non exprimat saltem virtualiter. *N. min.* Ad 4. *N. cons.* & explico axioma: lex justa pro foro externo est etiam justa pro interno, h. e. obligat in foro interno

terno saltem ad aliquid, quia de essentia legis justæ est obligatio saltem ad aliquid, nempe ad quod Legislator intendit obligare; adeóque lex justa pro foro externo essentialiter obligat: at lex *irritans* simpliciter non essentialiter irritat etiam pro foro interno; nam irritatio pro foro externo tantùm, absolutè est possibilis, & separabilis ab irritatione pro foro interno simul: ergo lex simpliciter irritans non est extendenda ad forum internum, utpote odiosa & strictæ interpretationis. Dices: nihil interest in effectu, an testamentum dicatur valere vel non valere in foro interno: ergo. N. *antec.* Si enim non valeret, non possent hæredes, vel legatarii, quidquam accipere, aut acceptũ retinere ex imperfecto testamento, licèt ipsis probè constaret de voluntate testatoris, sed tenerentur omnia reddere hæredibus ab intestato: econtra, si valeat pro foro interno, hæredes instituti, & legatarii, licitè accipiunt, vel retinent hæreditatem vel legatum, licèt sciant, testamentum pro foro externo esse nullum; hæredes verò ab intestato, si sciant voluntatem defuncti, obligatione naturali tenentur ipsis relinquere, nisi velint impugnare testamentum, & eo expugnato per sententiam Judicis relicta obtineant, quam actionem & remedium nullitatis ipsis Jura concedunt, nec nos denegamus; licèt denegare videantur Abb. Molin. Less. Fagnan. Hucusque de Testamentis *Solennibus*, nunc de *Insolennibus*, seu de *Privilegiatis*.

13 Dico 7. Testamentum *Pium*, seu ad causas pias (h. e. in quo instituitur pro hærede vel locus pius, ut Ecclesia, Monasterium, Hospitale &c. vel pauperes, etiam consanguinei non

quà

quà consanguinei, sed ex pio motu misericordiæ &c. vel aliqua communitas, aut persona aut locus ex motivo spectante Dei cultum, vel animarum salutem, aut, ut vult Menochius, utilitatem publicam Reipublicæ politicæ) valet in utroque foro, licèt omni careat solennitate, modò sufficienter constet de voluntate testatoris quocunque modo. Communis & certa, hodie quoque apud plerosque Legistas, dissentiente tamen Fachin. Ratio, quia Jus Canonicum (non Jus Civile, cui nulla in causas pias est potestas) observandum est in toto Orbe Christiano, etiam à Laicis in foro Civili, quoad has causas. per *c. 7. & 10. de constit. c. 11. h. t.* Sed Jus Canonicum in *d. c. 11.* reprobat solennitates in testamento Pio, se fundans in Lege Divina, *in ore duorum vel trium stat omne verbum.* Neque dicas, in *d. c. 11.* à Pontifice requiri *duos vel tres testes legitimos*; quia hos requirit non tanquam solemnitatem, sed præcisè ad probationem, si aliunde non satìs constare posset de voluntate testatoris. Siquidem Jus Canonicum nullibi ad valorem testamenti requirit aliquam solemnitatem, ubi Jus Civile non requirit: atqui Jus Civile pro testamento Pio nullibi requirit solemnitatem, imò nec requirere potest; cùm causæ piæ sint extra vel supra ejus sphæram ac potestatem. Proin Testamenta Pia præcisè regulantur secundùm Jus Naturale, quod in testatore exigit usum rationis, actualem voluntatem, & potestatem disponendi, item secundùm Jus Divinum, Gentium, & Canonicum, quæ plus non exigunt, quàm ut constet, sive ex scheda per manum testatoris, satìs agnitam, scripta, sive

per

per duos teſtes (uni enim teſti non tenetur credere hæres ab inteſtato) ſive per nutum ad interrogationem alterius ſufficienter probatum &c. Nec tibi ſcrupulum moveat, quòd Jus Canonicum requirat teſtes *legitimos*, caſu quo per teſtes probari debet voluntas teſtatoris; quia per id ſolùm indicatur, quòd debeant eſſe teſtes, qui in aliis negotiis de Jure Canonico ad probandum ſunt habiles, & hoc Jus propterea repellere velit ſervos, infames infamiâ Juris, excommunicatos vitandos &c. licèt non reprobet teſtes, qui ſolùm de Jure Civili ſunt inhabiles. Sic etiam Teſtamento Pio non obeſt, ſi hæreditas alterius arbitrio relinquatur; ſi inſtituatur hæres incertus, ut ſi dicat teſtator, pro hærede inſtituo Deum, cauſas pias, pauperes in genere, vel quos elegerit Titius &c. quæ omnia ſecundùm Jus Civile Teſtamento profano officiunt, & valorem adimunt. Cæterùm aſſertio non ſolùm procedit de inſtitutione hæredis, ſed etiam de legatis piis, ſive fiant extra teſtamentum, ſive in teſtamento pio (quod tamen non procedit quoad inſtitutionem hæredis, ſi teſtamentum præcisè inchoatum, at non perfectum fuit ex parte voluntatis) ſive in teſtamento profano, nulliter condito, vel non adito ab hærede. Porro adverte, quòd, ſi teſtamentum partim ſit Pium, partim Profanum, debeant omnes ſolemnitates Juris adhiberi; aliàs enim quoad cauſam profanam illud non valeret, & pars cauſæ profanæ aſſignata cederet jure accreſcendi cauſæ piæ. *arg. §. 5. Inſt. de hæred. inſtit.* cùm nemo paganus, h. e. non miles, decedere poſſit ſecundùm

unam

uam partem testatus, & secundùm partem intestatus.

Dico 8. Testamentum patris vel matris (vel 14
aliorum ascendentium) *inter liberos* in utroque foro valet sine omni solemnitate, si est Nuncupativum, modò de voluntate parentis constet per testes, vel alio modo. 2. Si verò est Scriptum, requirit solemnitates sequentes: ipse parens debet scribere, vel saltem subscribere testamentum: exprimere tempus conditi testamenti: & liberorum omnium nomina, atque uncias, seu id, quod cuivis relinquere intendit (quæ partes possunt esse inæquales, salvâ tamen singulis legitimâ) tam tempus autem, quàm uncias, exprimere necesse per litteras & verba integra, non per cifras. Jus Bavar. *tit. 34. a. 8.* exigit, ut, si parens ipse non scripsit vel subscripsit testamentum, sed alius, subscribant duo testes, vel ut omnes liberi subscribant. 3. In utroque, tam Nuncupativo quàm Scripto, singulis liberis sua saltem portio, quam vocant *legitimam*, relinquere oportet titulo *institutionis* (non legati) seu sub honorabili nomine *hæredis*. Pars 1. sumitur ex *l. 26. C. famil. herciſc.* Pars 2. ex *Nov. 107. c. 1. & Auth. quod ſine. C. h.t.* Pars 3. ex *Nov. 115. c. 3.* ubi derogatum est *Nov. 18. c. 1. & Auth. Noviſſima C. de inoff. teſt.* permittentibus quoquo modo liberis suam relinquere legitimam. Si verò in testamento inter liberos relinquatur aliquid personæ extraneæ tanquam *hæredi* (aliud est de legato) quoad hoc punctum non valet dispositio. *l. 26. cit. & l. 21. §. 1. C. h.t.* Cœterùm juxta communiorem DD. sententiam Testamentum inter liberos, si non valet ut Testa-

ſtamentum, valet tamen ut Codicillus, etſi clauſulam codicillarem non habeat expreſſam, cùm dicta clauſula præſumatur à parente ſubintellecta. Quod, licèt de Jure communi aliqui negent, de Jure tamen Bavarico *lo. cit.* certum eſt.

15 Dico 9. Teſtamentum *Militis*, Ducis, & eorum, qui caſtra ſequuntur militum causâ, uti Medici, Chirurgi, Mercatores &c. ſi fiat in actuali conflictu, nullas omnino requirit ſolemnitates, 2. Factum verò in caſtris, ſed extra conflictum actualem, duos hodie teſtes. 3. Conditum autem extra caſtra & actualem expeditionem, puta in hybernis &c. omnes ſolemnitates Juris Communis exigit. 4. Et illud, quod in actuali prælio, vel in caſtris factum eſt, poſt obtentam Miſſionem non durat ultra annum. Pars 1. liquet ex *pr. Inſt. de Militari teſtam. l. 1. ff. l 15. C. de Teſtam. militis.* Pars 2. ex *Receſſ. Imper. de ann. 1512. tit.* von Teſtamenten *n. 2.* Pars 3. ex *citt. pr. & Receſſ. Imp. & l. 16. C. de teſtam. mil.* Pars 4. ſumitur ex *l. 38. pr. ff. eod.*

16 Dico 10. Teſtamentum *Ruſticorum* valet cum 5. teſtibus rogatis, ſi 7. teſtes commodè haberi nequeunt, nec opus eſt, ut teſtes ſubſcribant, vel ſigilla apponant, ſi ſcribere neſciant, & ſigillis careant: ſi tamen unus vel plures ſcribendi forent periti, iſti deberent ſubſcribere, & poſſent ſimul pro aliis imperitis, præſentibus tamen. *l. fin. C. h. t. Receſſ. Imper. cit.* Nomine *Ruſticorum* juxta multos veniunt hìc etiam alii ruri degentes propter paritatem rationis, imò juxta quosdam etiam Nobiles ruri degentes.

Dico

Dico 11. Testamentum *tempore Pestis* factum valet, licèt testes 7. non sint specialiter convocati ad hunc actum, vel simul & semel præsentes non sint. *l. 8. C. h. t.* Imò, si pestis valde atrociter sæviat, ut 7. testes difficillimè haberi possint, sufficiunt 5. vel etiam 2. testes, ut DD. & consuetudo explicant *d. l. 8.* Et Gail. *l. 2. Observ. 118. n. 18.* testatur, in Camera Imperiali testamenta tempore pestis coram duobus tantùm testibus facta sustineri. 17

Dico 12. Testamentum *Publicum*, seu quod vel fit oretenus coram aliquo Principe Romani Imperii, aut ejus deputato, vel in scripturam redactum & à testatore subscriptum offertur tali Principi, aut ejus deputato, cum precibus, ut Principis authoritate sustineatur: Item Testamentum *Judiciale*, seu quod vel fit *apud Acta*, h. e. oretenus coram Judice, aut coram ejus deputatis, vel *ad Acta*, h. e. quod in scripturam redactum & à testatore saltem subscriptum offertur Judici aut ejus deputato, valet absque omni solemnitate, modò sufficienter constet, vel probetur, coram Principe aut Judice fuisse factum, vel eidem, aut deputatis, esse oblatum. Text. & DD. *in l. 19. C. h. t.* quia authoritas Principis vel Judicis supplet omnem solemnitatem, omnémque fraudis suspicionem removet. Unde, cùm hæc ratio testandi facillima sit, eò quòd Judex, vel Magistratus, utpote qui non necessariò est proprius, sed quilibet esse potest, etiam inferior, vel testatori subordinatus, aut aliàs subjectus, neque necessariò pro tribunali sedens, ferè ubique ad manum sit, &, cùm simul sit securissima, utpote nullas requirens solemnita- 18

tes, præ cæteris teſtandi modis ſuadenda eſt.

Ut autem in praxi ritè & ſine periculo aliquis teſtetur *ad Acta*, obſervare debet iſta. 1. Ipſe teſtator perſonaliter per ſe (non per alium, id enim ſufficere negant Berlich. Carpzov. & alii) offerat teſtamentum ſigillô clauſum Judici, rogando, quatenus id ſua authoritate ſuſtinere velit. 2. Si teſtator, fortè ob ægritudinem, adire nequeat Judicem vel Conſulem, eundem rogari curet, ut vel ipſemet ad ſe venire dignetur, vel ſaltem alios ſuo nomine deputare, qui ſuum teſtamentum ad acta recipiant, quibus illud offerat dicendo, quòd in hac charta contineatur ſua ultima voluntas, & rogando, ut ad Acta recipiant. 3. Ut de oblato teſtamento ſatis conſtet, oportet illud offerre Judici, vel ejus deputato (ſi ſolus ſit, nec aſſeſſoribus ſtipatus, nec perſonâ publicâ, utì eſt Notarius, vel Actuarius juratus) coram duobus teſtibus: vel eorum loco petere *recepiſſe*, ſeu atteſtationem de recepto teſtamento: vel procurare, ut vel Judex ipſe, vel per Notarium, aliúmve deputatum, in exteriori facie teſtamenti annotet annum, diem, & locum, quo teſtamentum à ſe ſit receptum, adjectis ſubſcriptione & ſigillô propriô; ſic enim Judex ſufficientem præſtat auctoritatem, & teſtes ſupplet. Sed ex his nihil eſt neceſſarium, ſi Judex conſtet ex aliqua Communitate, utì eſt Senatus, Regimen, Magiſtratus &c. eique offeratur teſtamentum coram Conſiliariis con-Judicibus, quia hi eminenter ſunt teſtes. 4. Conſultum eſt, ut teſtator domi ſuæ in pulpito reponat ſchedam, oblationis & receptionis teſtem, ut hæredibus & iis, qui ejus res poſt mor-

mortem scrutabuntur, constet de testamento facto, & ad Acta repositо. §. Non verò necesse est, ut testator testamentum, Judici semel oblatum, non ampliùs repetat in vivis, sed perpetuò in ejus Archivo relinquat; quia non Archivi, sed Judicis authoritate nititur. Quòd si testator vellet *apud Acta* Nuncupativum testamentum facere domi suæ, iterum non sufficeret, si Judex solus, vel ejus deputatus foret præsens, sed opus esset, ut præter Judicem (ejus deputatum) adesset vel persona publica, nempe Notarius, vel duo testes, vel, si Judex esset Magistratus vel Senatus, duo saltem ejus membra, quibus rectè pro majori securitate adderetur Notarius, non per modum solennitatis, sed ad legitimam probationem. Hactenus de Testamentis, nunc de reliquis ultimæ voluntatis speciebus.

Dico 13. *Codicillus* est minùs solennis ultima 19
voluntas, absque directa hæredis institutione. Ex quo apparet differentia à testamento duplex, quòd nempe sufficiat minor solennitas, videlicet §. testes, etiam non rogati, non mares &c. *l. fin. §. 3. C. de Codicill.* licèt testes simul debeant esse præsentes, & totum negotium confici in uno contextu: dein quòd directa hæredis institutio in eo locum non habeat. §. 2. *Inst. eod.* ibi: *directò autem hereditas Codicillis neque dari neque adimi potest: ne confundatur jus Testamentorum & Codicillorum.* Si igitur in Codicillis directè institueretur hæres, talis dispositio non haberet vim directæ institutionis, sed tantùm substitutionis indirectæ & fideicommissariæ. *§. 2. cit. & l. 2. C. eod.* idémque foret, ac si hæres ab intestato fuisset roga-

tus (id est, jussus) à defuncto, ut hæreditatem daret vel restitueret illi, qui in Codicillo nominatus est. *l. 3. ff. de Jure Codicill.* atque ut solveret legata. per *l. si jure C. de testam. manumissione.* Interim tamen hæredi huic ab intestato permittitur detrahere Trebellianicam, seu quartam partem hæreditatis, seu omnium bonorum testatoris, tempore restitutionis faciendæ repertorum, deductis funeralibus & ære alieno. *§. 7. Inst. de fideicommiss. hæred.* &, si sit filiusfamilias, etiam legitimam, ut habet communis ex *c. Raynutius & c. Raynaldus h. t.* praxi confirmatis. v. g. si hæreditas in Codicillo relicta sint 12. millia, filiusfamilias detrahere & retinere potest 4. millia pro *legitima*, & ex residuis 8. millibus iterum quartam partem, nempe 2. millia, pro Trebellianica, atque reliqua 6. millia restituere hæredi Codicillari. Idem obtinet in casu, quo corruit testamentum, cui adjecta est *clausula Codicillaris* à testatore, volente, ut, *si suum testamentum forte non valeret in vim testamenti, valeat saltem in vim Codicilli*, vel, *meliori, quo potest, modo.* per *l. 1. C. de Jur. Codicill.* & *l. 76. ff. ad S. C. Trebell.* Interim tamen datur casus, quo per Codicillum directè dari, & adimi potest hæreditas, nimirum si Codicillus sequatur vel præeat testamentum, & in hoc testator se referat ad Codicillum, dicendo, *quem Codicillis hæredem fecero, vel feci, hæres esto.* text. clarus in *l. 77. ff. de hæredib. instit. & l. 10. ff. de condit. Instit.* quia in hoc casu Codicillus censetur esse pars testamenti: licitum autem est in quacunque testamenti parte hæredem scribere: consequenter scriptus in tali Codicillo censetur esse

scri-

scriptus in ipso testamento. Fieri autem Codicillus potest *cum*-vel *sine testamento*. Si fiat cum testamento, eíve adjiciatur, servit ad illud magis explicandum, vel ad mutandum per additionem aut detractionem, vel ad assignandum legatum aut fideicommissum, ac de Jure Bavar. *tit. 37. art. 2.* non valet, nisi testator ipse scripserit vel subscripserit, ac simul diem & annum addiderit. Si *sine testamento*, tunc opus habet 5. testibus, ut dictum, & trahitur ad substitutionem fideicommissariam, ùt pariter dictum, & explicatum, servítque ad hoc, ut designentur legata, ab hærede qui venit ab intestato, præstanda. Cœterùm Codicillus, à *parvo Codice* appellatus, licèt ordinariè fiat in scripto, & sit charta ultimam voluntatem explicans; potest tamen etiam dari nuncupativus, seu clausula quædam vel dispositio oretenus prolata.

Dico 14. *Substitutio* est secunda hæredis institutio, seu *unius* (vel plurium) *in alterius locum id ultima voluntate vocatio.* Primò igitur vocatus vocatur hæres *institutus*, secundô autem, tertiô &c. locô vocatus dicitur hæres *substitutus.* Dividitur in directam & indirectam. *Directa* est, quæ fit verbis directis ita, ut substitutus consequatur hæreditatem (vel legatum) immediatè ab ipso testatore sine alterius ministerio suum jus transmittentis, ut si testator dicat, *Cajum instituo hæredem, si verò hæres non erit* (quia fortè non volet, vel non poterit morte præventus, aut lege impeditus.) *Titius sit hæres meus:* vel brevius, *Cajus sit hæres meus, cui Titium substituo.* Subdividitur in *Vulgarem*, qua quilibet à quolibet

ſubſtitui poteſt, & exſpirat adita hæreditate ab inſtituto, vel moriente ſubſtituto ante inſtitutum: in *Pupillarem*, qua pater filio impuberi, in patria adhuc poteſtate conſtituto, ſi fortè ante annos pubertatis moreretur, ſubſtituit v. g. Cajum, ac finitur, ſi filius vivo adhuc patre egrediatur annos pubertatis, vel patriam poteſtatem: atque in *Exemplarem*, qua pater vel mater liberis mente captis, vel à Jure prohibitis teſtamentum facere, ſubſtituit alium hæredem in eventum, quo in tali ſtatu morerentur. Quando teſtator inſtituit plures hæredes, eósque ſibi invicem ac mutuò ſubſtituit, ut, ſi unus eorum non ſit hæres, ejus portio accreſcat alteri, vel aliis, appellatur ſubſtitutio *Reciproca*.

21 Subſtitutio *Indirecta*, vel *Obliqua*, aut *Fideicommiſſaria*, ut paſſim vocatur, quam hodie frequentiſſimè fieri videmus, eſt, quæ fit verbis indirectis, quibus hæres immediatè inſtitutus, vel ab inteſtato ſuccedens, gravatur ſeu obligatur hæreditatem, vel totam, vel partem, vel rem certam alteri ſuo tempore reſtituere vel relinquere, ut ſi teſtator ſic dicat, *Cajus eſt hæres meus, rogo tamen* (id eſt, mando) *ut moriturus hæreditatem meam (vel partem) relinquat Titio*: vel, *ut cedat Sempronio*. Proin in hac ſubſtitutione hæres ſubſtitutus non immediatè ab ipſo teſtatore conſequitur hæreditatem (vel legatum) ſed mediante primo inſtituto, jus ſuum transferente in ipſum, ſeu primùm conſequitur ab hærede gravato, vel obligato ſibi relinquere, qui vocatur *fiduciarius*, vel *hæres fideicommiſſarius*, qui ejus fidei committitur hæreditas alteri ſuo tempore reſtitu-

stituenda, scilicet *fideicommissario*, ut appellatur substitutus, sine addito *hæres* fideicommissarius. Unde, si hæres directè & primò institutus, à quo jus transmitti deberet in substitutum, hæreditatem non adeat, regulariter evanescit hæc substitutio indirecta, quæ etiam vocatur *fideicommissum*, & quidem *universale*, quando fiduciarius jubetur vel totam hæreditatem alteri restituere, vel certam illius quotam, v. g. tertiam, quartam partem: *particulare* verò, vel *singulare*, quando rem certam in particulari vel in singulari. Particulare hodie non differt à Legato. *§. 3. Inst. de Legat. l. 1. ff. de Legat. I.* ibi: *per omnia exæquata sunt legata fideicommissis:* licèt differant quoad modum relinquendi, nam legata directè, fideicommissa indirectè relinquuntur. Quando substituitur tota familia, ùt frequentissimè fit apud Illustres ad familiam in splendore conservandam, fideicommissum dicitur *Familiare* vel *Gentilitium*, & quidem *Primogenitura*, si primogenitus alicujus lineæ, & cum tota sua linea descendentium, istà autem extinctâ secundò genitus cum sua linea &c. vocatus seu substitutus sit: *Majoratus* verò, si testator ordinavit, ut semper succedat natu maximus de familia, sive is descendat ex linea ultimi possessoris, sive sit ex alia linea, ejusdem tamen familiæ. De reliquo *fideicommissum* sæpe sumitur *objectivè* pro ipsa re fideicommissi vinculô ligata, sic enim dicimus: hoc castrum, hæc Hoffmarchia, hoc prædium, hæc domus &c. est *fideicommissum*, seu bonum ex voluntate constituentis necessariò relinquendum aliis, nempe substitutis, qui omnes à primo fideicommittente jam sunt jus reale

consecuti; quod proin ipsis interverti aut gravari ab hærede, vel possessore actuali, nequit per alienationem, hypothecationem &c. exceptis quibusdam casibus, qui sunt 1. si solvenda sint debita ipsius testatoris fideicommittentis. 2. Si res servando servari nequeant. 3. Si alienatio sit necessaria pro competenti dote. 4. Si alienatio sit utilis, ut si permutetur res cum utiliori. 5. Si omnes substituti, jus aliquod in fideicommisso habentes, consentiant. 6. Si fideicommissum sit conditionatum, & conditio necdum evenit, licèt in hoc ultimo casu alienatio post eventum conditionis retro annulletur tota. Vid. Knipschild *de fideicommiss. famil.*

22 Unum adhuc observa, quòd in casu substitutionis directæ vulgaris, si hæres institutus, non habens liberos, ingrediatur Religionem, ista succedat, non substitutus: item quòd in casu substitutionis indirectæ, si hæres fideicommisso universali gravatus, non habens liberos (saltem si sub conditione, *si sine liberis decesserit*, fuit vocatus) ingrediatur Religionem, ista rursus succedat in perpetuum exclusô substitutô. Utrumque sumitur ex *c. 8. de probat. Auth. Ingressi. C. de SS. Eccles. Auth. Nisi rogati C. ad S. C. Trebell.* ubi favore Religionis sublata sunt omnia substitutionum genera. Si tamen fideicommissum fuisset purum, & absque dicta conditione erectum, Religio excluderet substitutum solùm tamdiu, quamdiu naturali vita fruitur ingressus Religionem, ut communior cum Molina limitat. Ulteriùs nota 1. quòd in casu substitutionis fideicommissariæ, si directè & primò institutus non

adeat

adeat hæreditatem, substitutus non acquirat jus succedendi, nisi substituta sit causa pia, quæ succedit, ut habet communis. 2. Quòd hæreditas non adita non transmittatur ad hæredes. *l. un. §. 5. C. de caduc. toll.* Excipe, nisi fideicommissum sit purum, & insuper alii expressè non substituti; tunc enim transmittitur ad hæredes fideicommissarii, licèt iste moriatur ante hæredem, vel aditam ab ipso hæreditatem.

Dico 15. *Legatum* est quædam donatio à de- 23
functo relicta, & ab hærede præstanda. *§. 1. Inst. de Legat.* Per tò *quædam* insinuatur, quòd Legata respiciant res particulares in specie, vel, Philosophicè loquendo, in individuo, fierique non possint, nisi circa rem certam ac determinatam: sic domus, vel pecuniæ quantitas, quæ legatur, debet esse certa. Per tò *à defuncto relicta* innuitur, quòd Legata robur non habeant nisi post mortem legantis, qua eveniente, & hæreditate aditâ, statim ipso Jure & absque prævia acceptatione transeunt in legatarium quoad dominium. *l. 32. ff. de Leg. II. l. 5. §. 1. ff. quando dies legator.* sub conditione tamen nisi à Legatario postea repudientur: si autem repudiarentur, retro non fuissent illius. *l. 1. §. 6. ff. siquid in fraudem patroni.* Denique per tò *ab hærede præstanda* indicatur, quòd Legatarius sub pœna amissionis nequeat propria auctoritate occupare legatum, sed exspectare debeat, donec ipsi tradatur ab hærede. *l. 5. C. de Legat.*

Dico 16. Donatio *mortis causâ* est, qua quis 24
intuitu mortis (cujus expressa fieri mentio debet) aliquid revocabiliter donat, habendum ir-

revocabiliter post mortem donantis, & priùs non revocantis. Communis quoad rem ex §. 1. *Inst. de donat.* Differt à Legato, cum quo ferè coincidit, per hoc, quòd requirat acceptationem donatarii vivente adhuc donatore. *arg. l. 10. ff. eod.* Unde, siquis donet intuitu mortis, & moriatur ante acceptationem donatarii, legatum erit, non donatio mortis causâ. De hac jam diximus plura ad *tit. de donat.*

25 Dico 17. Ad valorem Donationis mortis causâ, Legati, Fideicommissi particularis, & Codicilli, si iste fiat sine Testamento, requiruntur 5. testes simul præsentes, & quidem per modum solemnitatis, non præcisè ad probationem. Ita verior contra Harpprecht & P. Pirhing. Prob. ex *l. fin. §. fin. C. de Codicill.* ibi: *in omni ultima voluntate, exceptô testamentô, quinque testes in uno eodémque tempore debent adhiberi.* Sed ad probationem præcisè sufficerent duo vel tres testes: ergo, cùm Jus requirat 5. testes, eos requirit ad valorem & per modum solemnitatis substantialis, sicut taliter requirit 7. testes in Testamento. Unde & *Pacta Dotalia*, quæ fiunt in vim ultimæ voluntatis (quod colligitur, si sponsus & sponsa ea ineuntes sibi bona vel partem eorum relinquunt tanquam *hæredibus*, vel utantur verbo *successionis*: Es soll der überlebende Ehe-Gatt alle/ oder einen gewissen Theil der Gütter/ erben: Er soll succediren &c.) ad sui valorem opus habent 5. testibus, & validè, saltem à contrahentibus, altera parte etiam insciâ, per se revocari possunt. Stryck. *de cautel. testam. c. 24. §. 28.* & alii communiter. *arg. l. 7. C. de pact. conv.*

conv. & l. 32. §. 3. ff. de donat. int. vir. & ux. Quia nempe, si dictô modô ineantur, sunt verè aliqua ultima voluntas. *Objic.* In *c. 4. h. t.* approbatur legatum, quod nudis verbis est relictum: ergo, si aliunde constat de legato, testibus non est opus, & si aliunde non constat, non nisi ad probationem requiruntur testes. R. ibi est sermo de legato pio, ad cujus valorem nec nos requirimus testes, sed solùm ad probationem. Si verò evinceretur, quòd ibi agatur de legato partim profano, tamen plus non dicitur, quàm quòd legatum fieri valeat oretenus & per verba, quod iterum non negamus: & quia de numero testium ibi nihil disponitur, rectè quoad legata profana dicitur Jus Canonicum non dissentire à Jure Civili, §. testes requirente ad valorem. Cœterùm, si hæres ab intestato ipse audivisset ultimam voluntatem legantis, utique testes nulli, etiam ad probationem duntaxat, opus forent. §. *fin. Inst. de fideicommiss. hæred. l. fin. C. de fideicommiss.* Pariter si hæres jam solvit legatum sine §. testibus relictum, revocare nequit. per *l. 2. C. eod. & l. 16. C. h. t.*

§. II.

Reliqua de Testamentis. Ubi etiam de Hærede, Hæreditate, Legitima &c.

DIco 18. Testari, seu Testamentum face- 26
re, possunt generaliter omnes, qui nullo Jure prohibentur. *l. 1. C. de SS. Eccles.* ibi:

ibi: *nihil enim est, quod magis hominibus debetur, quàm ut suprema voluntatis - - liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.* Prohibentur autem aliqui *Jure Naturali*, utì mente destituti, item muti & surdi simul, qui nec loqui, nec auditu percipere quidquam possunt, adeóque nec voluntatem suam satìs exprimere: præterea nihil habentes, quò referre potes à Jure Humano rerum suarum dominiô exutos, quales sunt rei criminis læsæ Majestatis, contrahentes incestuosum Matrimonium quoad certos hæredes: Religiosos, item filiosfamilias quoad bona profectitia. Alii *Jure Canonico*, utí usurarii manifesti, excommunicati propter hæresim, ubi hæresis non est tolerata (quamvìs alii excommunicati, etiam vitandi, sint capaces testandi) percussor Cardinalis, & Clerici de bonis Beneficialibus superfluis, etiam ad causas pias. Demum alii *Jure Civili*, utì prodigi declarati, impuberes (licèt habeant sufficientem usum rationis) ne quidem cum consensu tutoris, quia Jus non permittit testamentum pendere ab alieno arbitrio, consequenter nec tutoris; quamquam puberes sine consensu curatoris testari valeant; filiusfamilias quoad bona adventitia regularia, & irregularia, rursus ne quidem cum consensu patris, quia juxta *Legem 12. tabularum* factio testamenti ad patremfamilias pertinet, licèt aliud sit de bonis castrensibus vel quasi-castrensibus, respectu quorum habetur pro patrefamilias; condemnati ob famosum libellum, damnati ad mortem, vel ad metalla seu ad perpetuos carceres, deportati & banniti, seu ex toto Imperio Romano proscripti; denique omnes

de

de Jure intestabiles, h. e. quibus ab ipsa Lege fides testimonii ferendi adempta est. *l. 26. ff. qui testam. fac. pos.* Cœcus non est quidem inhabilis ad testandum, sed præter 7. testes debet necessariò adhibere Notarium, vel, si Notarius haberi nequeat, ejus loco octavum testem. *l. 8. C. eod.* Cæterùm qui de solo Jure Civili sunt inhabiles ad testandum, facere testamentum ad causas pias non sunt prohibiti: sic filiusfamilias testari potest de bonis adventitiis ad causam piam &c. quia causæ piæ non subjacent dispositioni Juris Civilis. Favet quoque *l. 1. C. de SS. Eccles.*

Objic. 1. Filiusfamilias de bonis adventitiis, saltem cum consensu patris, potest donare mortis causâ etiam ad finem profanum. *l. 7. §. 4. ff. de donat.* ergo etiam testari. 2. Clerici habent plenum dominium bonorum Beneficialium, etiam superfluorum, atque de his validè disponunt per actus inter vivos, etiam ad causas profanas, uti docuimus ad *tit. de Pecul. Cleric.* ergo etiam validè testantur de iisdem bonis tam ad causas profanas, quàm ad pias. R. ad 1. *N. cons.* nam donatio mortis causâ, quia requirit acceptationem donatarii, æquiparatur actui inter vivos, & ideo ex alieno arbitrio (consensu patris) pendére potest; non verò testamentum. per *l. 5. & 19. ff. l. 4. C. qui testam. fac. poss.* Ad 2. *N.* iterum *cons.* quia testamenti factio specialiter Clericis reperitur prohibita in *can. Episcopi 19. caus. 12. q. 1. c. 1. 9. h. t.* At

Quæres, an consuetudine introduci possit, 27
ut Clerici de bonis Beneficialibus superfluis non modò ad causas pias, sed etiam ad profa-

nas,

nas, validè ac licitè testentur? R. cum Covar. Navar. Ricc. Viviano, Garc. Azor, & Barb. *J. E. U. l. 3. c. 17. n. 67. seq.* contra Panorm. Tanner, Pirhing, Engel, Reiffenstuel, P. Fanc. Schmier, & communem antiquorum, affirmativè. Quoad causas pias facilè conspirant Adversarii nobiscum, quoad profanas probatur 1. quia Clerici sunt domini redituum superfluorum, & ex solo præcepto Ecclesiastico tenentur superfluos erogare in causas pias, ut *tit. de Pecul. Cler.* ostendimus, ac insuper factio testamenti ipsis solùm prohibetur Jure Ecclesiastico: sed omni præcepto & Juri Ecclesiastico per consuetudinem rationabilem & legitimè præscriptam derogari potest. *c. fin. de consuet.* ergo. 2. Quidquid est obtinibile per privilegium Pontificis, obtinibile quoque est per consuetudinem, saltem immemorialem. *c. 26. de V. S. c. 9. de Offic. Ord. in 6.* sed per privilegium Pontificis obtineri potest potestas validè & licitè testandi de superfluis ad causas tam profanas, quàm ad pias, & defacto tale privilegium Clericis in districtu Romano concessum est à Sixto IV. *in Const. Etsi universis.* à Julio III. *in Const. Cupientes* à Paulo V. *in Const. In eminenti.* & ab Innoc. XII. anno 1691. simile privilegium est datum Jodoco Edmundo, Episcopo Hildesiensi. 3. Ab actu ad potentiam est bona argumentatio: sed actu talem consuetudinem in variis diœcesibus, præsertim vicinis, hanc ipsam consuetudinem vigere conspicimus, eámque jam pridem in Diœcesi Constantiensi viguisse supponunt Constitutiones Synodales ejusdem diœcesis, quamvis *moneant* Clericos, ut in suis testamentis

pia-

piarum causarum rationem habeant. Nec hujusmodi consuetudini reclamant Episcopi aut Summus Pontifex; quod tamen facere tenerentur, si illa esset illegitima, aut contra Jus Naturale vel Divinum. *Objic.* Hæc consuetudo non potest esse rationabilis: ergo. R. *N. antec.* Rationabilis vel indè redditur, quòd per facultatem liberè testandi refrœnetur Clericorum luxus, pompa, prodigalitas, item quòd indè alliciantur viri Nobiles, aut aliis dotibus insignes, ad amplectendum Statum Ecclesiasticum, si sciant, se suis, quos amant, ex reditibus Ecclesiasticis aliquid posse post mortem relinquere. Alia adducere objecta supervacaneum duco, quia pleraque fundantur in falso supposito, quòd Clerici non sint domini redituum superfluorum, vel saltem eos teneantur Jure Naturali vel Divino in pias causas expendere.

Dico 19. Essentiale est omni testamento, ut 28
in eo instituatur hæres aliquis, unus vel plures. *§. 4. Inst. de hæred. instit. l. 3. ff. de his, quæ in testam. delent. V. non potest*, ibi: *non potest ullum testamentum valere, quod hæredem non habet.* Unde institutio hæredis dicitur esse basis & fundamentum testamenti. Videndum tamen est 1. quinam possint instituí hæredes. 2. Quinam debeant. 3. In qua re. 4. Et quo modo. Sed priùs.

Quæres, quid & quotuplex sit Hæres? R. 29
1. Hæres dicitur, qui vel ex dispositione Legis, vel ex voluntate Testatoris vi testamenti, succedit in universum jus defuncti, seu in omnia jura, activa & passiva, commoda, & onera seu debita, defuncti. *l. 37. ff. de acquir. vel omitt. hæred.*

hæred. l. 59. ff. de R. J. Unde & pro eadem cum defuncto persona habetur. §. 2. Hæres, qui succedit ex dispositione Legis, vocatur *hæres ab intestato:* qui ex Testamento, *institutus.* §. 3. Qui necessariò debet institui, saltem in aliqua parte bonorum, vel, si justa adest causa, nominatim exhæredari, dicitur *necessarius*, &, si tempore, quo mortuus est testator, fuit in ejus potestate patria, *suus;* quia potiùs retinet hæreditatem, quàm succedat, utpote eadem cum defuncto, cùm adhuc viveret, persona ex fictione Juris: qui autem instituitur, ita ut potuisset non institui, appellatur *voluntarius*, vel etiam *extraneus*, quamvis strictè loquendo extraneus in Jure opponatur hæredi *suo*, licèt aliàs necessariò instituendus sit. Cæterùm de Jure Prætorio & Recentiori *§. 2. Inst. de hæred. qualit. & diff. & l. 57. ff. de acquir. hæred.* nullus nunc datur hæres necessarius in hoc sensu, quòd hæreditatem repudiare nequeat, vel ab ea abstinere.

30 Dico 20. Hæredes esse, & instituì, possunt omnes, tam personæ singulares, quàm communitates, quibus non obstat specialis prohibitio Juris. *pr. Inst. & l. 31. ff. de hæred. instit.* Prohibentur autem aliqui ut *incapaces*, utì hæretici non tolerati: apostatæ: deportati, quibus hodie æquiparantur banniti bannô Imperii: damnati ad metalla, quibus æquiparantur damnati ad triremes: damnatì ad ultimum supplicium: liberi perduellium, & reorum læsæ Majestatis: persequentes, percutientes, vel capientes Cardinalem: civitates hostium: communitates Judæorum: & quodvis Collegium illicitum: item Ordines Religiosi, bono-

rum

rum temporalium etiam in communi non capaces, utì Franciscanorum strictæ observantiæ, & Capucinorum: Religiosi in particulari aliorum Ordinum; si tamen instituantur, Ordo vel Monasterium, in quo sunt, succedit: item liberi naturales ultra unciam respectu patris, legitimam sobolem habentis: ac spurii ex damnato coitu nati respectu utriusque parentis. Alii autem repelluntur ut *indigni*, scilicet qui vi vel fraude prohibuerunt defunctum condere testamentum, vel mutare: qui testatorem occîdit, vel occiso non succurrit, cùm facilè potuisset, vel qui occisorem testatoris non accusat, punitionem exspectando. Si instituatur *incapax*, succedunt illi, quibus hæreditas debetur ab intestato: Si *indignus*, succedit Fiscus, cum obligatione tamen solvendi debita & legata ac fideicommissa juxta vires hæreditatis. Ita communiter DD. ex variis Legibus.

Dico 21. Hæredes instituì debent, seu *ne-* 31
cessarii sunt ita, ut, si prætereuntur, testamentum vel sit nullum, vel saltem rescindibile per *querelam inofficiosi*. Tales sunt 1. Descendentes, nempe liberi legitimi, sive emancipati sint sive non, & in horum defectu nepotes ac neptes. 2. In defectu descendentium ascendentes, nempe pater & mater, ac in horum defectu avus & avia &c. 3. Germani, & consanguinei fratres ac sorores, at solùm in casu, quo ipsis præteritis institueretur persona turpis, v. g. meretrix, concubinarius, incestuosus, adulterinus, aut quicunque infamiâ laborans, aut etiam aliâ maculâ, qua in Germania laborant carnifices, & excoriatores animalium. Sed

4. necesse non est, ut prædicti instituantur in tota hæreditate, sed solùm in parte, quæ vocatur *Legitima*. 5. In hac tamen debent institui *ut hæredes*, seu honorabili institutionis seu hæredum titulô vocari, non per modum legati &c. 6. Atque sine onere, v.g. fideicomisso, quo gravetur Legitima. Pars 1. habetur *pr. & §. 3. 5. Inst. de exhæred. lib. Auth. non licet C. de liber. præt. & Nov. 115. c. 3.* Pars 2. in *Nov. cit. c. 4.* Pars 3. in *l. 27. C. de inoffic. testam.* Pars 4. *in l. 6. & subjuncta Auth. Novisſ. C. de inoff. testam.* Pars 5. in *d. Nov. pr.* Pars *6. l. 32. l. 36. §. 1. C. de inoff. testam.* Si igitur legitimæ adjiceretur onus, vel conditio odiosa, pro non adjectis haberentur: quod tamen plurimas patitur limitationes, cujusmodi centum omnino adducit Ferd. Vasq. *de Succeſſ. & ult. vol. tit. de Testatoris potentia à n. 406.* Sic, ubi filiæ Illustres renuntiare debent paternæ hæreditati, dote congrua contentæ, non conceditur ipsis actio ad supplementum, licèt illa dos accepta non adæquet Legitimam. Et vel maximè tunc sustinetur onus legitimæ, quando adjicitur in bonum publicum, vel ad conservandum Familiæ Nobilis splendorem.

Dixi in assertione 1. *Si prætereantur*, h. e. si nulla fiat eorum mentio, qua vel instituuntur ut hæredes, vel exhæredantur disertè. Quamquam strictè loquendo *præteriri* dicantur hæredes necessarii, in patria potestate non constituti, hi autem dicantur *exhæredari*: quæ tamen differentia hodie, saltem in praxi, non observatur. Dixi 2. *Ut testamentum vel sit nullum*, quod contingit, si hæres *sum* prætereatur, *vel rescindibile per querelam inofficiosi*, quod locum habet, si alius hæres necessarius præ-

te-

tereatur, v. g. filius emancipatus, parentes, frater germanus vel consanguineus, casu quo instituitur persona turpis, imò D. Verlohner de Mod. acquir. per Universitat. *a. 5. q. 5. n. 9.* cum aliis putat, id procedere etiam casu, quo frater *germanus* præteritur, licèt non instituatur persona turpis. per *l. 1. ff. & l. 21. C. eod.* Per *querelam inofficiosi* intelligitur actio, quæ dictis hæredibus necessariis, in testamento contra pietatis officium præteritis, competit ad quinquennium (in ordine ad petendam Legitimam ad 30. annos) adversus hæredes institutos, ut rescisso per sententiam testamentô hæreditas, ab institutis jam adita, restituatur sibi quasi ab intestato. Sed quia recepta praxis, ut ajunt, & Jus Bavar. *tit. 35. art. 1.* habent testamentum, in quo exhæredantur vel prætereuntur descendentes vel ascendentes sine justa causa, vel eâ in testamento non expressâ, pro *irrito*, locum obtinet *remedium nullitatis*, ac proin *querela inofficiosi* ad rescissionem ferè solis hodie fratribus dabitur. Dixi 3. *Legitimi*, h. e. legitimè nati, item adoptati in potestate adoptantis constituti. Liberi naturales respectu matris tantùm (non patris) sunt hæredes necessariò instituendi: sed de Jure Bavarico, si mater habeat liberos legitimos, debent esse legitimati. Dixi 4. *in Legitima.* Sed hinc

Quæres, quid sit *Legitima*, & quanta esse 32
debeat? R. 1. Est illa portio hæreditaria, quæ hæredibus necessariis necessariò debet relinqui in Testamento. R. 2. Legitima respectu descendentium, nempe liberorum &c. si non plures, quàm quatuor, sint, est *triens*, seu tertia pars totius hæreditatis, seu bonorum à patre relicto-

rum (v.g. ex 12000. relictis 4000.) quæ re-
manent deducto ære alieno, & expensis funeris,
non autem feudalibus: si verò sint plures liberi
quàm quatuor, est *semis* seu *semissis*, hoc est, di-
midia pars hæreditatis totius; quæ pars (*trien.*
vel *semis*) æqualiter est dividenda inter liberos
Auth. Novissima cit. Nov. 18. c. 1. §. 3. Respe-
ctu parentum, & ascendentium est iterum *trien.*
qui inter ipsos, & fratres germanos, siquos ha-
buit defunctus, dividi debet. *Nov. cit. junct.*
l. Papinianus 8. §. 8. ff. de inoff. testam. §. 4.
Respectu fratrum & sororum est *quadrans*, seu
quarta pars hæreditatis, v. g. 3000. ex 12000. *l.*
8. cit. quæ, licèt quoad descendentes & ascen-
dentes sit correcta à *d. Nov.* quoad fratres tamen,
quando ipsis debetur Legitima, non est correcta,
ut habet communis, Quæ ut ritè intelligas, scire
te oportet, massam totius hæreditatis dividi in
12. uncias, seu partes: duodecima pars vocatur
uncia: duæ unciæ *sextans*, quasi sexta pars hære-
ditatis: tres unciæ *quadrans*, id est, quarta pars:
quatuor unciæ *triens*, h. e. tertia pars: quinque
unciæ *quincunx:* sex unciæ *semis*, seu media pars:
septem unciæ *septunx:* octo unciæ *bes*, quasi bis
triens: novem unciæ *dodrans:* decem unciæ *dex-*
trans: undecim unciæ, *deunx:* tota demum hæ-
reditas *as. §. 5. Inst. de hæredib. instit.* Unde hæres
ex *asse* (vel *universalis*) dicitur, qui universali-
ter est institutus in omnibus bonis defuncti: qui
autem in certa tantùm parte, v. g. in triente, in
sextante, in dextante &c. dicitur institutus *in cer-*
ta quota. Si liberi &c. quibus debetur Legiti-
ma, sunt quidem instituti quoad Legitimam, sed in

por-

portione Legitimam non ad æquante, habent actionem *ad supplementum*, non *querelam inofficiosi*. Quòdsi aliqui ex hæredibus necessariis à testatore jam in vivis aliquid acceperint per modum dotis, donationis propter nuptias &c. id in Legitimam computari, & *conferri* debet, nisi testator expressè contrarium voluerit. text. & DD. *in t. t. ff. & C. de Collat. Nov. 18. cit. c. 6.* ubi antiqua Jura aliqualiter corriguntur. Conferri tamen non debent sumptus, quos parens fecit in educandis liberis, studiorum, opificii, vel artis addiscendæ causâ.

Petes, an & quomodo hæredes, quos diximus esse necessarios, exhæredari possint? R. 1. possunt licitè & validè exhæredari ex justa causa, in Jure expressa, scilicet in *Nov. 115. c. 3. 4.* si nempe filius violentas manus injecerit parenti: gravem injuriam ei intulerit: vitæ insidias struxerit: cum Noverca rem carnalem habuerit: hæreticus evaserit, ubi hæretici non tolerantur: si filia ante 25. annos elegerit esse meretrix &c. Et tales causæ exhæredandi liberos & descendentes referuntur quatuordecim. *in cit. Nov.* exhæredandi autem ascendentes ibidem octo causæ produntur, & notanter adduntur in principio hæc verba: *præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur.* Unde inter DD. magna versatur lis, an ob alias causas æquè graves, vel etiam graviores, quàm ibi specificatæ reperiuntur, liceat parentibus exhæredare liberos. Jus Bavar. insuper permittit exhæredationem, si filius ante 30. & filia ante 25. ætatis annum absque consensu parentum 33

nupserit personæ turpi. Causas exheredandi fratres germanos invenies in *Nov. 22. c. 47.* §. 2. Ut exhæredatio ritè fiat, opus est, ut filius vel filia expresso nomine proprio (non sub conditione, vel in codicillo, qui non est pars testamenti) exhæredetur, proin debet exhæredatio fieri nominatim, purè & in testamento, aliàs est invalida & testamentum est nullum. *pr. Inst. de exhær. l. 1. 3. ff. de lib. & posthum. §. 2. Inst. de Codicill.* Ut verò excludatur etiam *querela inofficiosi*, & rescindibilitas testamenti, debet exhæredatio fieri *cum elogio*, id est, cum expressione causæ, quam Jus approbat, & simul ab hærede instituto probari veritas causæ. *Nov. 115. c. 3.* ibi: *si hæc observata non fuerint, nullum exhæredatis liberis præjudicium generari, sed quantùm ad institutionem hæredum pertinet, testamentô evacuatô* (rescissô nimirum) *ad parentum hæreditatem tanquam ab intestato ex æqua parte pervenire &c.* Nec hodie, saltem in praxi, ullam inter liberos, in patria potestate constitutos & emancipatos, inter exhæredatos & præteritos, differentiam observant communiùs notant DD. *ex d. Nov. c. 3. & 4.*

34 Dico 22. Hæres institui potest quacunque verborum forma, & in quacunque testamenti parte, initio, medio, fine, vel in Codicillo, qui sit adjectus vel annexus testamento. 2. Etiam sub conditione propriè dicta, seu de futuro contingenti, sive sit casualis, sive potestativa, h. e. cujus impletio est in potestate hæredis institui. Pars 1. constat ex *l. 15. C. h. t. l. 77. ff. de hæred. instit.* Pars 2. ex *§. 9. Inst. & l. 6. seqq. ff. eod.* Excipitur tamen hæres *suus*, qui si con-

conditione casuali de futuro institui nequit. *l. 10. & fin. ff. de condit. Instit.* Unde talis conditio habetur pro non adjecta, & institutio pro pura & absoluta; sicut etiam, si hæres instituatur sub conditione impossibili, v. g. *si Titius per aërem volaverit*, aut sub conditione turpi, v. g. *si fratrem occîderit. l. 1. l. 14. ff. eod. §. 10. Inst. de hæred. instit.* Idem quoque est, si persona, quæ nunquam adhuc fuit in Matrimonio, instituatur sub conditione, *si non nubat. l. 62. seqq. ff. de condit. & demonstr.* quæ Leges, licèt loquantur de Legatis sub tali conditione relictis, communiter tamen à DD. extenduntur etiam ad hæreditatem. *arg. Nov. 123. c. 37.* Siquis verò hæredem institueret sub conditione, cujus eventus dependet ab arbitrio tertii, v. g. sic: *hæredem instituo Sempronium, si Titius voluerit*, testamentum est omnino nullum. *l. 68. ff. de hæred. instit.* sicut enim supremum elogium, seu ultima voluntas, de Jure Civili conferri in alienum arbitrium non potest, ita neque conditio in arbitrium tertii. Cœterùm in casu, quo quis institutus est sub conditione honesta possibili de futuro, tamdiu manet suspensa Testamenti vis, quamdiu pendet conditio, seu non purificatur; conditio enim, nisi impleatur, nihil ponit in esse.

Dico 23. Hæres (unus, vel plures) in testamento institutus censetur institutus in omnibus bonis testatoris. 2. Licèt sit institutus solùm in certa quota, v. g. in quadrante, dodrante &c. 3. Vel etiam in re certa, seu singulari, v. g. in fundo Tusculano, Bucephalo, 1000. florenis &c. modò alius non sit simul institutus ut hæres. Omnia 35

membra fundantur in §. 7. *Inst. & l. 1. §. 4. ff. de hæred. instit.* quia nemo paganus (id est, non miles) potest partim testatus, partim intestatus decedere. *l. 7. ff. de R. J.* cùm Testamentum sit *integra* voluntas & dispositio de omnibus bonis post mortem; per quod etiam differt inter alia à Codicillo, Legato &c. atque ideo nemo etiam potest cum duobus testamentis decedere, bene tamen cum duobus vel pluribus codicillis, sine testamento factis. Unde hæredi in certa quota, vel in certa re instituto, debetur tota hæreditas *jure accrescendi* tanquam hæredi ex asse; intellige, si aliunde sit capax totius hæreditatis. *Modò*, uti dixi, *alius non sit simul institutus ut hæres:* si autem simul alius foret institutus, tunc vel esset institutus simpliciter & universaliter, vel saltem in certa quota? & tunc institutus in re certa haberetur pro legatario, & solùm caperet illam rem certam: vel alius quoque in re certa institutus esset, nullus verò simpliciter, vel universaliter, aut in certa quota, v. g. sic: *Titium & Cajum hæredes instituo, volóque, ut Titio detur domus mea, & Cajo supellex argentea?* & quilibet capit illam rem certam, tanquam prælegatum, in residua autem hæreditate succedunt æqualiter. *arg. l. 9. §. 13. & l. 35. ff. de hæred. instit.*

36 Quæres, an hæres possit institui in re aliena? R. negativè ex *Auth. Ingressi. C. de SS. Eccl.* propter defectum dominii. *Objic.* Valet Legatum rei alienæ. §. 4. *Inst. de Leg.* favet quoque *can. 5. caus. 12. q. 5.* ergo & institutio in re aliena. R. *N. cons.* quia illud permittunt Jura, istud negant. Dein nec legatum rei alienæ valet, si legans ignoravit

ravit esse alienam, sed solùm, quando scivit. §. 4. *cit.* quo casu tenetur hæres rem legatam emere justô pretiô, &, si eam dominus nollet vendere (ad quod non obligatur) Legatario dare æstimationem. §. 4. *cit.* in quo nulla reperitur iniquitas. Jus Canonicum tamen specialiter prohibet legari rem alienam, quæ ad Ecclesiam pertinet. *c. 5. h. t.* Sicut Jus Civile specialiter prohibet legari res ad Imperatorem spectantes.

Dico 24. Hæredi, postquam sibi delatam hæ- 37
reditatem adiit, competunt duo remedia ad eam consequendam à tertio, qui eam detinet, nempe *petitionem hæreditatis* in Petitorio, & *interdictum quorum bonorum utile* in Possessorio. Si verò alicui deberetur hæreditas non Jure Civili, sed Prætorio, daretur *possessoria bonorum petitio* in Petitorio, & *interdictum quorum bonorum directum* in Possessorio Judicio. *t. t. ff. de hæred. petit. & de possess. bonor. & de Interdicto quorum bonor.* Dixi 1. *delatam*; *defertur* autem hæreditas, quando aperitur, & certò constat, quis sit hæres vel ex testamento, vel ab intestato, ita ut statim eam adire vel repudiare possit, prout voluerit. Dixi 2. *adiit:* aditur autem hæreditas, quando hæres vel verbis, vel factis declarat, se hæreditatem admittere, seu sibi vendicare: Si declaret verbis, hæc aditio vocatur etiam *agnitio:* si factis, v. g. res hæreditarias distrahendo, æs alienum solvendo, debita exigendo &c. strictè dicitur *pro hærede gestio:* Si hæres *suus* adeat, Juridicè appellatur *immixtio:* sicut vice versa, si hæres *suus* declaret, se hæreditatem non admittere, appellatur *abstentio*, si extraneus, *repudiatio.* Et aditio, & repudiatio fieri ne-

quit sub conditione; quia est actus legitimus, qui non recipit conditionem. *l. 77. ff. de R. J.* Effectus aditionis est acquisitio dominii rerum hæreditariarum, item transmissio hæreditatis ad hæredes adeuntis; hæreditas enim non adita regulariter non transmittitur. *l. un. §. 5. C. de caducis toll.* cùm nemo possit plus juris transferre in alios, quàm ipse habuerit. *c. 79. de R. J. in 6.* Dixi 3. *hæreditatem.* Sed

38 Quæres, quid sit hæreditas? R. *Objectivè* sumpta sunt res hæreditariæ, seu universitas, res & jura omnia à defuncto relicta complectens. *l. 20. ff. de hæred. petit. l. 62. ff. de R. J.* Si autem sumatur *formaliter* pro jure hæreditario, est successio in universum jus, quod defunctus habuit. *l. 62. cit.* h. e. jus succedendi in omnia jura defuncti: quod jus est incorporale, & dividi nequit: quando autem adis hæreditatem, tota quidem statim fit tua cum omni jure, non tamen mox res singulæ. *l. 208. ff. de V. S.* & hinc singulas non potes vindicare, sed, si alius detineat, per petitionem hæreditatis consequi debes.

39 Dico 25. Hæres adeundo hæreditatem contrahit obligationem non modò solvendi omnia defuncti debita, licèt hæreditatem excedant. 2. Sed etiam legata à defuncto relicta. 3. Ne tamen nimium ipsi immineat præjudicium, Jus ipsi indulsit facultatem & tempus deliberandi, intra quod inquirere potest, quanta sit hæreditas, quanta debita, & legata exsolvenda, & quidem integer annus à die, quo scivit se hæredem: licèt, casu quo non urgerent aditionem creditores defuncti vel legatarii, 30. anni sint ipsi ad adeundam hæredi-

ditatem concessi. Quia tamen neque hoc pacto semper fuit hæredibus consultum, 4. alterum ipsis beneficium, nempe *Inventarii*, est indultum, licèt eo utendi non sit imposita necessitas, sed solùm concessa facultas. Pars 1. constat indè, quòd hæres reputetur eadem persona cum defuncto, consequenter easdem quoque contrahat obligationes. Pars 2. ex §. 5. *Inst. de oblig. quæ ex quasi contr.* nam aditio hæreditatis est quasi-contractus cum legatariis, quo his (non verò aliis creditoribus) se obligare censetur hæres. Pars 3. ex *t. t. ff. & C. de jure deliber.* Pars 4. ex *l. fin. §. 2. & 14. ff. eod.* Est autem *Inventarium* nihil aliud, quàm legitima & specifica annotatio omnium bonorum, jurium, & debitorum &c. defuncti: ejus confectio inchoari debet intra mensem à tempore, quo hæredi innotuit, hæreditatem sibi esse delatam, atque absolvi intra tres menses à dicto tempore, atque subscribi ab hærede, vel à Notario ad id rogato. Quoad modum rectè attenditur consuetudo locorum. Quamvis autem non teneatur de Jure Communi hæres ad confectionem Inventarii (licèt Jus Bavaricum *tit. 43. a. 1.* jubeat in quatuor casibus, etiam invitis hæredibus, auctoritate publica confici) sibi tamen valde consulit, si confici procuret; consequitur enim sequentia privilegia. 1. Adiens hæreditatem non tenetur ultra vires hæreditatis solvere creditoribus & legatariis. 2. Nec attendere, quis creditorum habeat privilegium prælationis. 3. Potest retinere vel deducere falcidiam, quam deducere non posset, si Inventarium non curaret confici: quod multi etiam extendunt ad Trebellia-

ni-

nicam, item ad Legitimam, si hæres suus se immiscere ret hæreditati non confectô Inventariô. *Nov. 1. c. 2. §. 1. Auth. Sed cùm C. ad L. Falcid.*

40 Quæres, quid sit *Falcidia*, & quid Juris circa illam? ℟. 1. *Falcidia* est quarta pars bonorum testatoris, quæ deducto ære alieno & expensis funeralibus reperiuntur tempore mortis, & hæc debetur hæredi (instituto, vel venienti ab intestato) nimiùm & ita gravato legatis, ut his solutis ei non remaneat quarta pars bonorum defuncti. *§. 1. 2. 3. Inst. de Lege Falcid.* sic dicta à tribuno-plebis Falcidio, hanc legem ideo ponente, ut, si fortè testator nimiis legatis ferè exhausisset hæreditatem, hæredi maneret saltem quarta illius pars, quam ille, de omnibus legatis, juxta illorum proportionem aliquid defalcando (imò etiam de donationibus mortis causâ. *l. 5. & 18. C. ad L. Falcid.*) consequetur. Ferè sicut *Trebellianica* conceditur hæredi, qui fideicommisso universali tam expressivo gravatus est, ut ipsi non remaneret quarta pars hæreditatis. An de fideicommissis particularibus excessivis detrahi possit Trebellianica, aut Falcidia, disputatur. ℟. 2. Falcidia (idem ferè est de Trebellianica) non habet locum 1. in Legatis Piis Auth. *Similiter C. ad L. Falcid.* 2. in privilegiatis, quando nimirum res singulares ita relinquuntur, ut non alienentur à Legatariis, sed ad hæredes transeant. *arg. l. fin. C. de reb. alien. non alien.* 3. In testamentis militum. *l. 7. C. ad L. Falcid.* 4 Si Testator expressè prohibuit detractionem falcidiæ. *Nov. 1. c. 2. §. 2.* ubi recessum est à Legibus antiquis. §. Si hæres se reum fecit criminis *expilatæ hæreditatis*

tatis surripiendo, vel negando aliquid de bonis hæreditariis: imò si solummodo suspectum non conficiendo Inventarium. *Nov. cit. c. 2. §. 1. & 2.* Jus Bavaricum *tit. 38. art. 2.* permittit Falcidiam etiam in legatis piis, & privilegiatis, casu quo ad eam non sufficiunt alia legata: & econtra testatori non permittit prohibitionem Falcidiæ.

Dico 26. Adire hæreditatem possunt omnes, qui se obligare, repudiare autem, qui adire. Communis. Unde nec adire nec repudiare possunt pupilli sine authoritate tutoris. *l. 5. C. de Jure delib. l. 5. C. de repud. & abstin. hæred.* Et qui semel adiit, repudiare amplius non potest *l. 4. C. eod.* excipitur hæres suus. *l. 6. C. eod.* Ex parte autem adire, & ex parte repudiare nulli licet. *l. 1. 2. 10. ff. de acquir. hæred.* 41

Dico 27. Testamentum, semel validè conditum, resolvitur quadruplici modo. 1. *Irritatione*, quando ex parte testatoris supervenit defectus, nempe si patitur *capitis diminutionem*, vel maximam, si fiat servus, vel mediam, si proscribatur ex Romano Imperio, vel minimam, si alterius juri subjiciatur patiendo se arrogari ab alio. 2. *Destitutione*, quando ex parte hæredis emergit defectus, ut si hæres esse vel non potest, vel non vult. 3. *Ruptione*, quando intervenit mutatio voluntatis in testatore, seu revocatio testamenti prius facti, vel verbis, vel facto; nam testamentum & quælibet ultima voluntas usque ad supremum spiritum pro libitu revocabilis est. *l. 4. ff. de adim. Legat. l. 22. ff. de Legat. III.* ibi: *nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut à priore* (suprema voluntate) *ei recedere non liceat;* adeóque revocationi 42

non

non obstat pactum, vel clausula omni dispositioni contrariæ derogatoria, testamento adjecta, modò revocans testator dicat, prioris voluntatis se pœnituisse. *l. 22. cit.* imò nec juramentum de non revocando adjectum obstat ita, ut revocari *validè* nequeat, vel etiam *licitè*, si justa causa revocandi superveniat. Ut *nudis verbis* revocari valeat testamentum, requiruntur duo copulativè, nempe ut decennium à tempore conditi testamenti effluxerit, & revocatio fiat vel apud Acta, vel coram tribus saltem testibus. *l. 27. C. h. t.* Ut autem *facto* censeatur revocatum, opus est vel cancellatione totali aut partiali, vel factione novi testamenti, vel supervenientiâ posthumi. *Cancellatio totalis* est, quando testator delet totum testamentum scriptum per lineas cancellatim & per modum crucis ductas: *partialis*, quando delet partem substantialem, v. g. omnes hæredes, nomina testium, tollit signacula, tabulas incîdit aut lacerat. *Factio novi testamenti* tunc rumpit prius testamentum, quando posterius validè est conditum, sive dein sit solenne sive privilegiatum. Si tamen prius testamentum fuisset inter liberos (idem tene de testamento Pio, si altertim esset ad causas profanas) non revocaretur per posterius, nisi solenne sit, expressam mentionem faciens prioris, aut coram 7. testibus declaret testator, se nolle prius valere. *Nov. 107. c. 2.* Sed & *supervenientia posthumi* rumpit testamentum, quando nempe testatori post conditum testamentum ex justo matrimonio nascitur filius, vel ab ipso aliquis arrogatur in filium, aut adoptatur descendens. Denique 4. *officiô Judicis* præcedente *querela inoffi-*

officiosi testamenti, de qua jam superiùs *n. 31.* dictum est. Atque hæc communiter sunt recepta inter DD. ac in Legibus fundata. Verùm.

Dubitabis, an testamentum, quod quis fecit ante ingressum Religionis, rumpatur vel irritetur per Professionem Religiosam ab ipso emissam? 43
℟. Cum communi negativè; quia ruptionis vel irritationis sufficiens non apparet ratio. *Objic.* 1. Testamentum rumpitur per agnitionem posthumi: sed per Professionem testatori quasi nascitur filius posthumus, nempe Religio vel Monasterium. 2. Per capitis diminutionem irritatur testamentum: sed Professus Religionem patitur capitis diminutionem, cùm desinat esse sui juris. ℟. ad 1. *N. min.* nam Monasterium, saltem extra casus Jure expressos, non habetur loco filii, sed potiùs loco parentis respectu professi. Ad 2. *N.* iterum *min.* non enim patitur propriè diminutionem capitis, in quam Leges Civiles statuerunt irritationem testamenti.

Dico 28. Executio Testamenti pertinet ad 44
Executorem, vel *Testamentarium*, quem testator nominavit, vel, si Testator nullum nominavit, ad *Dativum*, quem dat Judex vel Magistratus, vel ad *Legitimum*, seu *Legalem*, quem ipsa Lex determinat. 2. Si verò nec Testator nominavit Executorem, nec Judex constituit, vel Lex, tenetur hæres illam facere, præstando legata &c. etiam pia. 3. Nullus tamen invitus, nisi vel expressè vel tacitè jam semel susceperit officium executoris, ad id cogi potest regulariter. Pars 1. per se patet; cùm ratio naturalis exigat, ut subveniatur personis jam demortuis, omni auxilio destitutis,

&

& ut ultimæ voluntates non destituantur effectu; quod curare vel maximè spectat ad constitutos vel rogatos executores. Pars 2. habetur *c. 3. & 6. h. t.* excipiuntur tamen (nisi aliud habeat consuetudo) legata pro redemptione captivorum, & alimentatione pauperum facta, & casus, quo causa pia in genere (v. g. pauperes) hæres est instituta; pro his enim casibus Jura volunt Episcopum esse executorem. *l. 28. C. de Episc. & Cleric. Nov. 131. c. 11.* Pars 3. sumitur ex *c. 19. h. t. & l. 17. C. de Procurat.* Excipe, nisi in testamento denominatus sit executor, & nullus id oneris in se suscipere velit; tunc enim Episcopus Clericum, vel Magistratus Sæcularis Laicum compellere potest. *arg. c. 3. c. 17. h. t.* per *l. un. C. qui pro sua jurisd.* ne ultimæ voluntates careant effectu, quæ sunt causa mixti fori, ut detur locus præventioni, ut docet communis cum Abb. in *c. 6. cit. n. 3.* Favet *c. 17. cit. & Nov. 131. c. 10.* Sic etiam hæres, ubi nullus alius est constitutus executor, cogi potest. per *c. 6. cit.*

45 Dico 29. Executio, si testator certum tempus non designavit, debet fieri statim & sine mora. *c. 6. cit. & l. 47. ff. de Legat. I.* Et hæc obligatio pro foro interno vel ideo statim urget, quia Legatarii post aditam hæreditatem statim fiunt domini legatorum. *l. 86. §. 2. ff. eod.* atque ex dilatione executionis ipsis damnum, & defunctis præjudicium, si fortè Missæ v. g. quas testator petiit, differrentur, oriri posset. Pro foro externo statutum est, ut, si executor, semel monitus, intra annum non exequatur, quæ testator voluit, perdat omne id, quod ipsi aliàs ex testamento com-

competeret, sive sit hæreditas, sive legatum, ac potestas exequendi devolvatur ad Episcopum saltem quoad causas pias, &, si bis monitus non exequatur ultimam testatoris voluntatem, etiam ante anni lapsum dictis commodis privetur. *Nov. 131. c. 10, 11. c. 3. h. t.*

Dico 30. Executio fieri debet strictè juxta vo- 46
luntatem defuncti, si de ea satis constet, ita quidem, ut executor, nisi sit Episcopus, regulariter non possit commutare ultimas voluntates, ad causas pias testantium, in alios usus, licèt evidenter meliores. 2. Si verò de ultima voluntate non satis constet, juxta mentem defuncti rationabiliter præsumptam. Pars 1. est certa ex *l. 120. ff. de V. S.* ubi insinuatur, quòd voluntas & dispositio testatoris sit habenda *pro Lege:* & ex *l. 19. pr. ff. de condic. & demonstr.* ubi innuitur, quòd ultima voluntas velut *Regina* dominari debeat. Quòd autem executor commutare regulariter non valeat dispositionem Testatoris claram, sustinet communis ex Trid. *s. 22. c. 6. de ref. Clem. 2. de Relig. dom. & l. 120. cit.* Dixi 1. *Regulariter:* si enim legatum nequiret ampliùs, vel non nisi difficillimè, applicari causæ vel loco pio, ad quem fuit destinatum, tunc ex præsumpta testatoris voluntate posset applicari in alium usum pium; licèt deceret, vel etiam oporteret consilium vel consensum Episcopi petere, cujus vel maximè est interpretari ultimas voluntates. Dixi 2. *Nisi sit Episcopus;* huic enim, quamvis multi cum Mol. Barb. Pirhing negent, alii tamen probabiliùs, favente praxi, concedunt potestatem commutandi ultimas voluntates ex justa causa utilitatis, pieta-

tis &c. propter Trid. *loc. cit.* ubi sic ait: in *commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa & necessaria causa fieri debent, Episcopi tanquam delegati Sedis Apostolicæ summariè & extrajudicialiter cognoscant &c.* Nec obstat *Clem. cit.* quæ adjicit hæc verba, *salva Sedis Apostolicæ auctoritate*; quia intelligi debent vel de commutatione in usum minùs pium aut utilem, vel de facta sine justa causa: vel illi derogatum est per Trid. Dixi 3. *Ad pias causas testantium*; siquidem testamentum vel legatum profanum commutare ex justa causa, utilitatem vel necessitatem publicam spectante, ad Sæcularem Magistratum vel Principem supremum pertinet. per *l. 4. ff. de administr. rer. ad civit. pertin.* Pars 2. Assertionis fundatur in æquitate naturali, quæ exigit, ut testamenti executio, ubi clarè non constat de voluntate defuncti, fiat juxta mentem ipsius verisimiliter & rationabiliter præsumptam; præsertim cùm juxta communem DD. & Leges in ultimis voluntatibus conjecturæ attendi plurimùm debeant.

47 Quæres, quæ sint partes Executoris circa *reserationem Testamenti*, & *confectionem Inventarii*? R. Hoc maximè dependet à particulari locorum consuetudine. Hac secluſa pertinet reseratio potiùs ad Judicem, quàm ad Executorem: est autem reseratio duplex, *privata* nimirum aperitio vel inspectio, quæ fieri solet statim post mortem ad instantiam hæredum, ut constet, quid testator ordinaverit circa funeralia, executionem &c. & *solennis*, seu *publicatio*, quæ primùm completis funeralibus, & *trigesimô* celebratô, ubi hæredes ante testa-

testator illum celebrari voluerint, fieri consuevit, citatis ad illam omnibus interesse habentibus, quibus originale exhibetur, & iis, qui desiderant, communicatur copia testamenti, relictô spatiô hæredibus adeundi hæreditatem, & aliis si velint, impugnandi testamentum. Postea conficitur Inventarium, de quo suprà *n. 39.* quæ confectio licèt spectaret ad Executorem testamentarium in præsentia hæredum, apud cives tamen & plebeios in Bavaria non sine interventu Judicis Ordinarii. Landt-Recht *tit. 43. a. 2.* qui in eadem Bavaria statim post obitum obsignat bona defuncti omnia, exceptis iis, quæ ad usum quotidianum sunt necessaria. Confectô Inventariô consignantur bona defuncti Executori, qui finita executione tenetur hæredi coram Judice rationes reddere executionis suæ.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab Intestato.

SUMMARIUM.

1. *Successio quotuplex, præsertim ab intestato quid sit.*
2. *Classes succedentium ab intestato.*
3. *Primo succedunt Descendentes, & quales.*
4. *In eorum defectu Ascendentes, & quomodo.*

§. 6. *Si & isti deficiant, Collaterales, & quinam priùs.*

7. 8. *An aliquando ſuccedat Uxor, aut Fiſcus.*
9. *Quis ſuccedat Clericis, & Novitiis.*
10. *An valeat pactum de ſuccedendo, vel non ſuccedendo.*

1 *Succeſſio ab inteſtato* opponitur ſucceſſioni *ex teſtamento*, & eſt acquiſitio hæreditatis extra caſum teſtamenti & ultimæ voluntatis, ſeu quando defunctus deceſſit *inteſtatus*, h. e. quando vel nullum teſtamentum aut aliam diſpoſitionem fecit, vel quando quidem fecit teſtamentum, ſed invalidum, vel validum quidem, ſed poſtea deſtitutum, ruptum, vel annullatum. Hæc ſucceſſio vel eſt *Civilis ſeu Legitima*, quando ex *diſpoſitione Legis* ſeu Juris Civilis vocantur aliqui ad hæreditatem, ſicut per teſtamentum vocantur ex *voluntate hominis*. Vel eſt *Prætoria*, quando Prætor aliquos vocat, de Jure Civili aliàs non vocatos, utì ſunt liberi jam emancipati, & cognati, quos Jus Prætorium admittit ad ſuccedendum parentibus & cognatis. *l. 2. ff. Unde legitimi. l. 1. ff. Unde cognati.* Rigor autem Juris Civilis ſolùm admittit conſtitutos in patria poteſtate, & agnatos. *§. 9. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt. l. 1. cit. pr.* Atque hæc ſucceſſio Prætoria vocatur etiam *bonorum poſſeſſio*. Vel eſt *Feudalis*, quando aliquos vocat Jus Feudale, de qua nos ad *tit. de Feud.* ſuprà. Vel eſt *Statutaria*, quando Statutum: vel *Conſuetudinaria*, quando obſervantia loci aliquos ad ſuccedendum vocat. Vel denique eſt *Pactitia*, quando per pactum *affirmativum* acquiritur alicujus hæreditas, aut per *negativum* ei renuntia-

tiatur in aliorum favorem. Hìc ſolùm agetur de *Civili* ac *Prætoria*, & breviter de *Pactitia* in fine.

Dico 1. Tres ſunt ordines ſeu claſſes de Jure Civili & Prætorio ſuccedentium ab inteſtato, nempe deſcendentium, aſcendentium, & collateralium defuncti. *Nov. 118. c. 1. 2. 3.* Itaque. 2

Dico 2. Ante omnes alios ab inteſtato ſuccedunt ſoli deſcendentes, nempe parentibus liberi naturales & legitimi ſimul in capita: ſi verò liberi non exſtent ulli, ſuccedunt nepotes & neptes, & quidem, ſi deſcendant ex una tantùm ſtirpe, etiam in capita; ſi verò ex pluribus liberis, in ſtirpes: demum ſi unus vel plures ex liberis eſſent ſuperſtites, alius autem aut plures eſſent demortui, relictis tamen liberis, iſti liberi, & reſpectu defuncti nepotes, ſuccedunt tantùm in ſtirpes. *Nov. cit. c. 1. §. 6. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt. l. 2. C. de ſuis & legit. hæred.* Ratio, quia liberi & nepotes in linea recta votô parentum & avorum ad bona à ſe relicta vocari cenſentur. per *l. 220. §. fin. ff. de V. S.* imò & naturali æquitate, quæ dictat, liberos & deſcendentes ali debere ex bonis eorum, à quibus vitam hauſerunt. Dixi 1. *Naturales & legitimi ſimul*, ſive ſint ſui ſive emancipati, ſive mares ſive fœminæ, ſive jam nati, ſive in utero adhuc exiſtentes, ſive ſæculares ſive Clerici, aut Religioſi Religionem ſucceſſionis capacem profeſſi; ſed loco horum ſuccedit Religio. Idem jus ſuccedendi competit legitimatis per ſubſequens Matrimonium. *Naturales tantùm* vel *baſtardi*, item *ſpurii*, ſuccedunt quidem matri & ex linea materna aſcendenti- 3

bus æqualiter cum legitimè natis, non tamen patri, cui nunquam succedunt *spurii* seu vulgo quæsiti, cùm horum pater sit incertus, *naturales* verò tunc solùm, quando pater non habet legitimam uxorem, nec prolem legitimè natam, ac *sextante* tantùm, seu in duabus unciis, cum matre, si adhuc vivat, dividendis, de Jure autem Bavarico insuper requiritur, ut nec adsint consanguinei collaterales patris; nepotes autem naturales à successione avi paterni semper excluduntur *l. 2. l. 8. ff. unde cognati. Auth. licèt C. de Natur. lib. Nov. 89. c. 12. §. 4. & 6. inf.* Stat. Bavar. *tit. 39. a. 2. 3. 5.* Sed nec matri, si Illustris sit, & prolem legitimam habeat, succedunt spurii. *l. 5. C. ad S. C. Orfit.* debentur tamen ipsis alimenta ex bonis matris. *Nati ex damnato coitu* nec matri nec patri succedunt, imò nec alimenta ipsis debentur Jure Civili. *Nov. cit. c. ult.* Sed negari alimenta nec Jus *Canon. c. 5. de eo, qui duxit, quam polluit &c.* nec æquitas naturalis patitur. Legitimati per Rescriptum (secluſa consuetudine opposita, quam quidam vigere ajunt) non succedunt parentibus in præsentia legitimè natorum, nisi Princeps, qui solus id potest, specialiter legitimaverit in ordine ad successionem. Dixi 2. *in capita*, seu in partes æquales juxta numerum capitum seu personarum in eodem gradu existentium, nempe quot sunt personæ succedentes, ſo vil Mundt/ ſo vil Pfundt. Dixi 3. *in stirpes* (vel *stirpem*) ubi nempe non attenditur numerus personarum, sed stirps, vel stirpes, ex quibus descendunt hæredes. v. g. pater reliquit tres liberos, unus tamen ante patrem defunctus est relictis 5. liberis: isti 5. liberi

suc-

ſuccedunt omnes ſimul ſumpti in tertia parte hæreditatis patris, & reſpectivè avi, quia non ſuccedunt *jure proprio* & ex propria perſona, ſed *jure repræſentationis* & in perſona ſua parentis, cui, ſi ſupervixiſſet tempore mortis patris, tertia pars fuiſſet debita.

Dico 3. In defectu deſcendentium ſuccedunt 4
aſcendentes legitimi proximi, nempe pater & mater, in capita & in portione æquali, vel ſolus pater, ſi mortua jam priùs eſt mater, ſi autem & hæc præmortua fuiſſet, avus (vel avia) paternus aut maternus, excluſis ſemper remotioribus gradu, & omnibus collateralibus; niſi 2. adeſſent fratres germani, vel ſorores germanæ defuncti, h. e. qui utrumque parentem, patrem & matrem, cum defuncto communem habuerunt, ſeu duplici vinculo ſunt conjuncti, zweybändige Brüder/ oder Schweſter; hi enim cum aſcendentibus ſuccedunt in capita, & eorum, ſiqui præmortui ſunt, liberi in ſtirpes; ſi tamen 3. nullus germanorum ſuperviveret, & ſoli eorum liberi adeſſent, excluderentur penitus ab aſcendentibus. *Auth. defuncto C. ad S. C. Tertull. Nov. 118. c. 2. Nov. 127. c. 1.* Dixi, *excluſis remotioribus gradu.* Eſt autem *gradus* nihil aliud, quam unius perſonæ ab altera in eadem linea (recta, vel obliqua ſeu collaterali) diſtantia. Quoad computationem graduum in materia ſucceſſionis attenditur Jus Civile, quod quidem in linea *recta*, aſcendentium vel deſcendentium, non differt à Jure Canonico, & pro linea recta ab utroque Jure traditur hæc regula, *tot ſunt gradus, quot ſunt generationes.* vel, *quot ſunt perſonæ unâ demptâ*, nimirum com-

muni ſtipite. Pro linea autem *collaterali* ſeu *transverſa* diſcrepat Jus Civile à Jure Canonico, & eandem ſequitur regulam, ita ut proin in linea transverſa non detur primus gradus, & frater & ſoror, vel duo fratres, jam diſtent duobus gradibus, quia duæ interceſſerunt generationes, vel duæ ſaltem reperiuntur perſonæ dempto patre, communi ſtipite. Quæ regula in ſequenti ſucceſſionis ordine erit obſervanda. Quare

§ Dico 4. In defectu tam deſcendentium quàm aſcendentium (nempe liberorum & nepotum, ac parentum & majorum, in linea recta) ſuccedunt conſanguinei collaterales, videlicet 1. fratres (& ſorores) germani in capita, & unius præmortui liberi in ſtirpem, excluſis unilateralibus, Einbür- dig-Halb- oder Stieff-Brüder/ nempe *conſanguineis*, qui eundem cum defuncto patrem, non eandem ſortiti ſunt matrem, & viciſſim *uterinis*, qui ex eadem quidem matre, non autem ex eodem patre procreati ſunt; imò liberi germanorum, etiam ſoli, excludunt fratres unilaterales. 2. Ubi non exſtant fratres germani, ſuccedunt fratres unilaterales, tam uterini quàm conſanguinei, ſi adſint utriusque claſſis, & quidem probabiliùs æqualiter ſine diſtinctione inter bona, utrùm ea provenerint ex matre vel patre, quia bona, poſtquam pervenerunt ad fratrem, fraterna evaſerunt, & non ampliùs ſunt paterna vel materna. 3. In defectu omnium fratrum & ſororum, & ex eis natorum liberorum, vocantur ad ſucceſſionem in capita reliqui conſanguinei propinquiores gradu, excluſis remotioribus, in infinitum, non attento ſexu, vel duplici vinculo, vel jure repræſenta-

tio-

tionis, quod jus repræſentationis ſicut in linea aſcendente datur nunquam, & in deſcendente in infinitum, ita in collaterali datur quidem, at ultra fratrum filios non extenditur. Sumuntur hæc omnia ex *Nov. 118. c. 3. Auth. ceſſante cum duabus ſeqq. C. de legitim. hæredib. l. 2. §. 2. 4. 5. ff. de ſuis & legit. hæred.* Intelligenda tamen ſunt de fratribus legitimè natis, vel per Matrimonium legitimatis; nam naturales & ſpurii, niſi ſint uterini, non ſuccedunt, nec legitimati per Reſcriptum, fratribus legitimè natis, licèt ſibi invicem ſuccedant.

Objic. 1. Eſt commune axioma ex *l. 13. §. 2. C. de legit. hæred.* deſumptum: *maternis cedant materna, paterna paternis:* ergo fratres uterini non ſuccedunt conſanguineis fratribus in bonis à patre ad hos translatis, nec viciſſim conſanguinei, ſeu ex eodem patre prognati, uterinis ſeu ex eadem matre genitis in bonis à matre ad hos translatis. 2. In *§. ult. Inſt. de ſucceſſ. cognat.* jus ſuccedendi in collateralibus reſtrictum eſt ad decimum gradum conſanguinitatis: ergo non datur in infinitum. R. ad 1. *N. Conſ. & ſuppoſitum,* quòd bona, à parentibus in fratres ſemel transmiſſa, ſint adhuc paterna vel materna: dein *l. 13. cit.* derogatum eſt per *Nov. cit.* Ad 2. Ibi Imperator ſolùm dicit, quòd conſanguinei ſuccedant, *etſi decimo ſint gradu;* adeóque hunc gradum præcisè ponit pro exemplo remotæ cognationis vel agnationis, ultra quem ordinariè illa probari ampliùs non poteſt, non verò excludit remotiores.

Quæres, an liberi fratrum & ſororum, qui 6
fortè omnes jam ſunt præmortui, ſuperſtites ſoli

ſuccedant in capita, vel in ſtirpes? R. in capita. *l. 2. cit. §. 2. Comitia Spirenſ. §. 38. de anno 1529.* Ratio, quia, ſi nullus ampliùs ſupereſt ex fratribus vel ſororibus, ceſſat fundamentum repræſentationis, neque ſoli fratrum diverſorum filii repræſentant perſonam patrum ſuorum. Aliud foret, ſi vel unicus ex fratribus ſupereſſet.

7 Dico 5. Caſu quo deficiunt omnes conſanguinei, tam collaterales, quàm aſcendentes & deſcendentes, defunctus autem reliquit uxorem, iſta de Jure Prætorio ſuccedit in bonis mariti, ac viciſſim maritus in bonis uxoris. *l. un. C. Unde vir & uxor.* niſi exſtent Pacta dotalia, aut niſi ſtatutum, vel conſuetudo loci aliud exigat. Si verò adſint liberi, vel alii conſanguinei, tunc ſecluſis pactis dotalibus, ſtatuto, vel conſuetudine loci, quæ omnino obſervari debent, de Jure Civili uxor marito, & viciſſim, ſuccedit vel in quarta parte bonorum defuncti, ſi ejus conſanguinei non ſunt plures quàm tres, vel in portione virili, Kinds-Theil / ſi plures ſint, ſed ſolùm tunc, quando defunctus fuit dives, & ſuperſtes conjux eſt pauper. *Auth. Præterea C. eod. Nov. 117. c. 5.* Si uxor concurrat cum liberis, ſolum uſumfructum ſuæ portionis, ſi verò cum conſanguineis aliis, proprietatem conſequitur. Quomodo de Jure Bavarico ſibi ſuccedant conjuges, & quid cuilibet vel ejus hæredibus poſt mortem alterius cedat, præſertim quoad acquæſtus, das Errungene Gut / ſeu bona, quæ communi utriusque operâ conſtante Matrimonio acquiſita ſunt, tam in caſu, quo liberi adſunt, quàm quo non adſunt, videri poteſt in Statu-

tis

tis Bavar. *tit. 1. a. 1. 3. 4. 10.* & ibi Cancellar. Schmid.

Dico 6. Caſu quo & omnes conſanguinei, & uxor quoque deficit, defuncti bona capit Fiſcus, ſeu ærarium Principis. *l. 1. & 4. C. de bonis vacant. lib. 10.* Si verò defunctus vixit in aliquo Collegio legitima auctoritate inſtituto, huic cedunt illius bona. Si autem fuit peregrinus, illa occupat Epiſcopus eroganda in pias cauſas. *Auth. omnes peregrini C. communia de ſucceſſ.* 8

Quæres, quis ſuccedat Clericis, item Novitiis in Ordine Religioſo, vel etiam Religionem profeſſis? R. 1. Clericis habentibus bona patrimonialia, quaſi-patrimonialia, parſimonialia, aut induſtrialia, ſuccedunt conſanguinei proximi. In beneficialibus congruæ ſuſtentationi ſuperfluis Eccleſia, in qua habuerunt Beneficium, utì & in patrimonialibus, ſi nullos habeant conſanguineos. *c. 1. h. t. c. 1. & fin. de pecul. Cleric. c. 12. de teſtam.* Niſi nempe aliud obtineat conſuetudo, vel privilegium, vel Camera Apoſtolica, aut Epiſcopus habeat jus ſpolii, ut vocant. R. 2. Novitiis, ſi non fecerint aliam diſpoſitionem, utì poſſunt, ſuccedunt proximi conſanguinei exclusô Monaſteriô. Idem eſt, ſi Novitius ex ſpeciali privilegio ante expletum Novitiatûs annum ratione morbi emittat Profeſſionem, & moriatur. R. 3. Profeſſis non tam ſuccedit, quàm retinet Monaſterium illa bona & jura, circa quæ ante Profeſſionem aliter non diſpoſuerunt. *Auth. Ingreſſi C. de SS. Eccl. can. 7. 9. cauſ. 19. q. 3. c. 2. de teſtam.* Si autem Religio non foret capax dominii bonorum temporalium, 9

ſta-

ſtatim poſt emiſſam Profeſſionem ſuccederent Profeſſi hæredes ab inteſtato, perinde ac ſi morte naturali fuiſſet defunctus.

10 Dico 7. Succeſſio pactitia de Jure Communi non valet, ſi vel per pactum negativum renuntietur hæreditati alicujus certi & determinati adhuc viventis. *l. fin. ff. de ſuis & legit. hæred.* vel per pactum affirmativum agatur de ſucceſſione in bonis alicujus determinati & viventis adhuc, ac non conſentientis, aut in conſenſu non perſeverantis usque ad mortem. *l. 15. l. 19. l. fin. C. de Pactis.* quia ejusmodi ceſſiones & pacta præbent occaſionem optandi vel captandi mortem alienam. Dixi, *de Jure Communi*; nam *vi Statuti* paſſim licitè ac validè renuntiant filiæ Illuſtres hæreditati paternæ, & *vi conſuetudinis* validè ac licitè eriguntur pacta dotalia, in quibus ſponſi paciſcuntur de ſucceſſione futura inter ſe: ſic etiam ſubinde renuntiantes hæreditati reſervant ſibi regreſſum ad hæreditatem in eventum, quo aliqua linea, in cujus favorem renuntiârunt, fuerit extincta, vulgò, auf einen ledigen Anfahl.

Objic. Hujusmodi pacta de futura hæreditate viventis valent, ſi eis adjiciatur juramentum: ergo non ſimpliciter ſunt irritata à Jure, vel ſaltem non præbent anſam optandi & captandi mortem alienam, quod eſſet contra Jus Naturale, quo repugnante nec juramentum poteſt obligare. R. In meis principiis, qui defendo, per juramentum non confirmari actus à Jure Civili in favorem privatorum irritatos. *N. ant.* Interim tamen valet tale juramentum in ſua linea, & parit obligationem Religionis ſibi propriam, licèt non reſuſcitet obliga-

ligationem Juſtitiæ, aliàs pacto valido propriam; cùm omne juramentum, quod non vergit in præjudicium tertii, & diſpendium ſalutis æternæ, ſervari debeat ex virtute Religionis. *c. 28. de Jurejur. c. 2. de pact. in 6.* Cœterùm quamvis in *l. 61. ff. de V. O. & l. fin. cit.* hujusmodi pacta dicantur eſſe *contra bonos mores*, & præbere anſam optandi mortem alienam, indè tamen non ſequitur, quòd ſint contra Jus Naturale; quia tantùm ſunt contra bonos mores Civiles, ſeu contra Jus Civile, non contra Jus Naturale, aliàs nec conſuetudine poſſent ſubſiſtere aut ſtatutô. Neque præbent anſam captandæ mortis alienæ proximam, & per ſe, ſed ſolùm remotam & per accidens, atque ex malita hominum accidentali.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit ſepultura Sacra.*
2. 3. *Quinam eâ gaudeant, vel non.*
4. *Ubi fideles ſint ſepeliendi.*
5. *Quæ ſint jura Parochi circa ſepulturam.*

SEpultura, nimirum *ſacra*, in noſtro Jure tripliciter accipitur. 1. Pro jure ſepeliendi corpora mortuorum. 2. Pro actu ſeu officio, quod in ſepeliendis corporibus impenditur. 3. Pro loco ipſo, ubi illa ſepeliuntur. Et in hoc ſenſu definitur eſſe locus religio-

E

gioſus, auctoritate Epiſcopi deputatus ad tumulanda fidelium piè decedentium corpora. per *c. 3. h. t. & c. 4. de Relig. dom.* utì eſt cœmeterium, quod debet eſſe benedictum, vel Eccleſia. Neque inferior Epiſcopô Prælatus, niſi jurisdictione quaſi-Epiſcopali ſit præditus, jus ſepulturæ tribuere, & ad ſepeliendos fideles locum deputare poteſt. per *c. 4. cit.* Si tamen Papa quibusdam concedit privilegium tale, ſicut Ordini Prædicatorum S. Dominici, & Minorum S. Franciſci, conceſſit in ſuis Eccleſis & cœmeteriis privilegium ſepeliendi quoscunque fideles. *Clem. 2. & Extrav. 2. int. Comm. h. t.* (quod alii quoque Religioſi per communicationem participant. Molin. *tr. 2. d. 214. n. 21.*) utique Epiſcopi auctoritate opus non eſt.

2 Dico 1. Sepulturâ ſacrâ gaudent, ſeu in loco ſacro ſepeliri debent, omnes & ſoli fideles, qui piè & chriſtianè moriuntur. *can. 28. cauſ. 13. q. 2. c. 11. h. t.* Dixi 1. *& ſoli fideles*, quare non-Chriſtiani, utì Gentiles, Pagani, Turcæ, Judæi, ita excluduntur, ut non tantùm ſine peccato mortali, & pœna excommunicationis in loco ſacro ſepeliri nequeant, ſed etiam, ſi ſepeliantur, rurſus exhumandi ſint, & cœmeterium vel Eccleſia cenſeatur polluta, ac reconciliatione indigeat. *can. 27. 28. d. 1. de Conſecr.* Idem tene de Hæreticis & excommunicatis non toleratis. *c. 12. & Clem. 1. h. t. c. 7. de Conſecr. Eccl. vel altar. c. 2. de hæret. in 6.* Infantes Chriſtianorum ante Baptiſmum, ſaltem dubium, extincti non in loco ſacro, ſed propè illum, ſepeliri debent ac ſolent, niſi in utero matris extincti ſepeliantur cum demortua matre. Dixi 2. Qui

piè

piè & Christianè moriuntur; siquidem & Catholici generatim omnes privandi sunt sepulturâ sacrâ, qui in peccato mortali notorio decesserunt, v. g. in actuali furto, vel adulterio &c. occisi. *can. 16. 19. 21. caus. 13. q. 2.* Atqui in specie 1. Excommunicati, probabiliter etiam tolerati. 2. Nominatim interdicti. 3. Usurarii manifesti. 4. Raptores seu violatores Ecclesiarum, ac incendiarii. 5. Qui decimas non solverunt. 6. Religiosi proprietarii, seu retinentes peculium sine licentia Superioris. 7. Qui per totum annum omiserunt Confessionem Sacramentalem & Communionem Paschalem. 8. Maledici, seu blasphemi. 9. Suicidæ, seu qui se ipsos sponte occîderunt ex desperatione, iracundia, vel simili passione: non verò, si id fecerunt mente moti, vel semifatui, propter nimiam tristitiam &c. sibi non satìs præsentes. In dubio, an quis sanæ mentis fuerit, an sibi ipsi vim intulerit, vel casu aut ab alio interemptus sit, debet præsumi benignius: stante tamen hujusmodi dubio expedit talem clàm & nocte in loco sacro sepelire ad cavendam populi offensionem. 10. Qui in torneamentis, hastiludiis, per se conjunctis cum probabili vitæ periculo, occisi sunt. 11. Qui formaliter duellantes in loco conflictûs obierunt. Communis ex variis canonibus. Circa quos notandum, quòd delictum debeat satìs esse & publicè notum, atque ante obitum non apparuerit signum pœnitentiæ (quod tamen apud duellantes probabiliùs non sufficit) &, ubi Justitia exigit, satisfactio parti læsæ non sit facta, saltem per cautionem sufficientem. Dein adverte, quòd ossa illicitè sepultorum, si ab aliorum fidelium

offi-

ossibus vel corporibus discerni possint, exhumanda & procul abjicienda sint. per *c. 12. cit.*

3 *Objic.* 1. Vidimus nuper durante bello hæreticos, qui in terris Catholicis obierunt, in cœmeteriis Catholicorum quandoque sepultos fuisse. Imò Cæsar & Status Catholici in penultimo bello Turcico hæreticis, suppetias alioquin negaturis, promiserunt sepulturam sacram. Ergo non est illicitum hæreticos toleratos sepelire in loco sacro. 2. Licitum est communicare cum excommunicatis toleratis adhuc viventibus: ergo etiam cum mortuis indulgendo ipsis sepulturam sacram. 3. Etiam affectis ultimô supplicio negatur sepultura sacra, licèt pœnitentes sint mortui: ergo. R. ad 1. *C. antec. N. cons.* In nupero bello in quibusdam urbibus, ubi dominabantur Præsidia Acatholica, Parochi fuerunt compulsi per metum gravis incommodi, ac in bello penultimo Turcico Status Catholici per metum, ne sibi ab Hæreticis negarentur suppetiæ adeò necessariæ pro bono publico, id concesserunt. Et hinc Ecclesia tanquam pia mater, per suas leges non obligans cum periculo gravis incommodi, privati aut publici, pro his circumstantiis rectè credebatur non urgere observationem suarum legum, præsertim cùm hæretici sepulturam suorum in loco sacro non in contemptum Ecclesiæ, sed præcisè petierint ut honorem politicum. Unde Ecclesia etiam tolerat consuetudinem, vi cujus, ubi hæretici vivunt Catholicis immixti, in cœmeteriis & Ecclesiis, quas habent communes, tumulentur utrique, ac ut hæretici inferantur sepulchris majorum suorum Catholicorum. Ad 2. item

rum

rum *N. conſ.* communicare cum vivis præcisè in gratiam fidelium eſt conceſſum, & per hoc nihil favoris indultum eſt excommunicatis: ſed ſepultura ſacra præcisè cederet in favorem excommunicatorum demortuorum; nam fideles vivi nihil indè commodi conſequuntur. Interim ſententia oppoſita, quæ eſt multorum, ſervire poteſt ad hoc, ut tales excommunicati, ſi ſemel jam ſint ſepulti in loco ſacro, exhumari non debeant. Ad 3. Affectos ultimô ſuppliciô non Jus ſcriptum, ſed conſuetudo ad abſterrendos alios à criminibus capitalibus privat ſepulturâ ſacrâ. Et hinc neque electio ſepulturæ conceditur damnatis ad mortem.

Dico 2. Quilibet fidelis de Jure ſepeliendus 4
eſt in Parochia, in qua habuit domicilium, vel quaſi-domicilium, ſeu in qua recipere conſuevit, vel debuit Sacramenta, & audire Divina. 2. Niſi alibi elegerit ſepulturam, quod regulariter omnibus pubertatem adeptis eſt permiſſum. 3. Vel niſi habeat ſepulturam à Majoribus ſuis electam. 4. Religioſi autem, etſi moriantur extra clauſtra, ad ſua Monaſteria & Eccleſias deferri poſſunt etiam irrequiſitô parochô loci, ubi deceſſerunt. Pars 1. habetur *c. 1. & 10. h. t. c. 3. eod. in 6. Clem. 2. eod. §. verùm.* Ratio, quia, ſicut ad Parochum ſpectat parochianos ſuos adhuc viventes paſcere verbô divinô & reficere Sacramentis &c. ita ad eundem pertinet providere mortuis de ſepultura, &, ſicut ad eundem ſpectabat onus providendi ſpiritualia vivis, ita æquum eſt, ut funeralia percipiat à mortuis. Si defunctus in duabus parochiis habuit domicilium, vel

quasi, sepeliendus est in ea, in qua decessit, si in neutra decessit, deferendus est ad illam, in qua solitus est percipere Sacramenta, & interesse Divinis officiis, si autem in neutra hoc solitum est facere, datur locus præventioni, vel portatur funus ad illam, ad quam commodiùs transferri potest arbitriô amicorum. Pars 2. sumitur ex *c. 7. h. t.* quia electio sepulturæ se habet instar ultimæ voluntatis. Et hinc ista electio competit omnibus, qui per ultimam voluntatem possunt disponere in ordine ad spiritualia. *c. 1. x. & c. 1. 2. 3. 4. h. t. in 6.* Religiosis, quia proprium velle & nolle non habent, non competit, nisi procul à suo Monasterio decedant, vel possideant Beneficium Ecclesiasticum extra Monasterium: Prælatis tamen, Abbatibus, Provincialibus, Rectoribus, Quardianis non negatur, modò habeant rationabilem causam eligendi, & caveant bonæ opinioni suorum domiciliorum. *text. & gl. in c. fin. eod. in 6.* Licèt autem quilibet sibi possit eligere sepulturam extra parochialem Ecclesiam, Religiosis tamen & Clericis sub excommunicatione reservata prohibitum est, ne aliquem inducant ad vovendum, jurandum, vel simpliciter promittendum, ut neglecta parochiali sepulturam eligat in suis Ecclesiis vel cœmeteriis effectu secuto, vel ut pro suis Ecclesiis semel electam non ampliùs mutet. *c. 1. h. t. in 6. Clem. 3. in f. de pœnis.* Pars 3. ex *c. 1. x. & c. 3. h. t. in 6.* quia defunctus tacitè censetur elegisse sepulturam à Majoribus suis electam, & sibi paratam, si voluntatem contrariam non declaravit. Excipitur uxor, quæ, si ipsa non elegit sepulturam, licèt elegerint ejus

Majo-

Majores, tumulanda est in sepultura mariti præmortui, & quidem, si plures habuit, ultimi, licèt iste extra Parochiam sepultus sit, *can. 2. 3. caus. 13. q. 2. c. 3. cit.* cùm deceat, mulierem sequi virum suum tanquam caput. Pars 4. ex resolutione S. Congreg. 2. Jul. 1620. quam allegant Donat. & Barbos. *de off. & pot. Paroch. c. 26. n. 68.*

§

Quæres, an & quid Parochialis Ecclesia, vel potiùs Parochus, prætendere possit casu, quo Parochianus (vel ejus Majores) alibi elegit sepulturam, & tumulatur? Item quid juris competat eidem adversùs eum, qui alienum parochianum, qui nullam elegit sepulturam, nec habuit electam à Majoribus, sepelivit in sua Ecclesia vel cœmeterio? R. ad 1. De Jure prætendere potest *portionem Canonicam parochialem* ab illa Ecclesia, in qua sepelitur, ex illis bonis, quæ intuitu funeris obveniunt illi Ecclesiæ, qualia sunt legata, oblationes &c. & *funeraria*, vel *mortuaria* appellantur. *c. 1. seqq. h. t. Clem. 2. v. verùm. cit.* Quæ portio ferè est quarta pars eorum, quæ ratione funeris & per ultimam voluntatem defuncti (exceptis tamen, quæ pro fabrica, vel ornamentis, & ad perpetuum DEI cultum legantur) tali Ecclesiæ obveniunt, & à Tridentino *s. 25. c. 13. de ref.* vocatur *quarta funeralium.* Sed ab hac portione Parocho reddenda per privilegium absolvit Summus Pontifex Monasteria Dominicanorum & Franciscanorum aliorúmque Mendicantium Ordinum. Imò consuetudo eam in nostris partibus penitus abrogâsse videtur. Interim tamen censeo, præsertim in locis, ubi illa per consuetudinem abrogata est,

spectato Jure fas esse Parocho petere, ut consuetæ exequiæ & officia funebria pro tali parochiano alibi sepulto apud se celebrentur. Ratio, quia certum ex una parte est, quòd de Jure quilibet sepeliendus sit in sua parochia: ergo pariter certum est, quòd Ecclesiæ parochiali competat jus celebrandi exequias & officia funebria, ex jure sepeliendi resultans: ergo hoc jus celebrandi exequias tamdiu asserendum est Ecclesiæ parochiali, quamdiu non probatur id ei esse ademptum: atqui per hoc, quod parochianis concessum sit eligere sepulturam alibi, & in Ecclesiis non parochianis indultum jus sepulturæ, Ecclesiæ parochiali non est ademptum jus funerandi & exequias celebrandi, utpote distinctum ab illo; præsertim cùm privilegia, quæ adversantur Juri Communi, & privatorum, sint restringenda, imò Jus ipsum *c. 9. h. t.* & Pontifices in suis Bullis, ubi indulgent eligi sepulturam extra parochiam, v. g. in Monasteriis, expressè addant hanc clausulam, *salvâ justitiâ Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur*, h. e. salvo jure Parochialium Ecclesiarum, ut passim explicant Canonistæ.

Objic. 1. Libertas sepulturæ, Regularibus indulta, ut ait P. Reiffenstuel *h. t. n. 38.* nimiùm læderetur, si hæredes cogi possent ad duplicanda officia & Missas; sic enim fideles absterrerentur ab electione sepulturæ apud Regulares. 2. Id foret clara violentia, ut agunt Donatus & Portell, tum contra justitiam hæredum defuncti, tum contra justitiam libertatis sepulturæ. R. ad 1. & meliori jure inverto argumentum: jus parochiale funerandi,

di, quod est antiquius privilegiô Regularibus concedente jus sepulturæ, nimiùm læderetur, si Ecclesiæ parochiales non possent hæredes cogere ad competentes exequias & officia funebria apud se celebranda, quæ tamen onus habuerunt vivis ministrandi spiritualia: dein non assero, duplicari debere, & tot omnino sacra &c. celebrari in Ecclesia parochiali, quot in Ecclesia Regulari, ubi electa est sepultura, celebrantur, sed solùm consuetas & defuncti statui convenientes exequias. Ad 2. Est eadem responsio, & negatur assertum; si hæredes, vel defunctus, nolint duplicari exequias, omittant electionem sepulturæ alibi, ad quam non obligantur, bene tamen ad justitiam Ecclesiæ parochiali competentem, seu ad jus funerandi seu exequias celebrandi, ad quas habent Parochi intentionem in Jure fundatam, non lædendum.

℟. Nunc ad 2. quæsitum. Parocho competit jus petendi, ut sibi unà cum cadavere restituantur omnia, quæ occasione sepulturæ percepta sunt. *c. 5. 6. 10. h. t.* Cadaver tamen ordinariè exhumari vix potest absque scandalo, vel alio incommodo; & ideo praxi præstat alio modo satisfactionem fieri, & amicabilem compositionem.

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Parochia, & quinam Parochiani.*
2. *An & quando possit vel debeat Episcopus novam erigere Parochiam.*
3. *Jura Ecclesiæ Parochialis.*
4. 5. *Officium Parochi, & Parochianorum.*

1 *Parochia,* vel *parœcia,* sumitur quandoque pro Ecclesia Parochiali, quæ nihil est aliud, quàm Ecclesia alicujus diœcesis, Cathedrali inferior, habens populum, certis limitibus auctoritate Episcopi distinctum, & simul unum presbyterum, Sacramenta præsertim Pœnitentiæ & alia spiritualia huic populo administrantem, qui vocatur *Parochus,* vel *Rector,* aut *Plebanus.* Quandoque autem sumitur pro ipso districtu, in quo degit populus certæ alicui Ecclesiæ deputatus. Qui in tali districtu domicilium, vel etiam quasi-domicilium, fixerunt, vocantur *Parochiani,* qui verò in eo domicilium non habent, respectu illius sunt *alieni* parochiani, non proprii. Prædicta sunt *Essentialia* Parochiæ: *Naturalia* verò, quæ quidem ordinariè adsunt, attamen etiam absolutè abesse possunt, sunt fons baptis-

baptismalis, assidua asservatio Eucharistiæ, celebratio Matrimoniorum, collectio decimarum, cœmeterium & jus sepulturæ &c. sicut & cura animarum; cùm possit esse beneficium Curatum, quod certis limitibus & populo ab Episcopo designatis careat, ac ideo parochiale non sit, uti sit in Ecclesiis filialibus, ut vocant, & in locis recens conversis.

Dico 1. Episcopus potest, imò debet, exigente animarum salute, ubi populus ob locorum distantiam vel auctam parochianorum multitudinem ad unam Ecclesiam commodè pervenire, ibíque Sacramenta percipere &c. non potest, novas parochias, etiam invitis Rectoribus, erigere, assignatâ novis Sacerdotibus ex fructibus ad Ecclesiam matricem pertinentibus sustentatione. Sic mandat Papa in *c. ad audientiam. 3. de ædif. Eccl.* & Trid. *s. 21. c. 4. de ref.* potestatem ad id facit Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis. 2

Dico 2. Jura Ecclesiæ parochialis sunt. 1. quod essentiale est, jurisdictio fori interni, seu forum pœnitentiale, in ordine ad absolvendos parochianos à peccatis. 2. Fons baptismalis. 3. Jus asservandi Eucharistiam pro moribundis. 4. Dispensandi Sacramenta Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, ac solennizandi Matrimonia. 5. Jus Cœmeterii, & sepeliendi defunctos. 6. Jus percipiendi Decimas, & Oblationes. 7. Jus benedicendi cineres, denunciandi Matrimonia, festa, jejunia, Indulgentias. Et quando constat, Ecclesiam esse Parochialem, illa, vel potiùs parochus, habet ad recitata omnia intentionem fundatam 3

in Jure. Communis. P. Engel *h. t. n. 3. 4.*

4 Dico 3. Officium Parochi est suis Parochianis suo tempore prædicta administrare Sacramenta, rudes instruere in Catechesi, prædicare verbum Divinum, celebrare Missas, præsertim diebus Dominicis & festivis &c. Trid. *s. 24. c. 4. de ref. &c.* Imò & pro ovibus suis offerre Sacrificium. Trid. *s. 23. c. 1. de ref.* Sufficiet tamen, si pro ipsis oret, & v. g. ad *Memento* illas commendet DEO, etsi pro ipsis Missam non applicet. Nav. Suar. Vasquez, Coninck, Lugo, Gob. & alii apud La Croix. *l. 3. p. 1. n. 762.* alii tamen volunt, ut aliquoties per annum, saltem in majoribus festivitatibus (vel juxta alios diebus Dominicis, aut etiam festivis) integram Missam applicet pro parochianis; quia sic ex una parte videtur satisfieri Tridentino per congruam interpretationem, & ex altera Parochus non percipit fructus, ut ad intentionem populi celebret, sed ratione pastoralis officii.

5 Dico 4. Officium Parochianorum est percipere Sacramenta, & audire Divina &c. in Ecclesia Parochiali, vel à Parocho, præsertim Pœnitentiæ saltem semel in anno, & Sacræ Communionis in Paschate. *c. 2. h. t. & c. 12. de Pœnitent.* Interim tamen hæc obligatio audiendi Missam & Verbum Divinum in Ecclesia Parochiali, item peccata confitendi Parocho, hodie vel sublata, vel saltem multùm mitigata est partim per privilegia Religiosis à Pontifice concessa, partim per consuetudinem contrariam.

TITU-

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſint Decimæ, præſertim Spirituales,*
2. *Reales & Perſonales, Antiquæ & Novalium.*
3. 4. *Quibus debeantur Decimæ:*
5. 6. *Præſertim Novalium propriè dictorum:*
7. *Et impropriè dictorum.*
8. 9. *An poſſint competere Laicis, & quomodo.*
10. *Quinam obligentur ſolvere Decimas.*
11. *Et quomodo obtineatur immunitas ab iis ſolvendis.*
12. *An privilegium immunitatis ſit ſtrictè interpretandum.*
13. 14. *Quando & quomodo ſolvendæ Decimæ.*
15. *Quis ſit Judex competens in cauſa Decimarum.*
16. *An, & quando etiam Laicus.*
17. 18. *Quid ſint Primitiæ, & Oblationes.*
19. *Ad quem hæ pertineant.*

DEcimæ, nimirum *Eccleſiaſticæ*, de quibus hìc ſermo, ſi ſumantur *objectivè*, ſunt decima pars fructuum, & lucrorum juſtè 1

ſtè acquiſitorum, quotannis ſolvenda Eccleſiæ miniſtris pro ſuſtentatione. *Formaliter* ſpectatæ ſunt jus decimandi, ſeu petendi decimam partem fructuum propter miniſterium ſpirituale. per *c. 20. ſeqq. 26. & 30. h. t.* Titulus igitur, ex quo oritur jus decimandi, eſt ſacer & ſpiritualis, nempe cura animarum & miniſteria ſacra; atque hinc ſi Decimæ Eccleſiaſticæ ſumantur propriè, & ut annexæ adhuc titulo vel officio ſpirituali ſecundùm primævam inſtitutionem & naturam ſuam, ſunt & vocantur *ſpirituales*, vel *ſtrictè Eccleſiaſticæ*, ac jus *ſpirituali annexum*. Si verò ſeparentur à titulo ſpirituali & jure miniſterii ſacri, ipſa etiam proprietate in Laicos translata (quod quidem ſolus Pontifex poteſt, rariſſimè tamen facit) evaſerunt & dicuntur *merè Laicales*, vel *ſæcularizatæ*. Si autem utilitas tantùm, ſeu *jus utile* decimandi translatum ſit in Laicos, proprietate tamen & *jure directo*, quod eſt quaſi radix exigendi decimas ex jure miniſterii ſacri, penes Eccleſiam retentô, & ſic in feudum ſint conceſſæ Laicis (quod quidem hodie quoad Laicos etiam ſolus Pontifex poteſt, ante Concilium autem Lateranenſe III. anno 1179. ſub Alex. III. habitum, etiam Epiſcopis indulgebatur) appellantur *Laicales* ſimpliciter, ſeu *temporales*, vel *minùs ſtrictè Eccleſiaſticæ*. In dubio Decimæ ſemper præſumuntur ſpirituales, quia id decimis eſt naturale, & ſæparatio à titulo ſpirituali, vel hujus extinctio, eſt res facti: quæ autem facti ſunt, non præſumuntur, ſed probari debent. Ulteriùs.

2 Dividuntur Decimæ in *Reales* ſeu *Prædiales*, quæ ſolvuntur ex fructibus, quos natura vel

vel sponte, vel adjuta per humanam industriam, profert, uti decimæ ex fructibus agrorum, vinearum, olerum, arborum, pratorum &c. aut ex fætibus animalium. Et in *Personales*, quæ penduntur ex lucris per industriam acquisitis, v. g. ex negotiatione, mercatura, officio, stipendio militari, artefactis, venatione, aucipio, piscatu &c. Sed de his nihil opus est ampliùs dicere, quia per universalem, saltem Germaniæ, consuetudinem sunt abrogatæ, ac iis subrogati creduntur *reditus stolæ*, ut vocant, qui Parochis ferè in singulis ministeriis præbentur ad sustentationem. Reales subdividuntur 1. in *Majores*, grosse Zehendt/ quæ solvuntur ex frumento, vino, oleo &c. & in *Minores*, seu *Minutas*, kleine Zehendt/ quæ præstantur ex fructibus hortorum ac leguminibus, ex pomis arborum, ex fœno, lino, cannabe, rapis, lupinis, pisis, ciceribus, lana, caseo &c. quò referuntur & *carnaticæ*, Blut-Zehendt/ ex animalium partu, puta ex agnellis, suculis, pullis &c. Sed quinam fructus ad minores, & quinam ad majores Decimas pertineant, optimè discitur ex Consuetudine, & Statutis locorum. Sic Statuta Bavar. *tit. 28. a. 11. 12.* satìs distinctè determinant. 2. in *Antiquas*, quæ ex fundis jam ab antiquo cultis pendi consueverunt, & in *Novales*, quæ ex terris noviter ad culturam redactis solvendæ sunt. *Novale* siquidem, propriè dictum, Neubruch/ Neureüth/ est terra, quæ ab immemoriali tempore sterilis & inculta jacuit, nunc autem ad culturam est redacta, ut si ex palude exsiccata fiat ager. *c. 21. de V. S.* Quò etiam pertinet fundus, qui ab immemoriali tempore

pro-

protulit quidem fructus, at vi consuetudinis non decimabiles, nunc verò profert decimabiles, ut si ex sylva, vel prato (ex pratis enim, Heu Zehendt/ in multis locis non solvuntur decimæ) factus est ager. *Novale* autem *impropriè dictum* est, si præcisè mutatur facies soli vel fundi, ut si ex vinea fiat ager, vel viciſſim, aut ager priùs frumentô consitus postea conseratur pisis, rapis, lino, nicotiana seu tabacô &c. per *c. 30. h.t.* Jam disquirendum est, quibus debeantur Decimæ, à quibus, & ex quibus rebus, item quomodo solvendæ, & ad quod pertineant forum.

3 Dico 1. Decimæ de Jure Communi & Recentiori principaliter debentur Parocho, & quidem illi, in cujus parochia sita sunt prædia, ex quibus solvuntur, vel intra cujus fines pascuntur animalia, ex quorum fœtura dantur. Adeóque Parochus habet intentionem fundatam in Jure quoad omnes decimas suæ parochiæ. Text. & DD. in *c. 4. 13. 18. 29. 30. h.t.* Nec obstat, etsi parochiani non sint, ad quos pertinent prædia, sed alteri Parochi subjecti quoad personam suam; quia decimæ sunt onus reale, fundis & prædiis impositum. *can. un. cauſ. 13. q. 1.* Nisi nempe aliud habeat consuetudo. Dixi 1. *Parocho:* quod pariter intellige de Beneficiatis Curatis, qui populo Sacramenta & alia spiritualia ministrant; nam administratio curæ animarum est potissima radix decimas percipiendi. Episcopo autem debentur decimæ ex prediis limitaneis, quæ intra nullius parochiæ limites existunt: item quarta pars decimarum de Ecclesiis inferioribus. per *c. 13. cit.* quæ tamen *quarta* passim per consuetu-

dinem

dinem exolevit. Dixi 2. *debentur*, nimirum *titulô Justitiæ*, quia dignus est operarius mercede sua. *Luc. 10.* item titulô *Religionis*, quia decimæ sunt introductæ in recognitionem supremi dominii, quod Deus habet. *c. 26. eod.* & titulô *obedientiæ*, quia Ecclesia dari præcipit. Dixi 3. *Principaliter*; nam etiam Beneficiatis non Curatis, Ecclesiæ deservientibus per ministeria sacra, tribuit Ecclesia aliquas Decimas. *c. 21. 22. 26. eod.* nimirũ secundariò. Dixi 4. *De Jure Communi*; siquidem Jure speciali vel privilegii, vel præscriptionis, vel consuetudinis, incorporationis, permutationis &c. etiam ad alios non-Parochos, & non Beneficiatos pertinere possunt, v. g. ad Ecclesias Collegiatas, ad Monasteria, Hospitalia &c. imò & ad Laicos, utì videbimus. Dixi 5. *Et Recentiori*; olim enim ante divisionem Parochiarum & erectionem Beneficiorum decimæ cujuslibet diœcesis pertinebant indivisim ad Clerum, & colligebantur ab Episcopo, qui deinde cum proportione distribuebat inter Clericos Ecclesiæ ministros. *can. 1. & 3. caus. 16. q. 7.*

Quæres, quo Jure, an Naturali & Divino, vel tantùm Ecclesiastico, Parochis & Beneficiatis debeantur Decimæ? R. cum plerisque modernis Theologis & Canonistis contra antiquos ferè omnes, & P. Anacletum Reiffenstuel: quamvis decimæ *materialiter* & quoad substantiam spectatæ, prout nimirum sunt quædam pars fructuum ad congruam illorum sustentationem necessaria, ipsis debeantur tam Jure Naturali, quod obligat ad stipendium laboris & ministerii in aliorum utilitatem impensi, quàm Jure Divino, quod operariis vult solvi mercedem. *Luc. 10. Quis enim*, ait S. 4

Pau-

Paulus *1. Cor. 9. militat ſuis ſtipendiis unquam? qui altari deſerviunt, cum altari participant: ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Quatenus tamen conſiderantur *formaliter*, ſeu prout ſunt certa quota, h. e. determinatè *decima* pars fructuum, non nona vel undecima &c. in Novo Teſtamento debentur ſolùm Jure Eccleſiaſtico. Probatur. Certa quota fructuum, ſeu decima pars quà talis, nec à Jure Naturali eſt determinata, ut fatentur omnes, nec à Jure Divino, quia nullus S. Scripturæ Novi Teſtamenti textus de hoc exſtat: ergo tantùm determinata eſt & debetur Jure Eccleſiaſtico. Confirmatur: quod eſt Juris Naturalis aut Divini, tolli non poteſt vel mutari privilegiô, diſpenſatione, aut conſuetudine. *c. 13. de reſtit. ſpol. & c. 11. de conſuet.* Sed decimas quà tales & formaliter ſpectatas poſſe tolli & mutari per privilegium, ac aliis applicari, certum eſt ex Trid. *ſ. 25. c. 13. de ref.* item per conſuetudinem. *c. 20. & 32. h. t.* Idque univerſalis confirmat praxis, ex qua conſtat, ſubinde omnes decimas in alios eſſe translatas, & ſubinde eſſe imminutas, adeò ut ſolùm media, vel tertia, vel adhuc minor pars decimarum cedat Parochis, ac ſubinde ſolùm undecimus, vel decimus quintus &c. manipulus loco decimi ſolvatur. Id tamen certum eſt, quòd Parochis & Beneficiatis non ita auferri aut minui poſſint decimæ, ut ipſis ſalva non remaneat congrua ſuſtentatio. *c. 9. x. & c. 2. ſ. ubi autem eod. in 6.* Unde, ſi ipſis negentur decimæ, illa aliunde provideri debet, & quidem, ſi aliunde non poſſit fieri proviſio, ad decimas recurrendum erit.

Objic.

Objic. 1. Decimæ quà tales fuerunt sub præcepto Juris Divini in Lege Mosaica. *Levit. 27. v. 30.* Sed hoc præceptum nullibi à DEO est revocatum. 2. Ecclesia, Pontifices, & SS. PP. declarant decimas esse Juris Divini sine distinctione inter *materialiter & formaliter* acceptas (quæ distinctio in Jure etiam Canonico peregrina est) *c. 25. 26. h. t.* ibi: *ex mandato Divino debentur. can. fin. caus. 16. q. 1.* nam decimæ in sua significatione propria determinatè denotant *decimam* partem: ergo absolutè sunt Juris Divini; cùm in dubio, an aliquid sit Juris Divini, nec ne, standum sit interpretationi Ecclesiæ. R. ad 1. *N. min.* nam præcepta Judicialia, inter quæ etiam refertur præceptum de Decimis, fuerunt extincta per mortem Christi cum Synagoga. Easdem quidem ad imitationem veteris Testamenti præcipit Ecclesia, sed per novum præceptum, non resuscitando præceptum Divinum Veteris Testamenti. Ad 2. Declarant esse Juris Divini, quatenus originaliter & olim fuerunt à DEO institutæ & præceptæ, postmodum verò ad exemplum veteris testamenti & præcepti Divini ab Ecclesia de novo præceptæ. Decimæ juxta etymologiam suam & formaliter sumptæ denotant quidem decimam partem quà talem, non verò materialiter & quoad substantiam suam; quæ distinctio, licèt explicitè, & in terminis non tradatur in Jure Canonico, eruitur tamen ex nostræ sententiæ probationibus.

§

Dico 2. Decimæ Novalium propriè dictorum pertinent pariter ad Parochum. 2. Tametsi alius in ejus parochia percipiat decimas antiquas ex privilegio, infeudatione, aut præscriptione. 3.

Li-

Licèt ille alius sit persona vel communitas Ecclesiastica. Pars 1. recepta, & decisa est in *c. 25. & 29. h. t.* cùm Parochus habeat intentionem fundatam ad omnes decimas. Pars 2. eruitur ex *citt. cc.* & ex recepto principio, vi cujus decimæ omnes debentur parocho, quæ in alium justô titulô translatæ non sunt: sed per privilegium, & infeudationem in alium translatæ non sunt decimæ Novalium; quia hujusmodi privilegium & infeudatio præjudicant Juri Communi & Parocho, proin sunt strictæ interpretationis, adeóque extendi non debent ad decimas, tempore dati privilegii, vel factæ infeudationis, nondum existentes, utì sunt decimæ Novalium: pariter odiosa est & præscriptio: cui accedit, quòd non præscribatur, quod non possidetur. *c. 3. de R. J in 6.* Sed decimæ Novalium, quando ista exsurgunt, utique nunquam fuerunt possessæ à decimatore antiquo. Aliud foret, si decimator antiquus tempore requisito jam fuisset in possessione decimarum ex Novalibus quoque antecedenter factis. Pars 3. quam sustinet cum Covar. Guttier. Suar. & aliis plurimis P. Friderich in præclarissimo *tract. de Decimis n. 391.* contra Panor. Engel, Franc. Schmier. & satis communem veterum, probatur 1. ex *c. 25. h. t.* ibi: *ne, occasione decimationis antiquæ, decimæ Novalium usurpentur, cùm in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs restringenda:* quæ dispositio & ratio procedit, sive decimator antiquus sit Laicus, sive Clericus, vel Communitas Ecclesiastica. 2. ex *c. 31. de privileg.* in cujus summario clarè habetur, quòd *privilegium de decimis Novalium non solvendis non comprehendat decimas tem-*

tempore privilegii impetrati possessas ab aliis Religiosis: ergo, si privilegium non solvendi decimas non debet extendi, non obstante, quòd concessum sit Religiosis & personis Ecclesiasticis, multò minùs erit extendendum privilegium accipiendi decimas tempore dati privilegii necdum existentes, non obstante, quòd concessum sit personis Ecclesiasticis.

Objic. 1. Jus Bavaricum *tit. 28. art. 13.* Parocho ad triennium duntaxat concedit decimas Novalium, si alius quocunque titulo colligit in parochia illa decimas antiquas, atque eo elapso etiam illas tribuit decimatori antiquo: ergo non simpliciter spectant ad parochum decimæ Novales, si alius, sive Laicus sive Ecclesiasticus, ibi percipiat antiquas. 2. Innoc. III. in *c. 27. h. t.* ita rescribit Abbati S. Columbæ: *cùm tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terræ parochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas exigere satis potes: quia, ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur:* ergo, si communitati vel personæ Ecclesiasticæ per privilegium concessæ sunt decimæ antiquæ, etiam Novales ad eam pertinent vi talis privilegii, tanquam aliquid minus. 3. Privilegia Summorum Principum, si personæ capaci tribuuntur, latissimé interpretanda sunt, præsertim si terminis ampliſſimis sunt instructa. *c. 6. de donat. c. 7. de Privil. in 6. l. ult. ff. de Constit. Princ.* ergo privilegium percipiendi decimas, Clericis concessum à Summo Pontifice, latè accipi debet, ita ut comprehendat etiam decimas Novalium; quia per *decimas* non modò intelliguntur decimæ præ- 6

sentis, sed etiam futuri temporis, præsertim si privilegians utatur verbis amplioribus, & universalibus, v. g. concedimus *omnem decimationem quascunque decimas &c.* R. ad 1. *dist. cons.* ego decimæ Novalium non simpliciter & perpet spectant ad Parochum de Jure Communi. *N. con*

De Jure Bavarico vel potiùs de consuetudine antiqua Bavariæ, in qua fundatur Jus Bavaricum *C. cons.* nam Princeps Sæcularis in materia dec mali præsertim contra personas Ecclesiasticas contra Jus Canonicum disponendi facultate stitutus est. Ipsum Jus Canonicum videtur probare hujusmodi consuetudinem, dum *c. 2 h. t.* decimas Novalium tribuit Parocho sub limitatione, *nisi ab his, qui alias percipiunt decim* (nempe antiquas) *rationabilis causa ostendatur per quam appareat, Novalium ad eos decimas pertinere.* & dum in *c. 18. & 32. eod.* in causa dec marum plurimùm tribuit consuetudini. Ad Illud Monasterium non collegit decimas antiqu ex nudo privilegio, sed vi Juris Communis Paro cho omnes omnino decimas tribuentis; quia illæ parochiæ Monasterio erant pleno jure incorporatæ, ita ut Prælatus fuerit Parochus principalis cum onere functiones parochiales exercendi per Vicarium. Ad. 3. *dist. antec.* privilegia favorabilia. *C. ant.* odiosa, & quæ repugnant Juri communi & juri Parochorum. *N. antec. & cons* Privilegium percipiendi *decimas* simpliciter, vel *quascunque*, extendi ad decimas Novalium, tunc nondum existentes, nec exigit proprietas verborum, nec Juris dispositio, utpote odiosum.

7 Dico 3. Decimæ Novalium impropriè dictorum

rum post mutatam culturam pertinent ad eum, ad quem spectant decimæ ex fructibus certæ speciei, vel ex certis fundis provenientes. Quod sic intellige: ponamus in aliqua parochia decimas *majores* indistinctè ad aliquod Hospitale, *minores* verò ad Parochum pertinere: hoc casu, si in agro v. g. in quo priùs seminari solebant certæ species fructuum, ad decimas majores pertinentium, utì sunt triticum Waitzen/ zea seu spelta, Dünkhel/ Feßen/ Kern/ secale, siligo, Roggen/ Korn/ hordeum & avena, Gersten und Haber/ nunc verò seminantur species fructuum ad decimas minores pertinentium, utì sunt olera, rapæ, linum &c. decimæ ex his spectant ad parochum, sicut vice versa, si in agro, ubi priùs solebant seminari species fructuum ad minores decimas pertinentium, nunc serantur species fructuum ad majores pertinentium, ex his decimæ ad Hospitale spectant. Dein ponamus, quòd ex certis & determinatis fundis, ex hortis v. g. provenientes decimæ spectent ad Parochum; ex aliis autem determinatis fundis, v. g. ex campis, provenientes ad Hospitale: & hoc casu quodcunque genus fructuum, mutatâ etiam culturâ pristinâ, crescit in hortis, decimæ ad Parochum, & quodcunque crescit in campis, ad Hospitale pertinent. Atque sic explicatam assertionem tenet communis ex *c. 4. 30. h. t. & c. 31. de privil.* Consonat Jus Bavar. *tit. cit. art. 11.* Notant tamen DD. quòd, si per variationem culturæ in casu priori, quo mutatur species fructuum, nimis gravaretur Parochus, ita ut ex residuis decimis, pro sustentatione assignatis, non haberet ampliùs congruam, ab eo, qui reliquas colligit

decimas, compensatio facienda foret vel in frugibus, vel in pecunia. *c. 9. x. c. 2. §. 2. h. t. in 6.* quia Parocho debetur Jure Naturali & Divino sustentatio ex decimis, si ea aliunde non suppetat, vel assignata sit. Proin contra fundi dominum vel colonum, utpote cui liberum est suos fundos vel colere, vel incultos relinquere, vel culturam mutare, modò non mutet præcisè animo fraudandi, agi non potest.

8 Quæres, an etiam Laicis possint competere decimæ? R. Cum distinctione. Vel decimæ sunt laicales effectæ, dominio utili in Laicos per infeudationem legitimè translato? & tunc illarum omnino sunt capaces quoad jus decimandi utile & secundarium, ita ut tota utilitas penes ipsos sit, jure & dominio directo penes Ecclesiam remanente; quod jus emere, præscribere, vel alio titulo profano, sicut bona temporalia, acquirere possunt. Vel sunt sæcularizatæ omnino, in ut titulus spiritualis penitus à Summo Pontifice sit extinctus, vel à decimis separatus? & tunc utique à fortiori sunt capaces decimarum totaliter etiam quoad jus directum & proprietatem. An verò decimæ, quas possident Laici, in dubio pro infeudatis tantùm, an verò pro sæcularizatis habendæ sint, discrepant DD. hoc posterius pro Bavaria affirmat Cancellar. Schmid. *Semicent. 2 controv. 26. n. 7.* illud priùs longè meliori fundamento asserit P. Melchior Friderich *de Decim. n. 594. 598. seq.* quia minor alienatio rerum Ecclesiasticarum præsumenda est, &, quod Papa non nisi rarissimè facit, præsumi non debet. Vel denique sunt adhuc spirituales, aut considera-

tur

tur ut jus decimandi directum & primarium? Atque tunc Laici illarum nullatenus sunt capaces; cum officii spiritualis, cui annexæ sunt veluti titulo, ex quo debentur, incapaces sint. *c. 7. de præscript. c. 15. 17. 19. 31. h. t.* Et hinc ad Laicos devenire nequeunt per emptionem, conductionem &c. imò nec per præscriptionem etiam immemorialem, ut præter Catholicos DD. omnes, excepto Ferd. Vasq. tenent quoque passim Acatholici. Ratio est clara; quia sine possessione non currit præscriptio. *c. 3. de R. J in 6.* Sed Laici nequeunt possidere decimas spirituales, & jus decimandi directum, *c. 7. & 17. citt.* imò nec jus utile absque concessione potestatis Ecclesiasticæ. per *c. 7. cit.* & nunc (post Conc. Later. III.) solius Pontificis.

Objic. 1. Laici possunt præscribere jus patronatûs, quod pariter est annexum spirituali: ergo & jus decimandi. 2. Præscriptio immemorialis æquivalet privilegio. *c. 26. de V. S.* Sed per privilegium Pontificis valent Laici acquirere decimas: ergo. 3. Praxis pridem obtinuit, ut Laici passim, nemine contradicente, detineant decimas instar patrimonialium bonorum, eásque alienent tanquam domini, imò & in feudum concedant, licèt de nullo privilegio, donatione, aut legitima concessione Pontificis constet: ergo dicendum, quòd illas vel per præscriptionem immemorialem obtinuerint, vel injustè detineant; quod ultimum dicere nimis durum est, & contra communem sensum. R. ad 1. *N. Cons. & parit.* quia Laici generatim & absolutè sunt habilitati à Jure ad possidendum jus patronatus. *c. 5. 8. 11. 22. 29. de*

Jur. patr. non verò ad jus decimandi. Ad 1. Quamvìs privilegio dicatur æquivalere præscriptio immemorialis, id tamen intelligi debet de casu, quo verè datur: sed apud Laicos respectu decimarum dari nulla præscriptio potest propter defectum possessionis legitimæ, tanquam conditionis ad omnem præscriptionem essentialiter necessariæ. Privilegium in hac materia plurimùm differt à Præscriptione: illud enim tribuit capacitatem possidendi, ista hanc supponit, non tribuit. Ad 3. Ubi per tempus immemoriale Laici detinent decimas, relinquuntur quidem in libero usu earum tanquam domini, at non propter præscriptionem, sed propter præsumptionem privilegii aut legitimæ concessionis aliquando factæ; nam ex lapsu tanti temporis præsumitur titulus quicunque habilis de Jure, per quem decimæ ad ipsos devenerint; quamvìs hæc præsumptio quandoque falsa sit me judice, & per violentiam, aut aliam injustitiam Laici involaverint in decimas, præsertim turbulentis illis temporibus, ubi Imperatores Germanicos inter & Pontificem, schismata & aperta bella intercesserunt. Si hæc præsumptio per aliam fortiorem elìderetur, utique tenerentur Laici rursus Ecclesiæ utut longissimo tempore detentas decimas restituere. Sæpius quidem initio obtinuerint ab Ecclesia in feudum; sed quia ab immemoriali tempore nec fidelitatis juramentum nec servitium præstiterunt, & irrequisitâ Ecclesiâ alienant decimas, præscripserunt quidem his feudi oneribus, ut liberè de utili dominio decimarum disponere valeant; non tamen per hoc præscripserunt jus directum decimandi.

Dico

Dico 4. Ad decimas solvendas obligantur per 10
se omnes, qui prædia, fundos, vel alias res frugiferas titulo non spirituali possident intra fines alicujus parochiæ. *c. 4. 6. 8. 20. &c. h. t. & c. fin. de Paroch.* Et quidem obligantur tam onere reali, quàm obligatione personali, si sint parochiani, & Sacramenta aliáque Divina percipere debeant in illa Ecclesia parochiali: si verò non sint parochiani, solùm obligatione reali. Unde nec Papa, nec Episcopus, nec Parochus, qui in aliena parochia ex titulo temporali, v. g. hæreditate, emptione, donatione &c. possident prædia decimis priùs obnoxia, utì nec Ethnici, Pagani, aut Judæi, qui similia prædia obtinent, ab hac obligatione reali immunes sunt. *c. 16. 24. eod.* quia decimæ sunt onus reale, prædiis ac eorum fructibus immediatè annexum, quod transit ad quemcunque possessorem, quia res transit cum suo onere. *c. 5. de pignor.* Interim tamen etiam ab onere reali decimarum liberi sunt Parochi (idem est de aliis Clericis Curatis. Card. de Luc. *de Decim. disc. 2.*) de prædiis in dotem Ecclesiæ & pro sua sustentatione assignatis: item alii Beneficiati ex fructibus sui beneficii. *c. 2. h. t.* ibi: *novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis decimas exigant.* Certè ejusmodi prædia & fructus beneficiales, pro sua sustentatione assignati, sunt loco decimarum, Beneficiatis, præsertim Curatis, de Jure debitarum: sed de decimis non solvuntur aliæ decimæ. *c. 2. cit.* Nisi nempe ejusmodi prædia vel fructus jam alicui fuerint decimabiles, antequam fuerint assignati pro sustentatione Beneficiatorum, & tempore assignationis non liberati ad hoc onere. Dixi

in assertione, *per se*; nisi nimirum aliqui Jure speciali immunitatem consecuti sint. Quapropter

11 Dico 5. Immunitas à solvendis decimis obtineri potest 1. *privilegiô* Apostolicô. Sic Religiosi à decimis de Novalibus, quæ propriis sumptibus aut manibus excolunt, de hortis, & fœtibus animalium suorum, Cistercienses verò & Hospitalarii etiam à decimis de quibuscunque prædiis, quæ propriis sumptibus aut laboribus colunt, exempti sunt. *c. 10. h. t.* nisi sint prædia post Concil. Lateran. acquisita, & jam priùs decimis obnoxia, utì *c. 34. eod.* restrictum est illud privilegium. Speciale quoque privilegium, quo ab omnium omnino decimarum solutione eximitur, Societati JESU concessit Greg. XIII. in Bulla *Pastoralis Officii* 1. Jan. 1578. quod tamen pariter de prædiis, antequam ad Societatem venirent, oneri decimarum non obnoxiis fortè intelligi debere praxis, quantùm de ea mihi constat, declarare videtur, quamvìs Gregor. dicto *c. 34.* ea presse deroget. 2. *Consuetudine. c. 32. eod.* modò salva maneat Ministrorum Ecclesiæ congrua sustentatio, quæ si aliunde non suppeteret, rursus ad decimas daretur recursus. 3. *Præscriptione c. 18. h. t. c. 1. de præscr. in 6.* Nec obstat, quòd præscribens sit Laicus; quia immunitas à solvendis decimis nihil habet spiritualitatis. Quamvìs enim Laicus non possit præscribere *decimas*, seu jus decimandi, potest tamen præscribere *decimis*, seu immunitatem à decimis; siquidem hæc immunitas est mera extinctio alieni juris, non verò simul jus decimandi, quasi non solvere decimas idem esset ac retinere, & ex suis

agris

agris colligere decimas; nam nulli fructus, quamdiu decima eorum pars non est separata, seu pro decimis assignata, rationem *decimarum* habet. Si tamen præscriptio curreret contra Parochum, opus foret 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali in defectu tituli. *c. 1. cit. 4. Conventione*, vel contractu cessionis, permutationis, transactionis &c. Sed, casu quo decimæ, à quibus liberari quis cupit, essent adhuc spirituales, in tali contractu vel pacto non deberet intervenire pretium temporale. *c. fin. de rer. permut.* ubi reprobatur permutatio *à spirituali ad temporalia*, utique tanquam Simoniaca, & ideo invalida. Quidquid in oppositum dicant Moneta, Engel, & P. Friderich, quoad hoc dissentientes à nobis, qui sic

Objiciunt 1. Immunitas à solvendis decimis nihil habet spiritualitatis, cùm sit mera privatio juris alieni: ergo etiam emi, aut per pretium temporale comparari potest. 2. Si interveniente pretio comparetur dicta immunitas, solùm obtinetur licentia retinendi fructus suos: sed fructus decimales sunt aliquid merè temporale: ergo, si detur pretium pro memorata immunitate, datur pro aliquo merè temporali. 3. Per pecuniam si liberare ab onere solvendi decimas nihil est aliud, quàm emere fructus futuros, quos quis deberet solvere ex suo fundo: sed fructus futuros sine Simonia licitum est emere, sicut pro annua pensione eosdem locare: ergo. ℟. ad 1. *dist. antec.* Immunitas illa, quà se tenet & respicit illum, qui eam acquirit, atque præcisè spectata in se, nihil habet spiritualitatis.

C. ant. quà reſpicit alterum, à quo acquiritur per pretium, & ſpectata quoad terminum correlativum. *N. ant. & conſ.* Nam immunitas pretio comparata pro termino correlativo ex parte dantis ſeu vendentis illam habet jus decimandi, quod ſpirituale eſt, tanquam mercem: hoc ipſo enim, quòd ego acquiram per pretium, immunitatem, alter dat & cedit pro pretio ſuum jus decimandi. Ad 2. *diſt. ma.* ſolùm obtinetur licentia retinendi fructus ſuos ex parte ementis & ſibi pro pretio comparantis immunitatem. *C. ma.* Etiam ex parte vendentis, & pretium accipientis. *N. ma.* nam ex parte hujus viciſſim datur jus decimandi ſpirituale; & ſic, quia conventio mutua intervenit, datur Simonia ex utraque parte. Ad 2. *N. ma.* vel *diſt.* nihil eſt aliud ex parte ementis. *C. ma.* ex parte vendentis, ſeu ſuo jure ad decimas pro pecunia cedentis. *N. ma.*

12 Quæres, an privilegium non ſolvendi decimas ſit ſtrictæ vel latæ interpretationis? R. Licèt ſit ſtrictæ interpretationis, ut ut à Summo Principe conceſſum, quia eſt odioſum, utpote derogans Juri Cummuni & juri parochorum. *c. 15. de R. J. in 6.* Non tamen ita arctandum eſt, ut non debeat intelligi ſecundùm latitudinem verborum. Unde, ſi alicui indefinitè, & terminis generalibus concedatur immunitas à ſolvendis decimis, id intelligi debet non tantùm de decimis antiquis, ſed etiam de decimis Novalium, & prædiorum deinceps acquirendorum. P. Friderich *de decim. n. 172. ſeqq. n. 209.* cum aliis contra ſat multos & graves DD. per *c. 12. h. t. c. 22. de Priv.* quia locutio indefinita, negativè concepta, æquivalet

valet universali, si diversorum sit eadem ratio, per *cc. citt.* *Objic.* Privilegium positivum accipiendi decimas non extenditur ad decimas Novalium, & tempore privilegii nondum existentium, uti suprà docuimus: ergo neque privilegium negativum non solvendi. R. *N. cons. & parit.* quia privilegium negativè conceptum, seu *non solvendi decimas*, vel *nullas solvendi decimas*, universalius est, & ampliùs patet, quàm positivè conceptum, nec in propria verborum acceptione verum esset, si ex quibusdam prædiis, v. g. Novalibus, solvere decimas deberet privilegiatus; uti tamen verum manet privilegium positivè conceptum, licèt non comprehendat decimas Novalium, tunc non existentium. Adde, quòd ipsa Jura prohibeant extensionem privilegii affirmativi de decimis accipiendis ad decimas Novalium futurorum. *c. 25. h.t. c. 2. eod. in 6.* Econtra expressè concedant extensionem privilegii negativi de decimis non solvendis ad decimas Novalium futurorum. *c. 12. c. 22. citt.*

Dico 6. Decimæ sunt solvendæ statim, post- 13
quam fructus sunt percepti, seu à solo separati, quod commodissimè contingit in agris, si ibi relinquantur decimi quique manipuli pro decimis eo ordine, quo veniunt, segegrati, prout sors tulerit. 2. Et hinc necesse non est fructus decimatos in horrea vel cellas decimatoris invehere, saltem propriis sumptibus decimas solventium. 3. Licèt solvendæ sint decimatore non exigente. 4. Et cum integritate, ita ut nec semen, nec canon ex re emphytevtica, nec expensæ in culturam factæ, nec tributa &c. deduci possint.

5. Nul-

5. Nullus tamen decimator decimas, ultrò non solutas, vel ad petitionem recusatas, propria auctoritate invadere, vel vi extorquere à renuentibus potest: sed oportet adire Judicem. Pars 1. & 2. sumitur ex *c. 7. h. t. & l. 78. ff. de R. V.* nisi nempe aliud habeat recepta consuetudo. Decimæ autem ex animalibus, Blut-Zehend/ solvendæ veniunt, quando animalia non amplius indigent lacte & nutrimento materno, wann die Thier allbereit zeitig/ ut loquitur Jus Bavar. *tit. 28. art. 16.* atque ad ædes Parochi solent deportari. Pars 3. ex *c. fin. de locat. & l. 2. C. de Jure Emphyt.* ubi habetur, quòd, si quid certo tempore debetur, id solvendum sit etiam nemine petente; quia dies interpellat pro homine. Pars 4. ex *c. 4. 5. 8. 21. 23. 26. 33. h. t.* Qui autem non solvunt, vel defraudant decimas in quantitate notabili, peccant mortaliter duplici peccato, injustitiæ & sacrilegii, ac privandi sunt sepultura Ecclesiastica. *c. 19. h. t.* Pars 5. ex *c. 5. & 6. de restit. spoliat. l. 7. C. Unde vi.* nemo quippe debet esse Judex in propria causa. *l. 10. ff. de Jurisd.* Si Laicus injustè usurpet, occupet, sequestret decimas &c. incurrit excommunicationem reservatam *in Bulla Cœnæ can 17.*

14 *Objic.* 1. Debitor tenetur generaliter rem deferre ad domum creditoris: ergo etiam debitor decimarum; præsertim cùm ipse DEUS, *Malach. 3.* id præcipiat, dicens: *inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea.* 2. Parochus proprius loci spolians Laicum decimatorem, & propria auctoritate auferens decimas, manutenendus est, nec spoliatus ante omnia restituendus,

endus, nempe antequam doceat plenè de titulo, vel de immemoriali poſſeſſionis ſuæ tempore. Item ſi ſic ſpoliet Monaſterium vel Clericum decimatorem, iſte non reſtituitur, donec vel doceat de legitimo titulo, vel ſaltem de longo tempore, quo fuerit in pacifica quaſi-poſſeſſione juris decimandi. textus & DD. communiſſimè in *c. 2. de reſtit. ſpoliat. in 6.* & cum his P. Friderich *de Decim. n. 654. 655. & 657.* contra *gl. in can. 1. cauſ. 14. q. 1. v. poſſideri* & D. Chriſtoph. de Chlingenſperg. *de Decim. aſſert. 31. n. 2.* ergo aliquis Decimator impunè aufert per vim decimas. R. ad 1. *N. ant.* nam ſolùm tunc obligatur deferre ad domum creditoris rem debitam, quando id exigit vel natura contractûs, vel conventio, vel delictum, ex quo fortè ortum eſt debitum: ſic cenſus reales non ſunt ſolvendi in domo creditoris, & ſumptibus debitoris. Textus adjectus continet legem ceremonialem antiqui Teſtamenti non ampliùs ſtringentem. Ad 2. De Parocho pro dictis circumſtantiis decimas invadente exſtat ſpecialis diſpoſitio Juris Parocho fortiter aſſiſtentis, & aliis non-Parochis reſiſtentis quoad decimas: quia verò Laici de Jure ſunt etiam incapaces poſſeſſionis decimarum, ideo docere debent, priusquam ſpoliati reſtituantur, plenè de titulo, vel de tempore immemoriali: perſonæ autem Eccleſiaſticæ ſolùm tunc non reſtituuntur ante omnia, ſi ſolùm *aliquamdiu*, ut loquitur textus *c. 2. cit.* in quaſi-poſſeſſione decimandi fuerint, conſequenter, ſi longo ſaltem tempore, 10. vel 20. annorum poſſederint notoriè, etiam contra Parochum reſtituendæ ſunt ante omnia. Cæterùm

rùm licèt contra Parochum in dictis circumstantiis decimatores alios spoliantem isti non sint ante omnia restituendi, malè tamen facit Parochus, omni possessione prævia destitutus, si aliis in possessione decimandi constitutis violenter eripit decimas, vel clàm aufert, aut, antequam illi adveniant, vel eos in colligendis decimis turbat vi facti, & non per Judicem.

15 Dico 7. Judex competens in causa Decimarum Spiritualium est Ecclesiasticus tantùm & privativè, etsi Reus conventus sit Laicus. Imò etiam 2. in causa decimarum merè Laicalium, si Reus conventus est persona vel Communitas Ecclesiastica. 3. Utrumque membrum procedit, sive agatur in Petitorio, seu super proprietate juris decimandi, sive in Possessorio, etiam non involvente quæstionem juris, vel super proprietate, sed agatur super nuda possessione, sive etiam super mero facto: item sive instituatur actio personalis, sive realis: sive quæstio super decimis moveatur principaliter sive incidenter. 4. Idem est, si dubium seu quæstio moveatur, an decimæ sint spirituales vel laicales? Ita communissima ferè omnium Catholicorum quoad omnia membra, licèt quoad aliqua puncta tertii membri dissentiant aliqui. *Primum* omnino certum est ex *c. 15. 25. h.t. Clem. 2. de Judic.* ac fortè definitum in *c. 2. eod. x.* & in Trid. *can. 12. Sess. 24. de Matrim.* causas spirituales pertinere ad Judicem Ecclesiasticum, & Judici sæculari nullam esse in iis jurisdictionem asserentibus. *Secundum* pariter certum est ex *c. 8. eod. & c. 12. de foro compet.* item ex *c. 4. de censib. in 6.* & Trid. *s. 25. c. 20. de ref.* personas Ecclesiasticas

tam

tam Jure Divino quàm SS. Canonibus esse exemptas à foro & Judice Laico affirmantibus. Si decimæ non forent merè Laicales, sed ab Ecclesia olim Laicis in feudum datæ, ex hoc speciali capite, etsi Reus conventus esset Laicus, adiri deberet Judex Ecclesiasticus, ut constat ex *Jure Feudali, & arg. c. 6. 7. de for. comp.* Membrum *tertium* eruitur ex duobus præcedentibus, quia vel spiritualitas causæ, vel privilegium & exemptio personæ, exigit Judicem Ecclesiasticum, saltem spectato Jure Communi, & Concordatis Bavariæ, quæ *art. 5. §. 3.* ita habent: *sic etiam in causarum decimalium cognitione Ordinariis* (Episcopis) *jus suum conceditur; ea tamen in certis casibus à Jure permissis ad Sacularem quoque Magistratum spectant, puta in iis decimis, quæ jam effecta juris Laici, ac ubi uterque, vel Reus tantùm, Laicus est.* Quid sit de consuetudine, quam dicunt vigere contrariam quoad aliqua puncta hujus membri, postea dicam. Interim audi Illustrissimum Bavariæ Cancellarium L. B. de Schmid *ad Jus Bavar. tit. 28. art. 17. ubi n.* 2. sic ait: *hæreticus est, qui dicit, Clericum in causis possessoriis conventum Judicio Sæculari subjacere, cùm omne judicium personam Clerici attingens reservatum sit tribunali Ecclestastico.* Et *n. 7.* subjungit: *Si Reus conventus persona Clericalis sit, tunc causam ad forum Ecclesiasticum pertinere, nemo Catholicus inficias ibit.* Ac *n. 9. sive controversia sit de proprietate, sive de possessione rei.* Membrum *quartum* est omnium Catholicorum, signanter laudati Cancellarii Schmid *Semicent. 2. contr. 25. 26.* & sic demonstratur: si in tali dubio cognosceret Judex Laicus, cognosceret su-

per

per causa spirituali, & super qualitate spiritualitatis, quia discuteret naturam intrinsecam decimarum ex se spiritualium, quales nimirum sint tum ab origine, tum defacto, an & quomodo spiritualitatem amiserint, vel amissam recuperaverint &c. quæ sunt quæstiones juris super natura rei ex se spiritualis: quæ cognitio & decisio evidenter supponit jurisdictionem spiritualem & Ecclesiasticam, cujus incapaces sunt Laici. Adde quòd juxta omnes in dubio præsumi debeat, decimas esse spirituales: ergo, si Laicus judicaret super hoc dubio, judicaret super causa spirituali, saltem præsumptivè tali, adeóque nulliter & super re sibi non subjecta.

16 Dico tamen 8. Etiam Laicus Judex potest esse competens in casu, quo decimæ sunt merè Laicales, & Reus conventus est Laicus. 2. Contra Laicum emptorem aut conductorem fructuum decimalium. 3. Si Laicus conveniatur super facto liquido super decimis etiam spiritualibus, v. g. si Laicus agatur reus commissæ certò fraudis in solvendis decimis, vel si neget decimas, ad quas certò obligatur. 4. Si conveniatur super facto dubio, v. g. an solverit decimas, an integras, an non fraudem commiserit: item si conveniatur super nuda possessione, ubi nulla involvitur quæstio super proprietate juris decimandi, vel solùm incidenter. Atque in his casibus hujus membri judicium concedo Judici quoque Laico vi consuetudinis, ubi ea existit, & quam passim vigere testantur plurimi DD. ac in specie Cancellar. Schmid. *Controv. 25. n. 4. seqq.* de casu, quo agitur in possessorio contra Laicum in decimis

etiam

etiam spiritualibus. Idem admitterem de casu, quo agitur actione reali contra Clericum in decimis Laicalibus, si de hoc specifico casu existere convincenter probaretur consuetudo. Sed non facilè probabitur, utpote immunitati Ecclesiasticæ personali valde contraria. *Membrum* 1. 2. 3. patent per se, quia nihil spiritualitatis ex parte causæ, nihil exemptionis ex parte Rei conventi reperitur. *Membrum* 4. sumitur ex testimoniis & auctoritate Doctorum. Dixi tamen initio assertionis, *etiam Laicus*, ut insinuarem adiri quoque Ecclesiasticum posse Judicem, ut adeò dictæ causæ omnes sint mixti fori, & detur locus præventioni. Sic enim sentit communior & verior, satis clarè fundata in *c. 5. seqq. c. 16. h. t. Clem. 2. de Judic.* Consonant Concordata Bavariæ, quæ *loc. cit.* adhibent particulam *quoque*, quæ est implicativa & conjunctiva. *l. 2. pr. ff. de Pact.* & Cancell. Schmid. *art. 17. cit. n. 6. 7.* qui utique melius novit observantiam Bavariæ, quàm quidam alius, qui in possessorio Judicium tribuit Judici Laico privativè ex antiquissima praxi, uhr-alten Landts-Gebrauch/ ut loquitur.

Dico 9. *Primitiæ* sunt primi fructus ex terra 17
provenientes, puta ex agris, vineis, hortis, arboribus, Deo ut largitori omnium bonorum, ejúsque Ecclesiæ ministris, semel tantùm (non singulis annis, ut decimæ) offerendi. In Veteri Testamento debebantur Jure Divino. *Exod 23.* In novo autem ex præcepto Ecclesiæ. *can 6. d. 32.* ubi nulla quantitas fuit præscripta, at in *c. 1. h. t.* designata esse videtur quadragesima, vel ad minimum sexagesima pars primorum fructuum. Sed

vi consuetudinis in Germania nostra pridem abolitæ sunt, vel nunquam in usum deductæ.

18 Dico 10. *Oblationes* generaliter sumptæ denotant omne id, quod DEO, vel intuitu DEI, offertur Ecclesiis aut Ecclesiæ ministris. Specifice autem & propriè huic loco sunt dona, quæ fideles intuitu Religionis per se, vel per alios offerunt ad altare, devotam imaginem &c. in-vel extra Ecclesiam, in cippo vel ad mensulam: principaliter autem veniunt per oblationes illa dona, quæ fiunt ad altare inter Missarum solennia, *can. antiquos 8. caus. 10. q. 1.* Per se loquendo nulla est obligatio faciendi ullas oblationes. Communis cum S. Th. 2. 2. *q. 86. a. 1.* quia ex natura sua dicunt munus gratuitum, nec exstat lex illas præcipiens; quamvis Ecclesia eas valde approbet, SS. PP. suadeant, & antiquissimus fidelium usus confirmet, atque ratio ipsa ac pia offerentium intentio eas valde commendabiles faciat. *can. quia sacerdotes 13. q. cit. can. 69. d. 1. de consecr.* Dixi tamen, *per se loquendo*; per accidens enim possunt fieri obligatoriæ, veluti 1. ex promissione aut voto. 2. ex conventione. 3. ex indigentia Ecclesiæ, vel Parochorum, aliunde congruam sustentationem non habentium. 4. ex consuetudine animô se obligandi introducta, v. g. pro certis festivitatibus; qui animus fortè præsumitur, si populus diuturno tempore constanter eas facere continuavit. 5. ex præscriptione, si Parochus longo tempore ejusmodi oblationes quasi debitas exegit, vel parochiani voluissent aliquando ab eis cessare, & Parochus bona fide putans, eas sibi deberi, ursisset, & illi acquievissent.

Quæ-

Quæres, ad quem pertineant Oblationes? ℟. 19
1. oblationes omnes, sive ad altare, sive ad imaginem piam, sive in Ecclesia parochiali, sive in alia, in Oratorio, Capella, vel alio loco pio, intra fines alicujus parochiæ deponantur, sive ipse Parochus, sive alius celebret Divina, de Jure Communi spectant ad Parochum. Communissima ex *can. 13. 14. caus. 10. q. 1. c. 10. de Præscr. c. 9. de his, quæ fiunt à præl.* nisi nimirum aliud habeat consuetudo, vel de alia intentione offerentium constet, ut si Neo-mysta celebret Primitias, pertinent ad illum; si fiant ad imagines miraculosas, spectant ad Ecclesiam vel Sacellum pro fabrica vel ornatu Ecclesiæ, aut imaginis, utì & quæ deponuntur in cippis, mensis, capsulis ad oblationes pro tali fine applicandas expositis. Ut adeò ad Parochum hodie vix aliæ oblationes pertineant, nisi quæ fiunt sub Missis ad altare in exequiis & sepulturis, in benedictione nuptiarum, introductione mulierum in Ecclesiam &c. Interim tamen oblationum, etiam non ad se pertinentium administratio, custodia, & applicatio ad mentem offerentium spectat per se ad Parochum, ut habet communis; nisi aliud per consuetudinem, privilegium, aut conventionem sit introductum ℟. 2. Oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, seu Religiosorum, pertinent ad horum ibi Deo servientium sustentationem, nisi de alia mente offerentium constet, qui fortè intendunt ornatum certi Sacelli, Imaginis miraculosæ, Altaris &c. *c. 1. de Statu Monach. c. 16. de Excessib. Prælat.*

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

SUMMARIUM.

1. *Quinam dicantur Regulares.*
2. *Quid, & quotuplex sit Religio.*
3. *Transeuntes ad Religionem quinam sint.*
4. *Quinam debeant, vel possint ingredi Religionem.*
5. *Quid Juris circa Novitios:*
6. *Et an dispositio Tridentini extendenda ad ingressuros.*
7. *Quid Juris circa Professos.*

1 *Regulares* hoc loco appellantur, qui voto paupertatis, castitatis, & obedientiæ adstricti, & à Mundo abstracti in communitate sub imperio alicujus Prælati Ecclesiastici vitam instituunt juxta Regulam aliquam ab Ecclesia approbatam: sive dein Clerici sint sive Laici: mares vel fœminæ. Alio nomine vocantur *Religiosi*, quia profitentur aliquam Religionem, seu Ordinem Religiosum.

2 Est autem *Religio* (de qua mentionem facit Rubrica, & nos sermonem) fidelium ad Christianæ vitæ & charitatis perfectionem tendentium editis tribus, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ votis, stabilis in communi & secundùm certas Regulas vivendi modus, ab Ecclesia debitè approbatus. Sæpius nuncupatur *Ordo Religiosus*.

Unde

Unde quatuor essentialia substantialia Religionis, seu Statûs Religiosi & Regularis, communiter recensentur. 1. Speciale studium voluntariæ paupertatis, perfectæ castitatis, & obedientiæ perpetuæ, quæ virtutes quia à Christo suadentur in Evangelio ad ampliorem perfectionem Christianam obtinendam, non præcipiuntur ob arduitatem suam, *Consilia Evangelica* dicuntur, per quæ homo se & sua omnia consecrat DEO, per paupertatem quidem res temporales, per castitatem corpus, per obedientiam verò animam. 2. Vota dictarum trium virtutum, per quæ inducitur stabilitas, & Religio efficitur *status*, qui ex natura sua exigit perpetuitatem. 3. Submissio in potestatem & jurisdictionem alicujus Superioris, ad servandas certas regulas & dicta vota compellere potentis. 4. Approbatio Ecclesiæ, scilicet Summi pontificis, talem modum vivendi non præcisè tolerantis, aut quomodocunque approbantis, sed in vim veræ Religionis. Hæc Religio licèt substantialiter sit unica, cùm omnes Ordines Religiosi in dictis substantialibus conveniant, accidentaliter tamen, nempe secundùm speciales fines, & regulas tanquam media ad illos perveniendi, est multiplex: sic alia est *Contemplativa*, quæ ex instituto suo principaliter ordinatur ad contemplationem rerum Divinarum Deóque vacandum per orationem, lectionem sacram &c. utì Religio S. Basilii, S. Benedicti, S. Bernardi, S. Brunonis, alia *Activa*, quæ ex instituto suo principaliter ordinatur ad vitam activam, seu ad vacandum proximo propter DEUM per opera charitatis ac misericordiæ,

vel corporalia, vel spiritualia, uti Ordines Militares Equitum Teutonicorum, Melitensium, Rhodiensium &c. qui habent tria vota substantialia, Fratrum Misericordiæ &c. Alia demum *Mixta*, quæ utramque vitam, Contemplativam & Activam complectitur, atque ex principali suo fine ordinatur ad vacandum tamDEO per orationem &c. quàm proximo per opera Misericordiæ, præsertim spiritualia, docendo rudes, prædicando Verbum DEI, Confessiones audiendo, Sacramenta administrando, moribundis assistendo &c. uti Ordo Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, Societatis JESU &c. Rursus alia Religio est *Clericorum*, nempe Regularium, qui ex institutione & fine suo principali obeunt ministeria Clericis propria: alia *Monachorum*, qui ex instituto suo principaliùs vitam solitariam profitentur, non ministeria Clericis quà talibus propria: alia *Mendicantium*, qui ex primæva institutione nulla possident bona immobilia etiam in communi, uti Dominicani, Franciscani, Eremitæ S. Augustini, & Carmelitæ; qui tamen omnes ex dispositione Tridentini *Sess. 25. c. 3. de Regular.* bona immobilia eorumque dominium in communi obtinere & habere possunt, exceptis *Minoribus* seu Franciscanis *strictæ observantiæ*, ut vocant & Capucinis, quos imitantur *Domus Professæ* Societatis JESU, quam Pontifices annumerârunt Ordinibus Mendicantium.

3 *Transeuntes ad Religionem* sunt in duplici classe, eorum, qui ingrediuntur Novitiatum, ut auspicentur probationem emissioni votorum præmittendam: ac eorum, qui ingrediuntur per actu-

lem

lem emissionem votorum, vel per Professionem, per quam ultima vota evadunt & dicuntur *Solennia*. Est autem *Professio* propriè dicta contractus sacer, per quem homo actualiter emittens vota paupertatis, castitatis & obedientiæ se consecrat, obligat & tradit DEO, ac Religioni approbatæ, & vicissim Religio per Prælatum nomine DEI acceptando hæc vota se obligat ad Professum perpetuò retinendum. Est duplex: *Expressa*, quæ fit verbô vel scriptô vel alio simili modo, licèt singulæ tres dictæ virtutes non explicitè nominentur, sed solùm implicitè ex recepto usu intelligantur, ut si Benedictinus, vel Canonicus Regularis, sic dicat, *voveo obedientiam S. Benedicti*, vel *S. Augustini*; talis enim vovet omnia, quæ substantialiter tali Regulæ sunt annexa: *Tacita* autem, quæ sit aliquo facto, ex quo animus profitendi elicitur, ut siquis post annum Novitiatûs gestet habitum Professis proprium. *c. 18. 22. h. t.* vel exerceat actum solis Professis competentem: sed hæc hodie est rarissima extra casum, quo expressa Professio fuisset nulliter edita. Dixi, *propriè dicta*; si enim Religio acceptat quidem dicta vota, non verò reciprocè se obligat vota emittenti, uti fit in Societate JESU, ubi ingressi finito Noviciatu edunt vota, non est propriè dicta Professio, nec ita ingressos facit aut denominat *Professos*, & vota manent ac vocantur *Simplicia* tantùm, donec post complures annos emittant veram Professionem, qui ad eam idonei inveniuntur juxta Constitutiones Societatis.

Dico 1. Sicut nemo per se tenetur ingredi 4
Religionem, aut cogi ad ingrediendum potest.

Trid. *ſ. cit. c. 18. de Regul.* cùm Conſilia, etiam Evangelica, non inducant obligationem, & Chriſtus ipſe hanc arduam vitæ rationem in cujuslibet libera electione conſtituerit, *Matth. 19.* inquiens: *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes & ſequere me.* Ita regulariter omnes ingredi poſſunt, nullo laborantes impedimento corporis aut animi, cùm utique cuilibet permiſſum ſit ſalutem ſuam & perfectionem Chriſtianam promovere per media ab ipſo Chriſto ſuaſa. Aliqui tamen habent impedimentum ſubſtantiale & dirimens, quo ſtante non valet Profeſſio, utì minores 16. annis, & qui non per integrum & continuum annum priùs ſteterunt in probatione ſeu in Novitiatu. Trid. *ſ. 25. c. 15. de Regular.* Metu gravi injuſtè incuſſo adacti ad emittendam Profeſſionem. *c. 1. h. t. & c. 1. de his, quæ vi.* Matrimoniô jam conſummatô ligati ſine debito compartis conſenſu. *c. 17. de converſ. conjug.* Epiſcopi jam confirmati vel conſecrati ſine licentia Papæ. per *c. 2. ſeqq. de translat. Epiſc.* ac alii, quos particularium Ordinum ſtatuta incapaces reddunt. Alii econtra laborant impedimento ſolùm impediente, quo ſtante illicita eſt Profeſſio, utì ſervi, etiam impropriè dicti, nempe adſcriptitii, homines proprii, ſine conſenſu ſuorum dominorum, obligati ad ratiocinia, antequam ſuis Principalibus ſatisfecerint, corpore vitiati &c. utì de ſuſceptione Ordinum Clericalium in *lib. I. tit. 18. 19. 20.* explicatum eſt.

5 Dico 2. Novitii in favorabilibus veniunt ſub nomine Religioſorum, adeóque participant ſui Ordinis privilegia omnia, quibus non privantur Jure ſpeciali aut Conſuetudine, gaudent quoque pri-

privilegiò Fori & Canonis. 2. Subjecti sunt jurisdictioni Superioris, cui præcipienti tenentur obedire etiam in conscientia, ac ab eodem puniri possunt, si delinquant, vel non observent regulas. 3. Non tamen obligantur votis Religiosis, nec per se & directè ad servandas regulas sub peccato. 4. Item per se liberum ipsis & licitum est regredi in Sæculum. 5. Quæ libertas ut magis salva maneret, ordinavit Tridentinum, ut de bonis & juribus suis, in sæculo habitis, etiam in favorem Religionis, validè non possint disponere per actum inter vivos, eúmque gratuitum, utì est donatio, renunciatio, cessio, nisi id faciant intra duos ultimos menses Professioni proximos, & cum licentia Episcopi (quæ tamen multis in locis non est usu recepta) atque Professio actualiter sequatur. 6. Si ergrediantur, restitui ipsis debent omnia, quæ secum in Religionem tulerunt, ipsi verò nihil tenentur restituere Religioni, v. g. expensas in suam sustentationem factas, nisi simulatè & sine animo manendi fuissent ingressi, vel nisi aliter sit conventum. 7. Si verò Professionem emittant, & de suis bonis & juribus nullam fecerint dispositionem, ea omnia statim acquiruntur Religioni vel Monasterio, si bonorum temporalium sit capax. Pars 1. sumitur ex *c. 15. de R. J. in 6. & c. 21. §. quamvis de sent. Excomm. in 6.* Pars 2. ex eo, quòd censeantur se subjicere jurisdictioni Superioris (aliàs enim non reciperentur) Superiori autem, casu quo justé præcipit, vel pœnam infligit, parendum est ex Jure Naturali. Pars 3. exinde, quòd nec ullum adhuc emiserint votum, nec regularum observatio-

nem promiserint expressè, nec tacitè. Pars 4. ex *c. 20. & 23. h. t.* Pars 5. & 6. ex Trid. *s. 25. c. 16. de Regular.* Valet tamen dispositio Novitii de bonis suis per ultimam voluntatem, vel per contractum onerosum, quo tantundem, vel ferè æquivalens recipit; cùm per talem dispositionem sibi non præjudicet, nec libertas redeundi ad sæculum minuatur. Pars 7. ex *Auth. Ingressi. Auth. Siqua mulier. C. de SS. Eccles. Auth. Nunc autem. C. de Episc. & Cleric.* canonizatis in *can. 7. caus. 18. q. 3.* cum tradendo seipsos Religioni censeantur quoque omnia sua, tanquam accessoria, eidem tradidisse: consequenter et omnia consequitur Religio, non quidem jure hereditario, sed jure acquisitionis.

6 Quæres, an Concilium Tridentinum, dum *loc. cit.* irritat renunciationes, donationes, & cessiones bonorum & jurium, à Novitiis factas sine requisitis ibi conditionibus, etiam intelligendum sit de nondum ingressis in Novitiatum, sed primùm ingressuris, qui nempe intuitu Religionis ingrediendæ talem renuntiationem &c. faciunt? R. Negant quidem Lezana, Diana, Portell, Peyrin, Pellizar. *tr. 2. c. 9. n. 4. Manual. Regular.* Ego tamen cum Roderiq. Miranda, Molina *to 1. de J. & J. tr. 2. d. 139. post med.* & Laymanno *lib. 3. Theol. Mor. tr. 5. c. 7. n. 7.* affirmo, ex hoc fundamento: finis ratio & mens Tridentini evidenter eò collimabat, ut Novitiis salva maneret libertas regrediendi in sæculum, & *ne hac occasione, quòd totam vel majorem partem substantiæ suæ*, in Monasterium vel alios translatæ, & non *facilè recuperandæ, si discesserint, discedere nequ-*

ant

ant (verba sunt Tridentini) sed hæc ratio planè non minùs pugnat apud ingressuros, & intuitu Religionis ingrediendæ exuentibus sese bonis & juribus suis: ergo nec ingressuri validè donant, renuntiant, cedunt bonis suis sine solennitate à Trid. præscripta; siquidem mens, finis & ratio legis, quæ dicitur esse anima legis, vel maximè est attendenda, & magis, quam ipsa verba, præsertim in lege favorabili, qualis est hæc, cùm principaliter intendat favere libertati à Religione discedendi. Confirmatur: Tridentinum non determinatè loquitur de ingressis, aut Novitiis actualibus, sed absolutè *de renuntiatione aut obligatione ante duos menses proximos ante Professionem facta:* sed renuntiatio &c. ante ingressum in Novitiatum, ac intuitu & ex causa finali, vel saltem impulsiva, ingrediendi facta, verè fit ante duos proximos menses ante Professionem: ergo.

Dico 3. Professi in quacunque Religione tam arctè adstringuntur Religioni, & hæc illis, ut nec ipsi ab ea recedere, vel dimissionem petere, nec Religio illos dimittere valeat. 2. Nisi ad strictiorem Ordinem transire volentes. 3. Quamvis ejici justis ex causis possint. 4. Et Professus valorem suæ Professionis (imò & Religio) per quinquennium à die Professionis impugnare, at non ultra. Communis quoad omnia. Membrum 1. sumitur ex *c. 5. & 7. h. t.* Membrum 2. ex *c. 18. eod.* Trid. *s. 25. c. 19. de Regular.* Ut autem liceat transitus ad alium Ordinem strictiorem, opus est licentiâ Superioris, saltem petitâ ac literis dimissoriis, atque ut fiat ex bona intentione, non ex levitate. Siquis vellet transire ad

Ordi-

Ordinem laxiorem, vel paris rigoris, & quidem absque justa causa, v. g. infirmitatis, dissidiorum declinandorum &c. opus foret licentiâ Papæ, licèt cum simili causa sufficeret licentia Episcopi, &, si Monasterium foret exemptum, Superioris Regularis & Capituli. Semper autem requiritur consensus Prælati, ad cujus Ordinem fit transitus, & novus probationis annus. Mendicantibus ad non Mendicantes (exceptis Carthusianis) transire nunquam licet sine speciali licentia Papæ. *Extrav. 1. int. comm. h. t.* &, qui sic transierunt, sunt inhabiles ad Prioratus, Officia, vocem in Capitulo, & Curam animarum. *Clem. 1. eod.* Imò ad Beneficia Sæcularia, etiam Curata, inhabiles sunt omnes translati ad alium quemcunque Ordinem. *Trid. sess. 14. c. 11. de ref.* De hominibus Societatis JEsu adverte, quòd ipsis, etiam jam Professis, liceat quoque ad non-Mendicantes transire cum solius Generalis facultate. *Constit. Cùm aliàs.* Gregor. XIII. Membrum 3. ex *can. 16. & 24. caus. 24. q. 3.* ac praxi, si nimirum justa ejectionis causa adfuerit. Hodie autem juxta decretum S. Congreg. Conc. Trid. Interpret. jussu Urbani VIII. editum, sufficit quidem quodvis grave & publicum crimen, si accedat *incorrigibilitas*: ut autem aliquis haberi possit pro incorrigibili & ejici, ibi statuitur, ut post tertiam monitionem & correctionem, in carcere per annum in jejuniis & pœnitentia probatus non resipuerit. Taliter ejectus manet quidem obligatus Votis, at ob statum suum non ita rigidè, probabiliter tamen non Regulis in Ordine præscriptis: tenetur quoque gestare habitum & per emendationem se disponere

ad

aditeratam receptionem, imò emendatum, etiam non petentem susci pi, tenetur Religio recipere, ut notant DD. cum Barb. ex *c. fin. h. t.* Membrum 4. ex Trid. *d. s. 25. c. 19. de Regular.* Quamvis autem post quinquennium pro foro externo non ampliùs audiatur valorem suæ Professionis impugnans coram Superiore suo, & Ordinario (ad hos enim conjunctivè pertinet cognoscere) in foro tamen interno, sicut nullitas suæ Professionis certa sit, ea tamen probare nequeat, non tenetur clàm (quod tamen facere posset, & laudabiliter faceret) ratificare per novum consensum suam Professionem, sed posset (seclusô scandalo) discedere. Cœterùm nullitas Professionis non sanatur ab ignaro nullitatis, licèt singulis annis eam renovaret etiam sublatô impedimentô, nisi expressè apud se statuisset, se Professionem, casu quo invalida fuisset prior, hic & nunc validam & novam emittere velle.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

SUMMARIUM.

1. *Quid veniat per* conjugatos, *& eorum* conversionem.
2. *Quid Juris, si existentes in Matrimonio Rato:*
3. *Vel in Consummato, ingredi velint Religionem.*

CONjugati sunt in duplici classe; aliqui sunt in Matrimonio *Rato*, quod quidem legitimè est contractum, nondum tamen secutâ 1

cutâ copulâ carnali: alii in *Consummato*, scilicet per subsecutam copulam carnalem perfectam, per se aptam ad generationem prolis. Per *Conversionem* intelligitur hic ingressus in Religionem, seu Ordinem Religiosum.

2 Dico 1. Existentes in Matrimonio Rato, quamdiu illud non consummaverint per copulam, ad quam propterea per duos integros menses à contractu Matrimoniali non obligantur etiam exigente altera parte, possunt ambo, vel unus, etiam altera parte invita, liberè ingredi Religionem. 2. Et postquam secuta fuerit Professio, Matrimonium penitus dissolvitur, ita ut remanens in seculo aliùd licitè ac validè contrahat. Communis & certa quoad utramque partem propter claros textus in *c. 2. 7. 14. h. t. Extrav. antiqua* Jo. *XXII. de Voto.* ubi Matrimonio Rato annexa legitur hæc conditio, *nisi Religionem ingrediar*: quæ tamen conditio non est annexa susceptioni Ordinis Sacri: quare Matrimonium Ratum non dissolvitur per susceptionem Sacri Ordinis etiam Presbyteralis. *Extrav. cit.* Quamvis autem hujusmodi conjuges per bimestre non teneantur consummare Matrimonium, si velint ingredi Religionem, vel de ingressu deliberent, eo tamen elapso, si una pars instet, & debitum conjugale seu copulam petat, urget obligatio vel statim ingrediendi, vel Matrimonium consummandi.

3 Dico 2. Existentes in Matrimonio Consummato nec licitè ingrediuntur, nec validè Professionem emittunt, nisi sponte consentiat altera pars. 2. Vel altera pars commisisset adulterium. 3. Aut lapsa fuisset in hæresim, & propterea per sen-

ten-

tentiam Judicis permissum divortium. 4. Eadem procedunt de susceptione Ordinis sacri, cum hoc solo discrimine, quòd Ordo sacer sine licentia uxoris validè suscipiatur, non tamen licitè, ut adeò maritus teneatur quidem uxori petenti debitum conjugale reddere, ipsè vero propter votum solenne castitatis illud licitè non petat. Pars 1. constat ex *c. 8. 12. 17. 20. h. t.* Interim talis sine licentia conjugis ingrediens, etsi invalidè emittat Professionem, & sic in vim voti solennis non teneatur ad castitatem, obligatur tamen ad hanc in vim voti simplicis, quia in tantum se obligare potuit, & se obligâsse præsumitur. *c. 3. & 12. eod.* Quamvis autem sola licentia conjugis sufficiat ad validam Professionem, non tamen sufficit ad licitam, sed insuper requiritur, ut & altera pars ingrediatur Religionem, aut, si jam sit senex, sterilis, aut aliàs non suspecta de incontinentia, saltem votum perpetuæ castitatis emittat in sæculo. *c. 4. 13. 18. eod.* Pars 2. ex *c. 15. 16. eod.* Pars 3. ex *c. fin. eod. & c. 6. de divort.* Pars 4. tum ex *citt. Jurib.* præsertim *Extrav. antiquæ.* tum ex paritate rationis; quia maritus sine licentia, vel adulterio carnali aut spirituali uxoris, suscipiens Ordinem Sacrum ei facit injuriam assumendo statum conjugio non convenientem. Quod autem Ordo susceptus valeat, eruitur indè, quòd non exstet Jus illum irritans.

)o(

TITU-

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIUM.

1. *Quinam dicantur* Infideles,
2. *Quid, si unus infidelium conjugatorum convertatur.*
3. *Quid aliud statuatur in hoc* titulo.

1 *INfideles* hoc loco, utì passim in Jure, sunt illi, qui nunquam susceptô Baptismô Ecclesiam ingressi aut Christianam fidem professi sunt, utì Judæi. Ethnici, Pagani, non verò Hæretici ; hi enim propriè *reverti* potiùs, quàm *converti* dicuntur. Per *Conversionem* autem intelligitur transitus ad Fidem seu Religionem Catholicam.

2 Dico 1. Matrimonium ab infidelibus contractum, etiam consummatum, si unus se convertat ad fidem Catholicam, manens autem in infidelitate nolit cohabitare converso, vel velit quidem, at non sine contumelia Creatoris seu injuria erga Christum, aut sine sollicitatione conversi ad peccatum, statim dissolvitur quoad vinculum, quamprimum conversus ad alias nuptias transit, sicuti potest. *can. 2. caus. 28. q. 2. & c. 7. de divort.* ubi Pontifex, uti Doctores communiter, sic intelligit illa verba S. Pauli *1. Cor. 7. Quòdsi infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror hujusmodi.* Et hic

casus

casus est unicus, quo Matrimonium semel validum & consummatum dissolvi quoad vinculum potest.

Dico 2. Matrimonium infidelis ad Fidem con- 3
versi, quod contrahit cum uxore fideli, cujus maritum consentiente uxore occidit, licèt adhuc infidelis, eum in finem, ut eam duceret in uxorem, est nullum; adeóque hoc impedimentum Criminis etiam afficit Infideles, licèt aliis impedimentis Matrimonii Jure Ecclesiastico introductis non ligentur Infideles. 2. Si unùs Infidelium convertatur, & altera pars in Infidelitate persistat, proles eorum, quæ nondum sunt rationis ita capaces, ut possint ipsæmet Religionem eligere, tolli ab Infideli, & educari à converso debent, sive iste sit pater sive mater. Pars prior habetur *c. 1.* & posterior *c. 2. h. t.* Nec obstat, quòd secundum Leges Civiles liberi sint in potestate patris, non matris, & illi, non huic, cura educandi liberos & alendi incumbat. *§. fin. Inst. de patr. pot. l. 9. C. eod.* ergo, si mater convertatur ad Fidem, proles relinquendæ sunt patri persistenti in Infidelitate; negatur enim *consequentia.* Siquidem favor Religionis & bonum spirituale liberorum prævalet dispositioni Juris Civilis, & standum hac in parte Juri Canonico,

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid sit votum, & redemptio voti.*
3. *An ex metu, vel errore editum valeat.*

4. *Quomodo dividatur votum.*
5. *Quando votum Castitatis & Religionis sit re-*
servatum.
6. *Quæ sit materia voti.*
7. *Quis effectus.*
8. *Quibus modis tollatur obligatio voti.*

1 Cùm ad essentiam Religionis, seu Status Religiosi, sit emissio certorum votorum, rectè hìc agitur de *Voto* in genere, quæ est lex quædam privata, quam quis sponte sibi ponit se obligando ad aliquid faciendum vel omittendum, utì & de *Redemptione Voti*, quæ nihil est aliud, quàm modus se liberandi ab obligatione voti nondum exsoluti. In *tit. seq.* autem de Votis Religiosis in specie tractabimus.

2 Dico 1. Votum est *deliberata promissio DEO facta de meliori bono.* Adeóque differt à proposito, utut serio, quod non inducit obligationem, sicut promissio. Cùm igitur in dubio non sit asserenda obligatio, eò quòd libertas sit in possessione, in dubio, an quis votum fecerit vel propositum, standum est contra votum. Idem probabiliùs est, siquis dubitet, an votum fecerit cum sufficienti deliberatione, quæ debet esse perfecta (& tanta, quanta requiritur ad peccandum mortaliter, ut habet communis) quia dubitatur de aliquo essentiali constitutivo voti, consequenter de ipso voto. Palao & Tambur. contra communiorem. Illud axioma, *in dubio tutior via est tenenda*, habet rationem consilii, non præcepti, vel intelligendum est de dubio *practico*; hoc enim deponendi obligatio datur. Dixi, *DEO facta*: unde, si promis-

sio

sio fiat homini, non est votum, quod de se est cultus latrevticus DEI, neque si fiat alicui Sancto aut etiam Beatissimæ Virgini, siquis sisterèt in horum cultu, & non referret ultimatò ad DEUM colendum': verùm: quia hoc ordinariè contingit, & contingere præsumitur, siquis voveat B. Virgini &c. Rosarium vel jejunium vel donum, censetur esse verum votum, quia promissio principaliter & ultimatò ex intentione voventis fit DEO, B. Virgini autem in memoriam duntaxat, & ut suis precibus voventem juvet: quo modo etiam templa & altaria eriguntur B. Virgini & Sanctis. Addidi, *de meliori bono*, quibus verbis indicatur materia voti, quæ debet esse talis, ut DEO sit magìs grata, quàm oppositum; aliàs enim DEUS, tanquam promissarius, promissionem non acceptaret.

Quæres, an metus gravis injustè incussus: item 3
an error vel ignorantia ita obstet deliberationi, ut votum evadat irritum? R. ad 1. Etiam talis metus (à fortiori nec levis, aut gravis justè incussus, aut ab intrinseco, seu à causa non libera, puta morbo, periculo naufragii, incendii &c. proveniens) non facit votum irritum. Ita Sylv. Suar. Palao &c. contra communem apud Pirhing; quia spectato Jure Naturali non tollitur per ullum metum libertas, nec irritatur votum: de Jure autem Positivo Humano irritatio nullibi est statuta, exceptis votis Religiosæ Professionis. *c. 1. de his, quæ vi.* Interim metus injustè incussus est causa, cur votum solvi & rescindi facilè possit. R. ad 2. Siquis ignoret, aut erret circa substantiam voti vel circa accidentia & circumstantias magnæ considerationis, quas siquis sciviset, non voviset,

vel circa finem, ut ſiquis voviſſet Petro dare elee
moſynam, quem per errorem putabat eſſe paupe-
rem, votum eſt utique nullum; quia, tanquam
lex privata, totam ſuam vim habere debet à vo-
luntate & intentione voventis, quam tollit hujus-
modi ignorantia vel error. Econtra validum eſt,
ſi ignorantia vel error ſit ſolùm accidentalis &c
Objic. 1. DEUS non acceptat vota per injuriam
extorta: ergo. 2. Si circumſtantiæ magni mo-
menti ignoratæ faciunt votum nullum, etiam vo-
ta Religioſa, & votum caſtitatis, ſi poſtea ſe pro-
dit magna difficultas priùs ignorata aut non præ-
viſa, erunt nulla: ſed hoc eſt contra communem
ſenſum & praxin. R. ad. 1. *N. ant.* nec enim in-
juria voventi à tertio illata impedit acceptatio-
nem DEI, quia aliàs nec valerent vota ex meru
levi injuſtè incuſſo edita: nec defectus plenæ li-
bertatis & ſpontanei conſenſûs ob metum? quia
aliàs nec valerent vota per metum gravem juſtè
incuſſum, vel ab intrinſeco venientem edita:
quod neutrum admittunt Adverſarii. Ad 2. *N*
ma. partim quia, ſi talia vota non valerent, ſeque-
rentur graviſſima incommoda, ſcandala, pertur-
bationes, & varii prætextus, cum gravi damno
Reipublicæ Chriſtianæ, ad quod cavendum ſtrictè
obligat Jus Naturale: partim quia omnes difficul-
tates, ſi non fuit error vel ignorantia circa ſub-
ſtantiam, facilè ſaltem in confuſo potuerunt præ-
videri, & præſumuntur prævisæ: partim quia per
remedia ſpiritualia non admodum difficulter ſu-
perantur. Simili argumento Lutherus & Augu-
ſtanæ Confeſſionis fabri jam olim impugnârunt
vota Religioſorum, cœlibatum Sacerdotum, &

vota

vota castitatis, dantes illis licentiam convolandi ad Matrimonium. Sed audi, quid contra illos detonet Tridentinum *sess. 24. can. 9. Siquis dixerit -- posse omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt, se Castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum: anathema sit: cùm DEUS id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.* Vid. *Decisio 76. in meis Decisionibus.*

Dico 2. Votum dividitur 1. in *Solenne*, quod 4
ab Ecclesia loco DEI specialiter acceptatur ita, ut ex dispositione Juris voventem reddat incapacem ad actus voto repugnantes, qualia duntaxat sunt vota Professionis Religiosæ, & votum Castitatis tacitum, susceptioni Ordinis Sacri annexum: sic enim voventes validum non contrahunt Matrimonium, & Religionem professi sunt incapaces dominii rerum fortunæ. Et in *Simplex*, quod non ita acceptatur, & actus voto repugnantes non facit invalidos, sed tantùm illicitos, qualia sunt omnia reliqua vota, exceptis tamen votis Scholasticorum Societatis JESU, quæ quidem tantùm sunt simplicia, Matrimonium tamen reddunt invalidum. 2. In *Purum* seu *Absolutum*, quod sine conditione emissum statim obligat: & in *Conditionale*, quod sub certa conditione emissum non obligat, quamdiu conditio non fuerit impleta. 3. in *Reale*, quo aliqua res, v. g. pecunia, calix &c. in *Personale*, quo promittitur aliqua actio personæ, vel omissio actionis, v. g. preces, peregrinatio, jejunium, abstinentia à lusu immodico &c. & in *Mixtum*, quo simul res & actio promittitur, v. g. donarium & peregrinatio ad tavmaturgam Virgi-

nem Oettinganam. Votum Reale potest, imò, si ab ipso vovente nequeat, debet impleri per alium, item transit ad hæredes (non tamen ultra vires hæreditatis, & non nisi salvâ legitimâ) atque ad successores. per *c. 6. cit. c. 6. de Testam. c. 13. de censib. l. 2. §. 2. ff. de pollicit.* Econtra Votum Personale non transit ad hæredes per se (per accidens autem hæres post aditam hæreditatem obligatur ex propria voluntate, & quasi-contractu, qualis est aditio hæreditatis, ad explendas obligationes defuncti. *c. 6. h. t.*) minùs ad successores; nec debet impleri ab alio, si vovens nequeat implere & si possit, non potest impletio alteri committi. Quapropter, si aliqua communitas vovit peregrinationem, jejunium &c. indè non obligantur successores, nisi forsan ex consuetudine, vel statuto saltem tacitè approbato ab Episcopo, vel ex persuasione erronea, aut usu vel ratificatione ultro nea. 4. in *Reservatum*, quod à nemine, nisi à Summo Pontifice dispensari vel commutari potest. qualia sunt tantùm quinque: votum castitatis integræ & perfectæ, votum Religionis ingrediendæ, vota peregrinationis Romanæ, Jerosolymitanæ, & Compostellanæ. *Extrav. 5. comm. de pœnit. & remiss.* Reliqua omnia sunt *non reservata.*

§ Quæres, quid requiratur, ut vota Castitatis, & Religionis ingrediendæ, quæ contra Jus antiquum reservantur Sedi Apostolicæ in *cit. Extrav.* censeantur esse reservata? R. cùm hæc reservatio sit restrictiva potestatis Episcoporum, & ideo odiosa, ac strictæ interpretationis, debent esse perfectæ edita, h. e. *plena libertate, & absolutè.* Votum castitatis autem debet esse *perpetua & integra*

Com-

Communis. Unde hæc vota non sunt reservata, si fiant ex metu, etiam levi, injustè incusso: si cum advertentia aut deliberatione imperfecta; si cum intentione se obligandi solùm sub peccato veniali: si dubium sit, an deliberatè satis, aut absolutè sint emissa: si sub conditione, v. g. si convaluero: si sub pœna, seu in pœnam, si v. g. te rursus inebriaveris: si alternativè, v. g. vel eleemosynam vel castitatem promittas. Vid. la Croix *lib. 3. p. 1. n. 544. seqq.* Rursus non est votum castitatis reservatum, si eam voveas non in perpetuum, sed ad tempus duntaxat, v. g. per annum: si voveas non nubere: non fornicari: non petere debitum conjugale: servare castitatem conjugalem: item votum *virginitatis* tantùm, quo præcisè promittitur abstinentia ab illo actu Venereo, per quem violatur claustrum virginitatis, & hujus laureola amittitur; quamvis *virginitatem* voventes sæpe soleant intendere se obligare ad castitatem integram & perpetuam, cùm non cognoscant differentiam inter Virginitatem & Castitatem. Imò nonnunquam apud puellas plebeias & rusticanas, quando dicunt, se virginitatem promisisse, sie haben die Jungfrauschafft verlobt/ adverti, quòd aliud non intenderint, quàm manere in vita cœlibe, sine marito, adeóque non nubere, quod utique non est integra castitas.

Dico 3. Materia voti debet esse moraliter possibilis; quia ad impossibilia non datur obligatio. 2. Honesta; quia implicat obligatio ad faciendum inhonestum. 3. De meliori bono; quia DEUS aliàs non acceptat. Unde 6

de re indifferenti, quæ in se nec bona nec mala est, utì v. g. ambulare, non nere die Sabbathi, non ludere &c. non potest validum fieri votum; neque de re impeditiva majoris boni, utì est Matrimonium; quamvis enim hoc sit honestum, impedit tamen statum cœlibem, qui est melior & perfectior, quàm status Matrimonialis: si tamen per Matrimonium posset procurari majus bonum, v. g. pax publica, vel vovens eriperetur ex manifesto periculo plurium & gravium peccatorum, per accidens fieret Matrimonium de meliori bono, & materia voti. Pariter siquis voveret rem de se quidem indifferentem, ex causa tamen & fine, ad DEI cultum serviente, redderetur Deo grata, uti si voveas te non ampliùs lusurum, ut te propter Deum prives delectatione, quam sentis ex lusu, vel ne perdas innutiliter tempus, aut pecunias, vel ne incidas in iram & blasphemias &c. per accidens validum evaderet tale votum. *Objic.* Si votum de re indifferenti possit per accidens fieri validum propter adjectum finem honestum & Deo magis placentem, tunc etiam votum de re meliori poterit per accidens reddi invalidum propter finem inhonestum adjectum, v. g. si voveres orare in templo expansis brachiis ad captandam vanam gloriam, & ut habearis pro homine valde pio: sed hoc est contra communem: ergo. R. *dist. ma.* poterit reddi invalidum, si finis malus adjectus vitiet ipsam rem voto promissam, vel si vovens rem promissam tanquam medium ordinet ad finem malum, ita ut finis rei promissæ sit malus, ut si fur voveat preces, ut furtum bene succedat, vel siquis voveat jejunare in Sabbatho,

tho, ut die Dominica meliùs & sapidiùs vorare possit. *C. ma.* Si finis malus solùm vitiet intentionem & actum voventis, vel si finis voventis, rei promissæ extrinsecus, sit malus, ut si intendas vanam gloriam ex precibus publicè ex voto peragendis. *N. ma.* Illud prius non est contra communem: bene tamen istud posterius.

7 Dico 4. Votum validum parit obligationem Religionis gravem vel levem (prout res promissa fuerit gravis vel levis, aut intentio voventis; iste enim potest vovere rem de se gravem, at solùm leviter se obligare intendendo) exequendi id, quod promissum est, & quidem moraliter statim, nisi justa causa dilationem excuset. Communis fundata tam in Jure Naturali, quàm Divino *Deut. 23.* ubi Deus sic præcipit: *cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo.*

8 Dico 5. Obligatio voti tollitur, seu votum solvitur, non solùm per executionem rei promissæ, sed etiam aliis quatuor modis. 1. *irritatione*, qua superior absque omni alia causa, præter beneplacitum suum, aufert obligationem voti: hoc autem non cuilibet Superiori concessum est, sed illi tantùm, cui vel competit potestas dominativa in ipsam personam vel voluntatem voventis, ut competit patri in filium impuberem, tutori in pupillum, matri, si patre mortuo est tutrix, & his deficientibus avo & aviæ: item

Superiori Religioso, & Præfectæ Monialium, quoad suos Regulares: qui omnia sibi subjectorum vota irritare pro libitu possunt; & hæc irritatio vocatur *directa:* vel cui materia voti est subjecta, & ex hac causa potestatem irritandi habet maritus respectu votorum uxoris præjudicantium usui Matrimonii, gubernationi domesticæ, educationi prolis: & uxor respectu votorum mariti, suo juri præjudicantium &c. & hæc irritatio dicitur *indirecta*, quia materiam voti subtrahit vel prohibet, nec omnino tollit obligationem voti, sed solùm suspendit, quamdiu durat impedimentum.

2. *Dispensatione*, qua Superior, jurisdictione in voventem præditus, nomine DEI ex justa causa remittit obligationem voti: qualis respectu omnium omnino votorum est Papa: in votis autem Papæ non reservatis Episcopus (& Capitulum Sede Vacante) ac Superiores Ordinum quoad suos Religiosos, quoad utrumque forum, externum & internum: item Religiosi Mendicantes, quibus sui Superiores hanc potestatem non restringunt, quoad omnes fideles, at solùm in- & pro foro interno. De Papa colligitur ex textu *Matth. 16. Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* De Episcopo &c. ex *c. 1. c. 7. §. cùm igitur. h. t. c. 11. & 14. de majorit.* De Religiosis ex eorum privilegiis ab Innoc. VIII. Engen. IV. Martino V. Paulo III. & Gregor. XIII. concessis. Justa autem causa potest esse vel minùs perfecta deliberatio voventis, vel valde magna difficultas exequendi votum, vel damnum spirituale, proveniens occasione voti, ut si votô cessita-

stitatis ligatus sæpe labitur ex fragilitate in peccata carnis &c. *Objic.* In *c. 6. de stat. Monach.* dicitur *custodia castitatis adeò esse annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex licentiam possit indulgere;* ergo saltem vota solennia non sunt dispensabilia. R. Sensus textûs est, quòd nec Papa possit dispensare in castitate Religiosa ita, ut dispensatus maneat Religiosus, non verò, ut non tollatur obligatio voti solennis. Cæterùm justa causa ad dispensandum in voto semper est necessaria ad valorem dispensationis; quia dispensatur nomine Dei, id concedentis; Deus autem non censetur dedisse potestatem temere dispensandi. Nec facilè deberet dari dispensatio, sed potiùs fieri commutatio voti, vel aliquid commutationis admisceri, ut habet etiam Praxis Curiæ Romanæ; quippe minor sufficit causa ad commutandum, quàm ad dispensandum, quia per commutationem aliud opus bonum substituitur.

3. *Commutatione*, qua nimirum non omnino tollitur obligatio voti, sed solùm mutatur, & pro materia votô promissa, substituitur alia, v. g. pro jejunio eleemosyna &c. Commutare votum in opus evidenter melius potest ipse vovens: in æquale autem probabiliter ex causa, etiam tenui; quia talis reddit Deo aliquid æquè gratum, & si causa aliqua subsit, non temere id facit. In opus verò minùs bonum nec ex causa commutare permissum est ipsi voventi, eò quòd talis commutatio involvat aliquid dispensationis, quæ necessariò requirit jurisdictionem Ecclesiasticam in voventem. Cæterùm si votum principaliter sit

factum in favorem tertii, v. g. pauperis alendi, nec dispensatione nec commutatione tolli potest absque consensu illius, in cujus favorem est factum, seclusâ causâ publici boni.

4. *Deficientiâ materiæ*, si nimirum voti materia vel ex toto vel ex parte destruatur, si evadat impossibilis, vel desinat esse de meliori bono ob mutatas circumstantias.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

SUMMARIUM.

1. *Quid veniat nomine Statûs Monachorum, & Canonicorum.*
2. *Ad quid Religiosos adstringat votum Paupertatis:*
3. *Votum Castitatis:*
4. *Et Votum Obedientiæ.*

1 *Status* in sensu latiori dicit quamlibet vitæ conditionem, strictè autem & hoc loco conditionem vitæ *stabilem*, qua alteri tenemur adstricti: quales solummodo tres sunt in Ecclesia, nempe Clericorum, Religiosorum, & Conjugum. Per *Monachos* & *Canonicos Regulares*, qui inter se differunt per hoc, quòd illi Regulæ strictiori, isti autem laxiori subsint, hic denotatur universitas omnium Religiosorum, qui per vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ sub aliquo

aliquo Prælato se obligârunt ad dictas virtutes specialiter colendas, & ad certas regulas observandas. Unde dispiciendum, ad quid vi horum votorum, consequenter statûs sui, obligentur.

Dico 1. Religiosi singuli, & in particulari, vi voti *Paupertatis*, accedente dispositione Ecclesiæ, non solùm redduntur incapaces omnis dominii rerum fortunæ, & jurium, quæ aliquem reddunt divitem, ita ut nihil proprium habere possint, &, siquis tale quid animô proprietariô ac sine licentia Superioris habere certò deprehendatur, per biennium voce activa & passiva, ac mortuus carere debeat sepulturâ sacrâ. *c. 2. 4. 6. h. t. c. 5. de Regular. Trid. s. 25. c. 2. de Regular.* sed etiam liberum usum & dispositionem dictarum rerum non habent, ut iis uti absumendô, donandô vendendô &c. aut etiam retinendô vel sibi applicandô, nequeant absque licentia Superioris. per *Jura citt.* Quæ licentia potest esse vel expressa vel tacita, specialis vel generalis, imò & rationabiliter præsumpta, per quam intelligitur Superioris consensus, qui quidem nec expressè nec tacitè nec generaliter actu est datus, sed prudenter creditur dandus, si peteretur. Ut hæc licentia *præsumpta* sufficiat, requiritur, ut Superior hic & nunc adiri, & ejus consensus peti commodè non possit: si autem commodè peti posset, tunc demum sufficit ad vitandum peccatum proprietatis, quando Superior prudenter creditur non esse invitus *quoad Substantiam*, si v. g. Superior, quamvis optet semper peti licentiam expressam, sæpe tamen conniveat, licèt sciat, quandoque non peti: quo casu solùm censetur 2

tur esse invitus *quoad modum*, & non petens licentiam solùm venialiter peccat contra obedientiam vel aliam virtutem, non contra paupertatem. Si verò Superior simpliciter esset invitus quoad omissionem petitionis licentiæ, licèt crederetur rem concessurus petitâ licentiâ, non tam *quoad modum*, quàm *quoad substantiam* invitus esse recte censeretur.

Objic. 1. Qui in Societate JESU post Novitiatum emittunt vota Religiosa, quæ adhuc sunt simplicia, retinent dominium rerum suarum, donec nimirum à Superioribus jubeantur abdicare se dominiô, vel donec emittant *Professionem*, vel Coadjutores Formati *Vota Publica:* ergo Religiosi, etiam in particulari, non sunt incapaces dominii; quòd enim Communitas Religiosa etiam Mendicantium (exceptis Minoribus de stricta observantia) sit dominii capax, ordinavit Trid. *lo. cit. c. 3.* 2. Religiosi in particulari sæpe habent *peculium*, seu *depositum*, vel etiam *libellos*, ut vocant, seu certos reditus annuos vel census, à parentibus vel propinquis ad usum eorum assignatos: ergo habent liberum usum & dispositionem in his rebus. 3. Consensus proprii Pastoris merè præsumptus non sufficit ad validè absolvendum à peccatis alienum subditum: ergo nec licentia merè præsumpta Superioris Religiosi ad validè & licitè disponendum de rebus fortunæ. R. ad 1. Iste casus est exceptus à Summis Pontificibus Institutum Societatis JESU approbantibus. An verò, quamdiu retinent dominium, solùm illicitè, vel etiam invalidè, disponant tales Scholastici ejusdem Societatis, controversum est, ac decisio pendet ex eo,

an

an verba Gregorii XIII. *in Constit. Quantò fructuosiùs: nec ulla re tanquam propria, & sine Superioris facultate uti possunt*, sint tantùm narratoria, vel potestatem disponendi auferentia, & sic irritantia: quod declarare altioris est subsellii. Ad 2. Illud peculium non aliter sustinetur, nisi in quantum retinetur cum licentia Superioris, & ad hujus nutum revocabile est: neque libelli, nisi in quantum assignati cum licentia Superiorum, & ab his revocabiles sunt, ac illi reditus consignantur in manus Superiorum; ad tales enim libellos se non extendit juxta veriorem sententiam, & praxim, Trident. *c. 2. cit.* Ad 3. *N. conf. & parit.* quia ad absolvendum requiritur actualis Jurisdictio, & actu concessa, cùm absolutio essentialiter fit actus jurisdictionis: econtra ut aliquis evitet peccatum proprietatis, sufficit modò de rebus non disponat nomine proprio, sed auctoritate Superioris, atque cum dependentia ad ejus voluntatem: quod etiam fieri censetur per respectum ad licentiam merè, rationabiliter tamen, præsumptam.

Dico 2. Religiosi vi voti *Castitatis* obligantur 3
abstinere ab omni Venerea carnis delectatione voluntaria, tam interna quàm externa. Id enim ex natura sua exigit votum perfectæ castitatis. Unde, cum in delectione Venerea, extra Matrimonium plenè voluntariè admissa, aut studiosè quæsita, non detur parvitas materiæ à peccato mortali excusans, Religiosus contra castitatem peccans duo committit gravia peccata, luxuriæ scilicet, & sacrilegii, cùm votum graviter obliget, & eo modo, quo virtus castitatis, cui adjicitur.

Dico

4 Dico 3. Religiosi, vi voti *Obedientiæ* tenen-
tur obedire Superiori, quæ illæ sub culpa præci-
pit justè, & quæ directè vel indirectè, explicitè
vel implicitè, continentur vel pertinent ad Regu-
lam vel Institutum, quod profitentur. Ratio pe-
tet ex natura hujus voti. Cùm igitur Superior
habeat jus præcipiendi, quod non obsequendo
violatur, inobediens Religiosus non modò pec-
cat contra Religionem ratione voti, sed etiam
contra Justitiam: imò & peccat contra fidelitatem
ob violationem promissionis. Præterea ex hoc
voto adstringitur Religiosus ad observationem
Regularum, quæ ex intentione Fundatoris obli-
gant sub peccato.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

SUMMARIUM.

1. *Quid sint loca Religiosa, Sacra, Pia.*
2. *Per se subsunt jurisdictioni Episcopi.*
3. *Quid requiratur ad erectionem novi Monaste-*

1 PEr *Domos Religiosas* genericè intelligun-
tur loca cultui Divino vel aliis piis usibus
authoritate Episcopi destinata. Si præ-
ter authoritatem Episcopi non interveniat con-
secratio, specificè dicuntur *Domus Religiosæ*, ut
Monasteria, Collegia, ac aliæ domus Regula-
rum, Nosocomia, Hospitalia, confraternitates

con-

congregationes &c. Si verò præter authoritatem Episcopi adhibeatur etiam Consecratio, propriè ac specificè vocantur *loca & domus sacræ*, utì templa, sacella, altaria, pro Divinis officiis deputata. Si denique nec Episcopi authoritas nec consecratio intervenerit, nihilominus tamen ad pia opera charitatis &c. destinata reperiantur loca, propriè ac specificè appellantur *loca & domus piæ*, utì Oratoria privata. In communi usu tamen subin promiscuè accipiuntur loca Religiosa, Sacra, & Pia. Si loca ad orandum deputata, seu *Oratoria*, sint constituta authoritate Episcopi, & in loco publico cum ostio versùs plateam vel viam publicam, vocantur *publica*: si in loco privato, v. g. in ædibus, castris, & sine authoritate Episcopi, sint erecta, dicuntur *privata*.

Dico 1. Domus Sacræ, & Religiosæ (non verò Piæ tantùm) de Jure subsunt jurisdictioni Episcopi in tantum, ut ab eo visitari possint, & exigi rationes administrationis, nisi probetur illarum exemptio. *c. 3. 4. 6. 7. h. t. Clem. 2. eod.* Trid. *s. 22. c. 8. 9. de ref.* Et nisi Hospitalia vel Collegia hujusmodi sint sub immediata protectione Regum, aut aliter in fundatione ordinatum sit. Trid. *lo. cit.* ubi etiam tribuitur Episcopis cura providendi, ut in *Piis* quoque locis, quæ per *c. 4. cit.* argumento à contrario non subesse jurisdictioni Episcopi eruitur à DD. piæ defunctorum voluntates executioni mandentur: item potestas concurrendi cum aliis, ad quos vel ex privilegio, vel consuetudine, vel statuto, pertinet rationum exactio à locis Religiosis. 2

Dico 2. Ad erigendas novas domus Religio- 3

sas (intellige Monasteria) requititur 1. consensu Episcopi. 2. Parochi loci. 3. Principis & incolarum loci. 4. Religiosorum in vicinia habentium domicilia. 5. Probabiliùs tamen extra Italiam non Summi Pontificis. 6. Ut in novo domicilio saltem 12. Religiosi habitare, & vel ex reditibus vel ex consuetis eleemosynis competenter sustentari valeant. Sumuntur hæc ex Trid. *s. 25. de Regular. c. 3.* & ex Recentiorum Pontificum Constitutionibus, nempe *Quoniam ad institutum* Clem. VIII. *Cùm aliàs* Gregor. XV. *Romanus* Urbani VII. ubi quidem prædictorum consensûs, non tamen Summi Pontificis, mentio fit. Trid. *lo. cit.* sic habet: *in Monasteriis & domibus tam virorum quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac imposterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis, commodè possit sustentari; nec de cætero similia loca erigentur sine Episcopi in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta.* Vehementer quidem reclamat, & consensum Summi quoque Pontificis expetit *Constit. instauranda* Innoc. X. Sed P. Reiffenstuel ad *tit. de Eccl. ædif. n. 38.* cum communi, ut ait, bene observat, quòd ibi expressè restringatur licentia Pontificis ad Italiam & adjacentes Insulas. Idem rectè advertit, per Concil. Trid. recessum esse à Jure antiquiori. *c. un. h. t. in 6. & c. un. de Excess. Præl.* ubi requirebatur consensus Pontificis. Adde, quòd in *citt. Const. Quoniam ad institutum. Cùm aliàs. & Romanus.* licentia Pontificis solùm requiratur pro casu, quo ad illum fuerit appella-

tum

tum: ergo extra hunc casum non requiri haud obscurè licet inferre.

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

SUMMARIUM.

1. *Per Capellam venit Ecclesia Curata Monasterio unita.*
2. *Quando & quomodo subjecta sit Episcopo.*

Capella hoc loco denotat Ecclesiam Curatam, maximè Parochialem (Beneficium vel Prioratum) incorporatam tamen vel unitam Ecclesiæ Regulari, & positam extra Monasterium. 1

Dico. Hujusmodi Capella, seu Ecclesia Parochialis, siquidem est plenissimo jure incorporata Monasterio, nempe ita, ut integer districtus, in quo existit, unà cum populo sit exemptus ab Episcopo, & Prælatus in eo, tanquam diœcesi parvula, jurisdictionem quasi-Episcopalem exerceat, est exempta, & nihil in eo juris habet Episcopus. per *c. 21. de Privil.* Trid. *s. 25. de Regular. c. 11.* Si verò solùm pleno jure, h. e. quoad spritualia & temporalia simul, sit incorporata, ita ut Prælatus sit Parochus in habitu & principalis in ea, vel si solùm incorporata sit quoad temporalia, manet Episcopo in tali capella jurisdictio, ita ut eam visitare & pro cura animarum expositum Religiosum, 2

etiam exemptum, examinare, approbare, visitare, corrigere &c. (sed solùm quoad curam animarum, administrationem Sacramentorum, & alia Parochialia) omnino possit. Trid. *loc. cit. & s. c. 7. de ref.*

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatûs.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Jus Patronatûs, quæ habeat commoda & onera.*
2. *Quotuplex sit.*
3. *Quinam sint ejus capaces.*
4. *Quibus modis acquiratur originaliter:*
5. *Et quibus per translationem.*
6. *Præsentatio ad Beneficium Patronatum est necessaria.*
7. *Quando sit invalida, & quando illicita.*
8. *An plures præsentari possint.*
9. *Quo tempore præsentatio fieri debeat.*
10. *Qua ratione amittatur Jus Patronatûs.*
11. *Quid sint Primæ Preces, & unde habeant vim.*
12. *Ad quæ Beneficia se extendant.*

1 JUs Patronatûs, das Pfarr-Lehen/ est potestas nominandi seu præsentandi Clericum instituendum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. Unde *Patronus* secundùm Sacros Canones dicitur, cui competit dictum jus præsentandi: quæ *præsentatio* est favor præcipuus Patrono com-

competens, licèt habeat duo alia adhuc privilegia, nempe jus præcedentiæ in Ecclesia patronata, & jus ab ea petendi alimenta, si ipsi aliunde non suppetant. *c. 25. h. t.* modò probet illam à se vel à Majoribus suis fundatam, vel constructam, vel dotatam esse, salvâ tamen sustentatione Parochi ac Ministrorum ejusdem Ecclesiæ. Sed & onera incumbunt Patrono, nimirum cura, ne officia Divina negligantur, dos vel bona Ecclesiæ dilapidentur, item obligatio defendendi Ecclesiam contra potentiores, ne opprimatur, vel damnum incurrat. Unde Patronus subinde vocatur *Advocatus* Ecclesiæ, licèt in Germania Advocatus, der Schutz-Herr / soleat esse distinctus, nempe Imperator respectu omnium Ecclesiarum in Imperio Romano, & Principes quoad Ecclesias in suis territoriis. Interim tamen nec Patrono nec Advocato competit ulla jurisdictio in Clericos, nec administratio bonorum Ecclesiæ, saltem per se & in dependenter à speciali concessione, multò minùs potestas applicandi sibi aliquos fructus ab Ecclesia, vel accipiendi pensionem annuam ab illa. *c. 4. 23. h. t.* Trid. *s. 24. c. 3. s. 25. c. 9. de ref.* Cœterùm jus patronatûs, quatenus respicit præsentationem, de qua hìc maximè agitur, est jus spirituali annexum. *c. 16. h. t.* nimirum institutioni præsentati faciendæ à Prælato in beneficio Ecclesiastico, quæ institutio est actus jurisdictionis spiritualis, ad quem ordinatur præsentatio.

Divisio juris patronatûs est 1. in *Ecclesiasticum*, quod vel alicui competit ratione Ecclesiæ, dignitatis, beneficii, loci Pii, v. g. Episcopo, 2

Decano, Religiosis &c. vel quod ex bonis Eccle-siasticis ad fundandam, construendam, vel dotan-dam Ecclesiam applicatis comparatum est: & in *Laicum* seu *Sæculare*, quod alicui vel competit ex titulo sæculari, v. g. donatione, vel quod ex bo-nis patrimonialibus (etiam à Clerico) in fundan-dam &c. Ecclesiam applicatis comparatum est; sive dein acquirens sit Laicus vel Clericus. Si proveniat partim ex titulo Laico partim ex Eccle-siastico, erit *Mixtum*. In effectu singulariter ib observandum est inter utrumque, quod Papa non soleat, imò nunquam censeatur, nisi clarè expri-mat, derogare juri patronatûs Laico, bene tamen Ecclesiastico. per *c. 28. h. t.* 2. In *Personale*, seu *Principale*, quod adhæret personæ, v. g. fundato-ris, & hæredum, independenter ab aliqua re, ac inseparabiliter adhæret personæ: & in *Reale* seu *Accessorium*, quod velut accessorium quid adhæret rei temporali, v. g. castro, prædio, universitati bo-norum vel jurium, & transit ad quemcunque, etiam non-hæredem, modò, rem, cui annexum est, ac-quirat. Per se censetur esse personale, nisi ex fun-datione, consuetudine, præscriptione, vel legiti-ma auctoritate attributum sit certorum bonorum possessoribus.

3 Dico 1. Juris patronatûs capaces sunt omnes Christiani. 2. Etiam Laici. 3. Ac fœminæ. Pars 1. habetur *can. 26. 27. 30. caus. 16. q. 7.* ubi ex-cluduntur non-Christiani seu infideles. Hæretici tamen in nostris partibus, quamvis in foro Eccle-siastico non tolerentur, vi consuetudinis per con-niventiam Pontificis possunt præsentare, ac ab ip-sis præsentati institui solent. Pars 2. *c. 1. 7. 10.*

25.

25. h. t. ut nimirum Laici hac ratione alliciantur ad pias fundationes. Pars 3. *c. 7. cit. & c. fin de conceſſ. præb.* Pupillus ſeptenniô minor, non per ſe ipſum, ſed per tutorem validè præſentat; major tamen ſeptenniô etiam per ſe ipſum; quia tutoria poteſtas ſe non extendit ad jura ſpiritualia. *Objic.* Laici ſunt inhabiles ad jus eligendi Prælatum Eccleſiaſticum, & ad alia jura ſpiritualia, vel ſpirituali annexa: ſed jus patronatûs non minùs eſt jus ſpirituali annexum, ac jus eligendi: ergo. R. Ad jus patronatûs in Jure generaliter habilitati ſunt Laici, non ad jus eligendi aut ad alia jura ſpiritualia, vel ſpirituali annexa.

Dico 2. Jus patronatûs originaliter acquiri poteſt tribus modis. 1. Ex ſpeciali conceſſione Pontificis. 2. Ex fundatione, vel conſtructione, vel dotatione Eccleſiæ, in qua erigitur Beneficium. Unde ille verſus: *patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.* 3. Ex immemoriali præſcriptione. Pars 1. claret per ſe; quia Pontifex ſupremam habet poteſtatem in Eccleſias & jura ſpiritualia omnia. Pars 2. liquet ex *c. 3. h. t.* ubi fundatoribus. ex *c. 25.* ubi conſtructoribus Eccleſiæ. & Trid. *ſ. 14. c. 12. de ref.* ubi dotantibus tribuitur jus patronatûs. Denique ex *ſ. 25. c. 9. cit.* ubi aſſeritur, jus patronatûs oriri ex fundatione, vel dotatione. Quæ tamen omnia fieri debent cum auctoritate Epiſcopi, & cum effectu, ut Eccleſia ex non eſſe perveniat ad eſſe. Ex quibus infertur, disjunctivè & ſeparatim ſufficere vel fundationem, vel conſtructionem, vel dotationem Eccleſiæ: proin, ſi plures concurrant, ita ut unus fundet, alter ædificet, & tertius dotet, omnes fieri patronos in ſolidum. 4

Quare, si omnes & singuli præsentent, & quidem diversos, instituendus est ille, qui plura tulit vota: si nullus cum altero conspiravit, & præsentati æquales sunt in votis, ille, qui habet jus instituendi, potest (ex præsentatis tamen) instituere, quem voluerit, deberet tamen assumere digniorem. *c. 3. h. t.* Rectè autem facerent tales patroni, si in præsentando mutarent vices, v. g. si primâ vacaturâ beneficii præsentaret fundator, alterâ constructor, tertiâ dotator. *Clem. 2. eod.* Porro *fundare* dicitur Ecclesiam, qui fundum sive solum dat; *construere*, qui sumptus suppeditat ad ædificandam, vel, si penitus destructa fuerit, ad restaurandam: *dotare*, qui Ecclesiæ constructæ vel construendæ assignat reditus annuos, ad celebranda Divina & Ministrorum congruam sustentationem sufficientes. Pro *dotante* pariter habetur, qui priori dote penitus amissa Ecclesiam dotat de novo, non autem ille, qui prima dote adhuc existante novas adjicit divitias, etsi majores; sicut ille non habetur pro *construente*, qui Ecclesiam ruinosam (non omnino collapsam) solùm reparat, licèt successivè totam. Interim tamen opus est, ut moneatur priùs constructor, vel dotatur primus, an non ipse reædificare, vel de novo dotare velit. De reliquo ad consecutionem juris patronatûs ex fundatione, constructione, vel dotatione, non requiritur expressa reservatio juris patronatûs, modò fundans &c. illud non expresse remittat, vel tacitè per actum contrarium, ut habet communis contra Zœsium, quia ipsum Jus jam illud indulget in remunerationem. per *c. 41. de testib.* Aliud est de fundantibus, construentibus, dotantibus Ecclesiam

Col-

Collegiatam seu Conventualem; ut enim talis Ecclesiæ Prælatum, qui de Jure deberet eligi, præsentare possint, id sibi specialiter reservare debent cum consensu Pontificis, vel fors etiam Episcopi, quo modo quidam Principes obtinuerunt jus etiam Episcopos præsentandi vel nominandi. Pars 3. sumitur ex *c. 26. de V. S.* & Trid. *c. 9. cit.* ubi insuper habetur, quòd probatio temporis immemorialis alia non sufficiat, nisi præter reliqua requisita authenticis scripturis probentur præsentationes continuatæ saltem per 50. annos, quæ omnes effectum sortitæ sint.

§

Dico 3. Jus patronatûs, jam semel acquisitum, in alios transfertur his modis. 1. Successione hæreditaria. 2. Donatione. 3. Permutatione. 4. Venditione, sed suô modô. 5. Præscriptione. 6. Possessione vel usufructu, vel dominio bonorum, quibus jus patronatûs reale est annexum, legitimè acquisitô. Pars 1. liquet ex *c. 1. 3. h. t. & Clem. cit.* Pars 2. ex *c. 8. & 14. eod.* Pars 3. ex *can. 40. caus. 16. q. 7.* ut autem caveatur Simonia, permutari debet cum alia re spirituali, & cum consensu Episcopi: jus tamen patronatûs reale commutari potest cum re temporali, modo pro dicto jure non petatur vel accipiatur aliquid temporale. Dein notandum, quòd jus patronatûs personale *permutatione* transferri nequeat in Laicum, vel Clericum privatum, sine consensu Episcopi: sicut sine dicto consensu nec *donatione. c. un. h. t. in 6.* ubi corrigitur *c. 17. x. eod.* in quo idem consensus requirebatur etiam in casu, quo donatio fieret in communitatem Ecclesiasticam vel Religiosam. Pars 4. ex *c. 7. eod.* Siquidem tali casu, quo ven-

ditur jus patronatûs reale, non censetur propriè *vendi* ipsum hoc jus, sed *transire* cum prædio, vel bonorum universitate; modò non taxetur, & in contractum non veniat conjunctivè, ita ut propter illud augeatur pretium: si enim hoc contingeret, committeretur Simonia, pretium amitteretur, & Ecclesia ipso Jure evaderet libera extincto patronatu. Trid. *ſ. 25. c. 9. de ref.* Pars 5. ex Legibus præscriptionum, quæ diversa exigunt tempora pro diversitate eorum, contra quos currit præscriptio, majus, si contra Ecclesiam, minus, si contra privatos tendat. Nec Laici incapaces sunt præscribendi, quia ad possidendum jus patronatûs sunt generaliter habilitati. Pars 6. suadetur indè, quia patronatus & præsentatio pertinere censetur ad fructus rei: fructus autem debentur bonæ fidei possessori, ac usumfructum vel dominium utile obtinenti, ac in specie patronatus. *c. 7. cit.* Unde, quia conductor rei (saltem ad longum tempus, non minus decenniô) habetur pro possessore. *l. 1. §. 5. ff. de superficieb.* & quia usufructuario, item emphytevtæ, ac vasallo, fructus vel dominium utile, cui annexum est, competunt, ad hos transferri contingit jus patronatûs: non verò ad creditorem per hypothecationem; quia per hanc nec dominium, nec possessio, nec usus pignoris acquiritur.

6 Dico 4. Præsentatio, quæ est usus juris patronatûs, ad beneficium patronatum debet ita attendi ab instituente, ut, si inscio, vel contradicente Patrono conferat alicui beneficium, vel alteri, quàm qui est præsentatus, collatio sit nulla. *can. 32. cauſ. 16. q. 7. c. 14. 18. 29. h. t.* Quare, dum

in

in *c. 8. eod.* talis præsentatio dicitur *irritanda*, hoc verbum, ut consonet aliis Juribus, debet explicari, ut sensus sit, *declaranda ut irrita*. Si tamen Patronus collationis, se præterito factæ, conscius intra tempus, ad præsentandum sibi concessum, non reclamaret,, censeretur consentire, & nullitas sanari. Interim Episcopus, cujus fuisset instituere præsentatum idoneum, compellendus est ad providendum illi de competenti beneficio, *c. 29. h. t.* quia jam consecutus fuerat jus ad rem.

Dico 5. Præsentatio indigni est invalida. 2. minùs digni autem, est illicita, saltem ad Beneficium Curatum. Pars prior desumitur ex *c. 15. h. t.* Posterior ex Trid. *s. 24. c. 1. & 18. de ref.* & confirmatur ex Jure Naturali, quod exigit, ut meliori quo fieri potest, consulatur animarum saluti, & & avertatur periculum, quod ipsis imminere facilè potest, si ad Beneficia Curata promoveatur minùs dignus, saltem si notabiliter sit minùs dignus. Unde, licèt consuetudo, qua passim præsentantur simpliciter digni & idonei, derogare potuerit Tridentino, Juri tamen naturali derogare nequit. Quapropter patroni graviter vel leviter peccant præsentando minùs dignum ad Beneficium Curatum, prout grave vel leve animabus & Ecclesiis indè periculum imminere apparuerit. Quòd autem præsentatio minùs digni, & tantùm simpliciter idonei, non sit invalida, patet ex Trid. *s. 7. c. 3. & 13.* item ex eo, quia nullibi reperitur irritata. Per *digniorem* intelligo illum, qui pensatis omnibus judicatur fore utilior Ecclesiæ, & animarum saluti procurandæ. Per *dignum* verò, 7

qui

qui habet qualitates ad Beneficium requisitas, de quibus egimus *l. I. tit. 14. de ætate & qualit. &c.*

8 Dico 6, Quilibet Patronus, etiam Ecclesiasticus, potest præsentare simul plures. 2. Plures autem successivè solus Patronus Laicus, seu hic potest variare, ita tamen, ut priùs præsentatum non ampliùs revocet. 3. Si autem plures sint præsentati, tenetur Episcopus instituere digniorem ex præsentatis. 4. Si verò sint æqualis dignitatis, potest instituete, quem voluerit. 5. Nullus autem patronus præsentare se ipsum permittitur. Pars 1. probatur negativè; quia nullibi prohibetur simultanea plurium præsentatio. Pars 2. ex *c. 24. & 29. h. t.* ubi variatio permittitur Patrono Laico, negatur Ecclesiastico. Notandum tamen, quòd primus, à Laico præsentatus, non debeat jam esse institutus. *c. 24. cit.* Porro neque Laico variare licet, si habeat compatronum Ecclesiasticum sibi concordem; quia patronus Ecclesiasticus, utpote absolutè prohibitus, nec in societate patroni Laici variare potest, consequenter ille, in quem uterque conspiravit, semper habebit vota majora, nimirum duo, alius autem vel alii, quem vel quos postea superadderet Patronus Laicus, singuli non haberent nisi unicum votum. Pars 3. ex *c. 3. h. t.* Trid. *d. c. 18.* Si tamen Eiscopus eligeret minùs dignum, valeret institutio. per *c. 29. cit.* scilicet ad amputandas lites. Pars 4. ex *c. 3. c. 24. h. t.* sed hic adverte discrimen inter casum, quo idem patronus plures vel simul successivè præsentat, & inter casum, quo diversi patroni præsentant plures æquè idoneos: in priori tenetur Episcopus aliquem ex præsentatis eligere, quem voluerit: in posterioni

pro-

probabiliter non tenetur, si intra tempus præsentationi præfixum non consipirent in unum plura & majora vota. per *d. c. 3.* Jo. Andr. & Pirhing contra Panorm. ubi enim vota sunt paria, & æqualis dignitas, nullus ex præsentatis videtur jus acquirere, etiam dignitatis tantùm. Pars 5. ex *c. 26. h. t. & c. fin. de Instit.*

Dico 7. Tempus à Jure præfixum respectu Patroni Laici sunt 4. menses, & respectu Ecclesiastici sunt 6. menses, computandi ab hora, qua cognoverunt vacationem Beneficii, non obstante, quòd Patroni ob controversiam super jure præsentandi, intra dictum tempus non finitam, habuerint impedimentum. *c. 3. 22. 27. h. t. c. un. eod. in 6. c. 5. de conceff. Præb.* Qua ratione quasi compensatur Patrono Ecclesiastico in tempore, quod ipsi negatur in variatione, soli Patrono Laico concessa. Si proin intra dictum tempus non præsentent Patroni, vel, si plures sint, non consipirent, Beneficium pro illa vice fit liberæ collationis ab Episcopo, vel alio, cujus fuisset instituere præsentatum, faciendæ. *c. 3. cit.* nisi probaverint impedimentum, v g. absentiæ, ignorantiæ &c. vel nisi præsentatio jam facta caruisset effectu independenter à Patrono, ut si præsentatus non acceptâsset, aut renuntiâsset præsentationi, aut hæc ex occulto defectu fuisset nulla &c. tunc enim Patrono inciperet novum tempus, & quidem totum. *arg. c. 26. de Elect. in 6.* Si tamen Patronus Ecclesiasticus *scienter* præsentâsset indignum, seu laborantem defectu nullitatem inducente, ajunt passim, illum pro ea vice privari jure præsentandi, non item Patronum Laicum. Examen super idoneitate 9

præ-

præsentati semper pertinet ad Episcopum, licèt fortè institutio pertineat ad alium. Trid. *s. 25. c. 9. de ref.* De reliquo, si Laicus habeat compatronum Ecclesiasticum, etiam ipsi indulgentur 6. menses; quia æquum est, ut in causa individua privilegiatus, si altero sit dignior, trahat secum non-privilegiatum. *arg. l. 10. ff. quemad. servit. amitt.*

10 Dico 8. Jus patronatûs amittitur vel sine-vel cum delicto. *Sine delicto.* 1. Totali destructione Ecclesiæ, item interitu dotis respectu dotantis, 2. Extinctione familiæ, si est familiare seu gentilitium, certæ familiæ reservatum. 3. Voluntaria cessione expressâ, imò & tacitâ, ut si Patronus patiatur Ecclesiam Patronatam converti in Collegiatam absque sui juris reservatione. 4. Unione accessoria Beneficii aut Ecclesiæ patronatæ ad Beneficium vel Ecclesiam liberam, vel ad Monasterium. 5. Non-usu per viam præscriptionis, modò interea intervenerint saltem duæ collationes beneficii liberæ. 6. Suppressione, vel revocatione juris patronatûs à Pontifice facta, quam tamen facere non solet, nec unquam censetur velle in patronatu Laico, ortum habente ex fundatione &c. nisi id clarè exprimat. *Cum delicto* autem 1. si Patronus fiat apostata à tota Fide Christiana. 2. Si committat crimen læsæ Majestatis vel aliud enorme, quod inducit confiscationem bonorum: & tunc, si jus patronatûs est reale, amittitur ipso facto: si personale, per sententiam privatoriam. 3. Si patronus occidat vel mutilet Rectorem, aut alium Clericum suæ Ecclesiæ patronatæ. *c. 12. de pœn.* 4. Si se ingerat in perceptione fructuum beneficii, eos sibi applicando,

tando, vel, ne ad Beneficiatum perveniant, impediendo. Trid. *ſ. 25. c. 9. cit.* §. Si vendere, vel alio illicito modo contra Canonicas ſanctiones in alium transferre præſumat jus patronatûs. Trid. *lo. cit.* Circa hunc amittendi modum notanda ſunt adhuc duo, 1. quòd ſolus delinquens amittat non ejus ſucceſſores, ab ipſo fundatore ſpecialiter vocati, neque compatroni innocentes. 2. Quod nec delinquens amittat absque ſententia declaratoria criminis, licèt Jus dicat amitti ipſo facto; quia pœnæ privativæ non incurruntur absque omni ſententia.

Juri patronatûs admodum vicinæ ſunt *Pri-* 11
mæ Preces Imperatoris. Unde quæres, quid ſint *Primæ* (vel *Primariæ*) *Preces*, quousque ſe extendant? R. ad 1. Sunt *jus nominandi perſonam de Jure Communi, & vi Fundationis, habilem ad Beneficia vacantia vel vacatura in Eccleſiis Romano-Germanici Imperii, ab Ordinario, vel alio, ad quem pertinet aliàs collatio, admittendam intra menſem, Imperatori vel Regi Romanorum recèns electo conceſſum ex privilegio Pontificis.* Vocantur *Primæ*, quia ſunt prima Imperatoris petitio, & unica, non iteranda in una eadémque Eccleſia: item *Primariæ*, quia hæc petitio præferenda eſt cuique alteri nominationi, præſentationi, collationi &c. modò nominatus intra menſem à notitia vacationis beneficii ſuam nominationem inſinuet collatori. Ultimis verbis, *conceſſum ex privilegio Pontificis*, acriter ſe opponunt Hæretici, Primas Preces inter Regalia Imperatoria referentes, & Imperatori per ſe ex jure Majeſtatis competere aſſerentes. Sed fortiter

titer & constanter reclamant Catholici, utique in hac materia longe præferendi, qui originem Primarum Precum, licèt sint antiquissimæ, tribuunt indulto, gratiæ, & concessioni Sedis Apostolicæ, ut evidenter patet tum ex diplomatis variorum Pontificum Nicol. V. Innoc. VIII. Clem. VII. Pii IV. Gregor. XIII. Pauli V. Urbani VIII. & Innoc. X. non antè hoc jus imperatoribus indulgentium, quam ille Sedi Apostolicæ se devoverit tanquam Advocatum per *Legatum Obedientiæ*, & de novo hoc jus petierit, tum ex usu ipso Imperatorum, etiam moderni glorioſissimi regnantis Caroli VI. qui omnes petierunt de novo, ferè unicô Josephô I. exceptô, cujus etiam Primas Preces propterea cassavit Pontifex, non antè confirmavit, quàm is moriens etiam in hoc piissimè se submiserit Apostolicæ Sedi, Vide Oligenium *de Primis Precibus*.

12 R. ad 2. Extendunt se generaliter ad omnia Beneficia cum-vel sine Cura, Dignitates, Personatus, Canonicatus &c. (quamvis in Praxi ferè ad hos tantùm nominare Imperatores videamus) non obstante, quòd Pontifici sint reservata Beneficia, vel alternativè subjecta, nec obstante jure patronatûs *Ecclesiastici* penes alium residente, neque *turno*, ut vocant, neque devolutione ad inferiorem Pontifice, neque resignatione libera in manus Ordinarii, ut patet ex *Indulto Primarum Precum*, & ibi Chockier, à Paulo V. concessarum Ferdinando II. Primis tamen Precibus non subjacent Dignitates Pontificales, Pontificalibus proximæ in Cathedralibus, & Principales seu Primæ in Collegiatis Ecclesiis, Beneficia Regularia,

Liti-

Litigiosa, Manualia & impropriè dicta, perpetuò incorporata Dignitati, Collegio &c. item quæ sunt juris patronatûs Laici, vel ad Sedem Apostolicam devoluta, aut vacant ex causa permutationis, vel in favorem tertii sunt resignata, insuper Monocularia, seu quando Collator hoc unum duntaxat Beneficium habet conferendum; imò collatores, nisi conferre possint saltem 4. Beneficia in Imperio Romano, non tenentur admittere Preces Imperiales, ut notant DD.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus & Procuratoribus.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Quid sit Census, Exactio, & Procuratio.*
4. *Quis imponere possit Ecclesiis aut Beneficiis Censum.*
5. *Quinam teneantur ad solvendum* Cathedraticum *seu* Synodaticum: *& quinam ad* Subsidium Charitativum *seu* Donum gratuitum.
6. *Quinam ad Procurationes,*

Census in genere nihil est aliud, quàm pensio, quæ in certa quantitate ex quacunque causa annuatim præstatur alteri: sub qua ratione comprehendit etiam *Tributa* Sæcu- 1

laribus Principibus solvenda. Quatenus verò Cen-
sus denotat certam partem fructuum, quos a-
quis emit ex re vel industria alterius annuati-
sibi pendendos, huc non pertinet, sed examinat-
ad *Tit. de Usuris in libro V.* Hoc autem loc-
Census sumitur pro *pensione annua ex proventib-
Ecclesiasticis solvenda* vel Episcopis in signum sub-
jectionis, vel Patronis in recognitionem fund-
tionis, vel alis ex justa causa. Dividitur in *An-
quum*, qui vel statim initio & tempore fundatio-
nis, consecrationis, exemptionis, Ecclesiæ vel Be-
neficio est impositus velut onus reale, vel ipso jur-
debetur, uti *Cathedraticum*, alio nomine *Synod-
ticum*, eò quòd olim in Synodis Diœcesanis soli-
consueverit, quòd ex reditibus Ecclesiæ singul-
annis de Jure solvendum est Episcopo partim i-
signum subjectionis, partim in honorem Cathe-
dralis Ecclesiæ, ac de Jure scripto excedere no-
deberet duos solidos seu aureos. *can. 1. caus. 1-
q. 3.* Et in *Novum*, qui primùm ex postfacto im-
ponitur ab homine. Uterque vel est *Perpetuus*,
vel *Temporalis*, v. g. ad certos annos.

2 *Exactio* in genere est id, quod Principes vel
Superiores, Ecclesiastici aut Sæculares, à subditis
exigunt extra Ordinem, non stabiliter & singulis
annis, per quod differt à censu vel tributo, uti
sunt collectæ, steuræ, contributiones, tallia, pe-
dagia, vectigalia &c. *c. 5. c. 6. §. 2. h. t.* Sed in hoc
loco significat *pensionem, qua extraordinarie ab
Episcopis ex justa causa exigitur de reditibus Eccle-
siasticis*, uti est *Subsidium Charitativum*, seu pen-
sio moderata, quam ex causa manifesta, v. g. si
magni sumptus sint faciendi in confirmatione vel

con-

consecratione Episcopi (& tunc vocatur Inful- und Weyh-Steuer) si reparanda sit fabrica Ecclesiæ Cathedralis, vel ejus debita solvenda, vel magnæ expensæ pro juribus Ecclesiæ defendendis sint necessariæ, postulat Episcopus à subditis cum charitate, solvendam tamen ex obligatione, quia & charitas obligat. *c. 6. §. 2. cit. c. 18. inf. eod.* Appellatur etiam *Donum gratuitum.* Extra hunc casum prohibentur Episcopi suos subditos exactionibus gravare. *c. 6. cit.* Huc referri potest contributio illa, quam Trid. *s. 23. c. 18. de ref.* ad tempus solvi præcipit in erectionem & conservationem *Seminarii* ad exactionem & determinationem Episcoporum.

Procuratio in præsenti denotat sumptus & 3
expensas, quibus Episcopi, vel alii eorum loco, actualiter visitantes Diœcesim vel Ecclesias, indigent pro competenti & moderata sustentatione, solvendas ex reditibus Ecclesiasticis, non obstante, quòd Episcopus aliunde habeat largos reditus. Sustentatio hæc comprehendit victum & habitationem Visitatoris, honesti comitatûs, atque equorum necessariorum.

Dico 1. *Censum* antiquum, etiam perpetuum, 4
Ecclesiis vel Beneficiis imponere potest Papa: Episcopus autem tempore fundationis, dotationis, vel consecrationis; postea verò non nisi in utilitatem alterius Ecclesiæ vel Loci Religiosi cum justa causa: Patronus verò, etiam in suum commodum, in limine fundationis cum consensu Episcopi. 2. Censum novum verò ac perpetuum nemo, nisi Papa, vel antiquum augere, adeòque nec Episcopus saltem in suæ vel Capituli

mensæ utilitatem. 3. Licèt possit censum nō-vum temporalem, seu pensionem alteri solven-dam, ex justa causa. Pars 1. ferè certa est ex *c. 2. de Præb. in 6. pr. c. 23. de Jur. patr. c. 7. 16. 21. h. t.* Pars 2. ex *c. 3. & 7. eod. Clem. 1. §. eâdem quoque de suppl. neglig. & c. 9. de his, quæ fiunt à Præl.* Excipitur tamen casus, quo Epis-copus cum consensu Capituli & Superioris au-thoritate ex justa causa remittit Ecclesiæ sibi sub-jectæ jura Episcopalia, seu illam à sua jurisdictio-ne eximit. *c. 6. de Relig. dom.* Pars 3. ex dictis ad *tit. XII. ut Eccl. Benef. n. 3.*

§ Dico 2. *Cathedraticum* debetur Episcopo ab omnibus Ecclesiis, Beneficiis, Capellis, & Paro-chiis. 2. Probabiliter etiam à Capellis seu Paro-chiis pleno jure unitis Monasterio, dissentiente P. König *h. t. n. 10.* Item 3. *Subsidium Charitati-vum* eidem Episcopo, vel, Sede Vacante, Capi-tulo licet exigere ab omnibus Clericis Beneficia-tis, reditus Beneficiales ultra congruam susten-tationem habentibus. 4. Quin & Regularibus Beneficia vel Ecclesias sæculares obtinentibus. 5. Ab utroque tamen exempta sunt Monasteria ipsa, etiam à jurisdictione Episcopi aliàs non exempta. Pars 1. & 2. sumitur ex *c. 16. de Off. Ord.* quod Episcopo adjudicat *jura Episcopalia*, ac in specie *duos solidos nomine Synodatici seu Ca-thedratici* ab Ecclesiis seu *capellis ad Monasterium ipsum spectantibus.* Consonat. *c. 12. de Præb. & Clem. 1. h. t.* nisi nimirum hæ capellæ liberentur privilegiô, conventione, ac forsan etiam præ-scriptione 40. annorum. per *c. 4. de Præscript.* & ibi DD. Pars 3. ex *c. 6. §. prohibemus h. t. &*

16.

16. cit. Quòd autem restrictonem fecerim ad Beneficiatos ultra congruam percipientes, ratio est, quia hoc subsidium est onus mixtum, Clericorum personas obligans intuitu fructuum, quos percipiunt. Pars 4. ex *citt. c. 12. 16. & Clem. 1.* Pars 5. ex *can. 8. caus. 10. q. 3. can. 34. caus. 16. q. 1. & c. 1. de Statu Monach.* ubi omnia Monasteria indistinctè eximuntur à Cathedratico, & à tota lege diœcesana, vi cujus tales exactiones Cathedratici, & Subsidii charitativi, fiunt. DD. plerique & ferè omnes.

Dico 3. *Procurationes* solvere tenentur Ecclesiæ omnes, tam Regulares quàm Sæculares, quæ & quando visitantur. *c. 14. & 23. h. t.* Trid. *s. 24. c. 3. de ref.* Excipiuntur tamen Oratoria privata. *c. fin. h. t.* Ecclesiæ pauperes, reditibus ad eas solvendas sufficientibus destitutæ, hospitalia & loca pia pro pauperibus ac infirmis deputata. per *c. 11. de rescr. in 6. §. insuper. Clem. quia contingit. de Relig. dom.* Et quas Ecclesias eximit speciale privilegium, vel consuetudo. *c. 17. h. t. Trid. lo. cit.* vel præscriptio immemorialis; alia enim præscriptio non sufficit. per *c. 17. cit. c. 11. & 16. de Præscript.* Ipsi autem visitationi, nisi simul præscribatur exemptio, ne quidem tempore immemoriali præscribitur. per *c. 16. cit.* Ne verò hæ procurationes nimis gravent Ecclesias, cautum est, ut sint moderatæ, & ut Ecclesiis liberum sit vel victualia visitatoribus in natura suppeditare, vel eorum loco pecunias: ut nec visitator, nec ejus comites aliquid ultrà etiam sponte oblatum, licitè & validè possint accipere: ut ultra unam procurationem non accipiant pro 6

uno die, licèt eodem die plures visitent Ecclesias, sicut plures eodem die visitare debent, si commodè possint; quæ proin sumptus inter se partientur. *c. 23. h. t. c. 2. 3. eod. in 6.* Trid. *lo. cit.*

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid sit Ecclesia, Altare, Consecratio, Benedictio, Execratio, Pollutio Ecclesiæ &c. quæ res consecrari vel benedici debeant.*
3. *Ad quem pertineat Consecratio, & Benedictio.*
4. *Quando Ecclesia, vel altare censeatur execrata, ut opus sit nova Consecratione.*
5. *Quando Ecclesia, vel Cœmeterium pollui, ut opus sit Reconciliatione.*
6. *A quo hæc fieri debeat vel possit.*

1 PEr *Ecclesiam* hìc intelligitur ædes sacra, in qua fideles congregantur ad interessendum rei Divinæ, & ad percipienda Sacramenta. Per *Altare* autem lapis ad sacrificandum ordinatus & consecratus: quod aliud est *fixum* seu immobile, h. e. certo loco tanquam basi affixum, cujus saltem superior pars, seu mensa, debet esse lapidea: & aliud *portatile*, seu *mobile* aut *viaticum*, quod moveri & ab uno loco in alium trans-

transferri potest, cujus quoque superior pars debet esse lapidea, ac tantæ capacitatis, ut calicem ac patenam capiat. *Consecratio* verò est *dedicatio Ecclesiæ vel altaris facta DEO à legitimo Ministro, debitâ materiâ* (quæ est oleum & chrisma) *formâ, & intentione Ministri interveniente.* Differt à *Benedictione* per hoc præcipuè, quod ista non fiat per inunctionem olei aut chrismatis, sed per aspersionem aquæ lustralis & certas preces. Præter Ecclesiam & Altaria debent quoque *consecrari* Calices & Patenæ, ad sacrificandum destinatæ: *benedici* autem *Cœmeterium*, quod est locus ad sepulturam fidelium auctoritate Episcopi deputatus: item *Paramenta* sacra seu vestes, quæ adhibentur in sacrificio, utî *Amictus* seu *Humerale*, *Alba, Cingulum, Stola, Manipulus, Casula*, item *Corporale, Purificatorium, Mappa, & Palla*, qua tegitur Calix. Porro licèt Ecclesia (vel Altare) semel validè consecrata, reconsecrari nec possit nec debeat. *can. 3. d. 68.* Si tamen aliquid fiat, per quod in morali æstimatione censetur amitti consecratio, dicitur Ecclesia, Altare, Calix, Patena *execrari*, &, si non penitus destruatur, de novo consecrari debet, ut si amittant formam suam, aut notabiliter frangantur. Si verò aliquid contingat, per quod Ecclesia vel Cœmeterium censetur *pollui* seu *violari*, indiget *Reconciliatione*, ita ut, antequam hæc fiat, ibi celebrari Divina, aut sepeliri fidelis, sine peccato mortali non possit. Sed & Paramenta sacra suam benedictionem amittunt tunc, quando suam formam amittunt, vel inepta redduntur ad usum, ad quem ordinata sunt, ut si ex Stola fiat Manipulus, vel Alba, Humerale &c.

ita lacerentur, ut ad sacrum usum deservire nequeant. Si tamen ad reparandas vestes assuta sit materia minoris quantitatis parti residuæ majori, non opus est nova benedictione, sed pars minor participat benedictionem majoris. *arg. c. 3. h. t.*

2 Dico 1. Quamvis necesse non sit, ut Ecclesia, ut in ea liceat celebrare Divina, priùs consecretur, sed sufficiat, si priùs benedicatur, vel saltem ad publicum DEI cultum deputetur ab Episcopo ita, ut ad usus profanos non ampliùs convertatur. 2. Necesse tamen est, ut Altare consecretur. 3. Item Calix, & Patena, antequam adhibeantur ad usum Missæ. 4. Pariter benedictio Paramentorum debet præcedere. 5. Atque Cœmeterii, priusquam ibi sepeliantur fideles. Pars 1. quam tenet communis cum Barbosa *l. 2. J. E. U. c. 2.* Sumitur ex *can. 9. 14. 15. d. 1. de consecr.* quamvis, ubi commodè fieri potest, determinatè consecranda sit. Pars 2. ex *c. 1. h. t. & can. 25. d. cit.* Pars 3. ex communi Doctorum. Pars 4. ex *can 39. 40. 42. d. cit.* Pars 5. ex *c. 7. h. t.*

3 Quæres, ad quem pertineat hujusmodi Consecratio, & Benedictio? R. Ad Episcopum loci. *can. 4. d. 68. can. 25. d. cit. c. 1. de Relig. dom.* & quoad *Consecrationem* ita, ut ea simplici sacerdoti, & non-Episcopo, committi nequeat tamquam actus Ordinis Episcopalis, nisi per privilegium Summi Pontificis. *c. 9. h. t.* cujusmodi privilegium, saltem ex immemoriali consuetudine præsumptum, quoad Calices & patenas consecrandas obtinent Abbates & alii Prælati usum Mitræ & Baculi habentes. *Benedictionem* verò Ecclesiæ, Cœmeterii, Paramentorum &c. dele-

gare

gare potest Episcopus simplici sacerdoti. Palao *tr. 22. d. un. pu. 8. n. 2.* Et ex privilegio Summi Pontificis saltem pro suis Ecclesiis & ad suum usum defacto obtinent Abbates, & Superiores Mendicantium. *Compend. Privil. tum Minor. tum. Soc. Jes.* Item *declar. Cardd.* apud Gallemart *ad Trid. s. 23. c. 10. de ref. n. 1.* Imó Superiores Regulares saltem vi consuetudinis licitè benedicunt Paramenta etiam pro aliis Ecclesiis.

Dico 2. Ecclesia & Altare de novo consecrari 4
potest, vel debet, si execretur. Communis ex *can. 3. d. 68.* Ecclesia autem censetur *execrata*, quando corruit, vel destruitur ex toto, aut ex parte majori simul & semel, ac iterum restauratur: si verò non destruatur simul & semel, sed per partes successivè, ita tamen, ut semper major pars maneat, non censetur execrata, licèt successivè destruatur tota, & reparetur, quia semper pars minor adjecta majori in æstimatione morali reputatur consecrari per majorem veterem. *arg. c. 3. h.t. & c. un. eod in 6.* Altare autem censetur *execratum*, si mensa superior, sive lapis sit notabiliter fractus, vel ita destructus, ut in nulla sui parte calicem cum Patena, saltem quoad majorem partem, possit capere, vel si in Altari fixo lapis superpositus removeatur à basi seu inferiori structura. Porro execratâ Ecclesiâ non censentur execrata esse Altaria, quia hæc habent distinctam & specialem consecrationem, & execratio Ecclesiæ solos ferè parietes, ac eorum crustam exteriorem, in quibus fit consecratio, respicit.

Dico 3. Ecclesia, & Cœmeterium, si polluan- 5
tur, *reconciliari* debent, antequam ibi celebrare

liceat Divina, vel sepelire fideles. Censentur autem esse *polluta* 1. per homicidium, aut copiosam humani sanguinis ex vulnere effusionem graviter peccaminosam, eámque notoriam. 2. Per illicitam humani seminis effusionem, aut copulam carnalem, sed notoriam, ac in ipsa Ecclesia vel Cœmeterio factam. 3. Per sepulturam hominis non-baptizati (probabiliter non polluitur, si infans Christianorum nondum baptizatus ibidem sepeliatur) item per sepulturam hominis excommunicati non tolerati notoriam. Cæterùm pollutâ Ecclesiâ censentur etiam polluta Altaria, item Cœmeterium (non tamen viciſſim) si Ecclesiæ contiguum sit. *c. un. cit.* quia sunt accessoria, & minùs digna, atque pollutio totum Ecclesiæ corpus internum, in quo etiam sunt Altaria, afficit.

6 Quæres, à quo, & quomodo facienda sit hæc Reconciliatio? R. 1. Si solum Cœmeterium fuit pollutum, vel Ecclesia quidem, at nunquam consecrata, sed solùm benedicta, vel deputata ab Episcopo ad publicum DEI cultum, reconciliari potest à simplici sacerdote per aquam lustralem ordinariam, etiam non exspectatâ licentiâ Episcopi. per *c. fin. h. t.* R. 2. Si verò Ecclesia aliquando fuit consecrata, fieri debet ab Episcopo ipso. *c. 9. eod.* & quidem per aquam vino & cinere (imò & salè, ut addunt) mixtam, ac ab Episcopo benedictam *c. 4. eod.*

TITU.

TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officiis.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Eucharistia, Missa, Offcia Divina.*
2. *In quibus locis liceat celebrare Missam.*
3. *Quinam adstringantur ad recitandum Breviarium.*

EUcharistia & Sacrificium & Sacramentum 1
est; qua *Sacrificium* nihil est aliud, quàm *Missa*, quæ definitur esse *verum, sed incruentum, Sacrificium, in quo Christus ipse sub speciebus panis & vini, per consecrationem conversi in corpus & sanguinem ipsius, offertur æterno Patri in recognitionem supremi dominii, principaliter quidem ab ipso Christo, ministerialiter verò à sacerdote.* Unde patet, in Ecclesia DEI nihil sanctius & præstantius, nihil DEO gratius, ac hominibus salubrius, reperiri, quam Sacrificium Missæ. Quà *Sacramentum* verò definitur esse *Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animarum refectionem Divinitus institutum.* Conficitur per consecrationem Sacerdotis (in qua & essentia Sacrificii consistit) suscipitur autem, quando consecrata Hostia sumitur: extra quam sumptionem & actualem

usum

usum existit, asservatur in templis, & adoratur, utpote continens Christum cum Divinitate & Humanitate, Corpore & Sanguine, Per *Officia Divina* intelliguntur hìc *Horæ Canonicæ*, seu *Breviarium*, quod à certis personis quotidie vel decantari in Ecclesiis, vel recitari privatim debet tanquam certà formula precandi & laudandi DEUM ab Ecclesia præscripta.

2 Dico 1. Non licet, nisi in casu necessitatis, vel ex privilegio post Tridentinum obtento, celebrare Missam in locis non consecratis, vel benedictis, aut saltem deputatis ab Episcopo ad perpetuum DEI cultum, licèt adhibeatur Altare portatile. Patet ex *can. 1. 11. 12. 25. d. 1. de consecr. ex Decreto Trident. de observandis in Celebr. Missæ. sess. 22.* & *Constit.* speciali Clem. XI. die 15. Dec. 1703. etiam promulgata per Archiepiscopum Salisburgensem in diœcesibus suorum Suffraganeorum. Unde in privatis Domibus, & Oratoriis Sæcularium, dicto modo non præcisè dicatis ad DEI cultum, legere Missas non licet, etiam cum consensu Episcopi, quem dare prohibetur in *d. Const.* Clem XI. neque illis præsentes satisfaciunt præcepto Ecclesiæ audiendo Sacro. Interim tamen ex justa causa, v. g. gravis & diuturni morbi, probabiliter possunt adhuc Episcopi dare licentiam, ut in domo vel Camera privata infirmi pro ejus solatio super Altari portatili Missa celebrari valeat, ut cum Suar. Barb. Palao &c. docet P. Schmalzgrueber *tit. de Consecr. Eccl. n. 12.* contra Navar. & Azor, idquo declarat apud nos consuetudo. Præterea licitum quoque est in Oratoriis Religiosorum privatis, &

Capel-

Capellis domesticis à Superioribus ad Divinum duntaxat cultum deputatis, legere Missas, ita ut etiam præsentes satisfaciant præcepto de audiendo Sacro; quia censentur esse loca sacra, & Monasteria non sunt domus privatæ, imò veniunt etiam nomine Ecclesiæ. *c. 24. de sent. excom. in 6. & ibi gl.* Quin & in cameris & cellis, ubi v. g. decumbit infirmus, ut legantur Missæ, Superiores Regulares facultatem dare possunt, non tamen ita, ut Laici eis assistentes satisfaciant præcepto. Dixi, nisi *in casu necessitatis*, v. g. in bello pro exercitu, in longinqua peregrinatione per loca Infidelium, in concursu populi tanto, ut eum Ecclesia non capiat, vel in loco, ubi nulla est Ecclesia &c. licebit super Altari portatili etiam sub dio, vel in alio loco decenti, Missas legere non requisitâ licentiâ Episcopi. per *can. 1. & 30. d. 1. consecr.*

Dico 2. Ad Breviarium dicendum quotidie obligantur omnes Clerici in Sacris constituti. per *c. 1. & 9. h. t.* Item Beneficiati, licèt tenue habeant Beneficium, ut habet communis ex *c. 15. de Rescr. in 6.* Atque Religiosi Chorum professi secundùm suas Ordinationes & consuetudinem, Si *Beneficiati* hunc pensum Canonicum culpabiliter non persolvant, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata, seu respondentium illi diei, qua omittunt, faciendam Ecclesiæ vel pauperibus. *Concil. Lateran.* sub Leone X. *in Bull. Supernæ dispositionis* S. Pius V. in Bulla *Ex proximo.* Parochi tamen & Beneficiati Curati solùm obligantur restituere fructus, sibi obvenientes propter Breviarium, non omnes diei correspondentes, quia ipsis debentur fructus etiam propter alia 3

ministeria sacra, & curam animarum, non propter solum Breviarium. Engel *hic. n. 1. & 12.* ubi cum aliis putat, si portio redituum Parochialium unius diei essent 3. floreni, Parochum ob omissas Horas Canonicas omnes non nisi ad unum florenum restituendum obligari. Sed plura de Evchartstia, Missa, & Breviario petenda sunt à Theologis tum Speculativis & Polemicis, tum & maximè à Moralibus.

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus Effectu.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid & quotuplex sit Baptismus, an necessarius.*
3. *Quis ejus effectus.*

1 *Baptismus*, considerari solet triplex. 1. *Fluminis*, qui solus propriè Baptismus, & Sacramentum est, atque confertur per ablutionem aquæ, & verba, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* 2. *Flaminis*, qui non consistit in nudo desiderio baptismi, si quis se sciret non esse baptizatum &c. ut vulgus existimat; tale enim desiderium non justificat; sed in perfecta contritione, vel dilectione Dei super omnia, ubi Baptismus fluminis necdum realiter est perceptus; quia hujus votum includit. 3. *Sanguinis*, qui nihil est aliud, quàm Martyrium, quod sustinetur pro Fide, aut Christo, conferítque gratiam sanctificantem ex *opere operato*, seu

seu ex meritis Christi specialiter applicatis, uti Sacramenta.

Dico 1. Baptismus fluminis, seu propriè dictus, 2
in Catechismo Romano *p. 2. c. 2.* dicitur esse *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* h. e. Sacramentum novæ legis à Christo institutum, quod conficitur per exteriorem corporis ablutionem cum aqua elementari sub præscripta verborum forma, significante & causante gratiam, ac interiorem animæ ablutionem. Est omnibus simpliciter vel in re vel in voto ad salutem necessarius.

Dico 2. Effectus hujus baptismi sunt sequen- 3
tes. 1. Confert per se primam gratiam sanctificantem cum habitibus fidei, spei & charitatis. 2. Remittit peccatum originale, &, si adultus cum atttitione baptizetur, peccata etiam actualia, totúmque reatum pœnæ peccatis debitæ delet, non tamen pœnalitates. 3. Imprimit animæ characterem indelebilem. 4. Baptizatum efficit membrum, & subditum Ecclesiæ, cujus janua esse dicitur. *c. 3. h. t.* Conc. Florent. *in decreto fid.* Conc. Trid. *s. 5. can 5. s. 6. can. 14. de Justific. s. 7. can. 9. de Sacram. in genere. & s. 14. c. 2. de Pœnit.*

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

SUMMARIUM.

1. 2. *A non baptizato nec Ordo nec aliud Sacramentum validè recipitur.*

Cùm

1 Cùm Baptiſmus ſit fundamentum & janua reliquorum Sacramentorum. *c. 2. de cognat. ſpir. in 6.* Trid. *ſ. 14. c. 2. cit.* nemo capax eſt alterius Sacramenti ſuſcipiendi (etiam Evchariſtiæ, licèt conficiatur extra actualem ſuſceptionem, niſi materialiter tantùm) qui baptizatus non eſt, ideo.

2 Dico. Qui in presbyterum ordinatus eſt ante ſuſceptum baptiſmum, invalidè ordinatus eſt, & de novo poſt ſuſceptum baptiſmum ordinari debet. *c. 1. h. t.* præmiſſis quoque reliquis inferioribus Ordinibus. *c. 3. eod.* Cœterùm, ſiquis ex Chriſtianis parentibus natus, & inter Chriſtianos fideliter converſatus eſt, præſumptio Juris violenta Baptiſmi ſuſcepti inducitur. *c. 3. cit. in f.*

TITULUS XLIV.

De Cuſtodia Evchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.

SUMMARIUM.

1. 2. *Evchariſtia, Chriſma, & Sacramentalia quomodo aſſervanda.*

1 PEr *Evchariſtiam* hìc veniunt ſpecies panis Evchariſtici, ſub quibus latet Chriſtus cum Divinitate & Humanitate tota: per *chriſma* autem oleum balſamo mixtum ab Epiſcopo benedictum, quod à Parochis adhibendum eſt in Baptiſmo ſolenni, ſeu cum ceremoniis

niis ab Eccleſia præſcriptis collato: per *Sacramenta* denique Sacramentalia, quæ in confectione Sacramentorum adhibentur, maximè oleum tam catechumenorum pro Baptiſmo, quàm infirmorum pro Extrema Unctione.

Dico. Evchariſtia (utì & chriſma, ac olea ſacra) ſub fideli cuſtodia aſſerventur ſub clavibus, quas habeat Rector Eccleſiæ, & quidem in tabernaculo mundo ſine aliis rebus appoſitis, ac in Eccleſia parochiali, & cum lumine. Communis ex *c. 1. h. t.* 2. Oratoria, Vaſa, Corporalia, Purificatoria, & Veſtimenta ſacra conſerventur munda & nitida. 3. Profana autem ſupellectilia (extra caſum neceſſitatis) non reponantur in Eccleſiis. *c. 2. eod.* Notandum, ne contingat conſecratas ſpecies Evchariſticas corrumpi, ſæpius & ferè ſingulis ſeptimanis antiquas ſumi debere, & novas conſecrari. 2

TITULUS XLV.

De Reliquiis & Veneratione Sanctorum.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſint Reliquiæ & Veneratio, quinam Sancti dicantur vel Beati.*
2. *Quo pacto venerari liceat Sanctos, & Reliquias.*

Reliquiarum voce denotantur corpora Sanctorum, vel corporum partes, utì oſſa, carnes, dentes, capilli, cineres 1

&c. item Sanctorum veſtes, roſaria, aut alia Sanctorum uſu vel attactu ſacrata, pariter & inſtrumenta Martyrii, utì cruces, funes &c. quin & ſepulchra. *Sancti* autem hic dicuntur non illi, qui ſolùm cum opinione ſanctitatis, aut etiam miraculorum, ex hac vita deceſſerunt, ſed qui ab Eccleſia canonizati vel beatificati, ſeu in numerum *Sanctorum* vel *Beatorum* relati, & ſic publicæ venerationi expoſiti ſunt: Sancti ab omnibus, & omni cultûs Religioſi ſpecie, ac ubique. Beati autem cum reſtrictione ad certum cultum, v. g. per imaginem in Eccleſiâ appenſam, Breviarii recitationem, celebrationem Miſſæ, aut ſolùm pro certo loco aut genere perſonarum &c. concedi permittuntur publicè. *Veneratio* denique est cultus conveniens Sanctis aut Beatis tanquam DEI amicis, & vocatur cultus *duliæ* (& reſpectu B. Virg. MARIÆ cultus *hyperduliæ*) ad diſtinctionem cultûs *latriæ*, qui ſoli Deo competit, utì Sacrificium &c. Qui cultus duliæ, ſi exhibeatur nomine Eccleſiæ, tanquam ab ea inſtitutus, vocatur *publicus*, ſive in loco publico ſive in occulto deferatur: *privatus* autem, qui ex privata tantùm colentis devotione, v. g. per preces, jejunia &c. licèt fortè aliis videntibus & publico in loco exhibeatur. Hic cultus privatus etiam exhiberi licitè poteſt non-canonizatis, & non-beatificatis à Summo Pontifice, ad quem ſolùm id pertinet: non item publicus. Unde.

2 Dico. Prohibitum eſt cultu publico venerari aliquem, qui authoritate Romanæ Eccleſiæ inter Sanctos aut Beatos non eſt relatus. 2. Reliquias antiquas oſtendere extra capſam, aut venales exponere.

ponere- 3. Noviter inventas publicæ veneratio-
ni exponere absque Summi Pontificis approba-
tione; licèt sufficiat approbatio Episcopi in casu,
quo inveniuntur Reliquiæ cum scriptura vel in-
strumento publico, aut aliunde constet certò, eas
esse alicujus sancti antiquitus approbati. Haben-
tur hæc *c. 1. & 2. h. t.* Trid. *s. 25. in Decreto de Invocatione, Veneratione, Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus:* quod utiliter inspicies, utì
& meum *Cursum Theol. Polemicæ p. 2. controv. particul. 2. art. 2.*

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

SUMMARIUM.

1. *Jejunium & Abstinentia quid.*
2. *Quinam obligentur ad hanc, & ad illud.*
3. *Dispensatus ad esum carnium non tenetur abstinere ab altera refectione in eodem die.*
4. *Quantum liceat comedere in Collatiuncula Vespertina.*

JEjunium in genere est *abstinentia à cibis*, seu 1
parsimonia victûs in quantitate & qualitate. Est duplex: *Naturale*, quod consistit in abstinentia ab omni prorsus cibo & potu, per modum cibi aut potûs sumpto, atque hoc præcipitur ante sumptionem Evchariſtiæ. Et *Ecclesiasticum*, quod ab Ecclesia præscribitur secundùm certam formam. Si Ecclesia præcipiat præcisè

abstineri à certo ciborum genere, nimirum à carnibus, vocatur *Abstinentia:* si præter carnes vetet simul alteram in die refectionem, jubeátque una refectione integra in cibis esurialibus, seu à carne distinctis, sumpta esse contentos, appellatur strictè *Jejunium*, quod observari debet in Quadragesima, in angariis feria 4. 6. & sabbathò, in vigiliis Nativitatis, Pentecostes, SS. Apostolorum &c. Et hoc jejunium definitur esse *abstinentia à certo genere ciborum sub una refectione ad meridiem sumenda.* Cibi prohibiti sunt carnes, & quidquid in communi æstimatione habetur pro carnibus. *can. 7. 8. 11. d. 3. de consecr.* item pro Quadragesima etiam *lacticinia*, seu illi cibi, qui sementinam carnis originem trahunt. *can. fin. d. 4.* uti lac, butyrum, caseus, ova. Verùm ea ferè ubique in Germania permittuntur vi consuetudinis. Si comedantur carnes in notabili quantitate, peccatur graviter toties, quoties. Si adhibeatur altera refectio, etiam per plures comestiones modicas successivè constituentes integram & plenam refectionem, pariter peccatur mortaliter. Laym. *l. 4. Theol. Mor. tr. 8. c. 1. v. quartum.* Licitum tamen est sub vesperum sumere collatiunculam seu cœnulam moderatam ex recepta consuetudine, ex qua pariter pro refectione introductum est tempus meridianum seclusâ justâ causâ illud mutandi; nam olim in Quadragesima debebat sumi primùm ad solis occasum. Abstinentia ab altera refectione fundatur in *can. 50. d. 1. de consecr.* imò magis in traditione & consuetudine.

2. Dico 1. Quamvis abstinere à carnibus, Veneris, Sabbathi, & Jejuniorum diebus teneantur omnes

omnes Chriſtiani, ſeptimum ætatis annum egreſſi; quia præcepta Eccleſiæ per ſe comprehendunt omnes & ſolos ratione præditos Chriſtianos. 2. Abſtinere autem ab altera refectione, ſeu ad jejunium, illi ſoli, qui compleverunt 21. ætatis annum; ſic enim habet communis DD. ſenſus: niſi & iſti aliunde excuſentur, v. g. ex cauſa valetudinis, magni laboris corporalis, intenſi ſtudii, diſpenſationis &c. An verò ſexagenarii excuſentur, dubium eſt inter Auctores: probabiliter affirmant Portell, Jo. Sanch. Diana, Tambur. Burgh. & alii apud la Croix. *l. 3. p. 2. n. 1317.* allegantes auctoritatem Pii V. negant Azor, Leſſ. Tann. Filliuc. Layman &c.

Quæres, an, ſi cum aliquo in particulari, vel 3
cum integra cummunitate generaliter diſpenſetur ad eſum carnium in Quadrageſima, cenſeatur etiam diſpenſatum quoad ſecundam refectionem? R. cum Cajet. Azor, P. Wieſtner *h. n. 7.* affirmativè? quia per diſpenſationem ad eſum carnium tollitur ſubſtantia jejunii; & ruente principali ruit quoque acceſſorium. *c. 42. de R. J. in 6.* Ex quo ulteriùs infero, ſi in aliqua diœceſi permittitur eſus carnium generaliter, nec illos, qui diſpenſationem quoad carnes non acceptant, & cibis eſurialibus voluntariè veſcuntur, peccare contra jejunium, qui illis diebus, quibus permittitur eſus carnium, adhibent alteram refectionem in cibis eſurialibus; quia etiam quoad hos per diſpenſationem ſublata eſt ſubſtantia jejunii. Et planè abſurdum foret eos obligare ad abſtinendum ab altera refectione, qui ſponte aliquid obſervant de præcepto Eccleſiæ, abſtinendo à car-

nibus, non verò illos, qui nihil obſervant, & carnes comedunt. Nunquid talis, qui ſponte non comedit carnes, & quem tu vis obligare ad abſtinendum à ſecunda refectione in cibis eſurialibus, licitè mutat mentem, & dicit: afferte mihi carnes ad cœnandum? & tunc in his juxta te poteſt adhibere ſecundam refectionem: quare ergo non etiam in cibis eſurialibus:

4 Dico 2. *Quantitas* ciborum eſurialium, quæ in collatiuncula veſpertina licitè & absque omni peccato ſumitur, poteſt eſſe vel abſoluta reſpectu omnium, nempe media libra (quæ apud nos ſunt 8. unciæ) vel reſpectiva, nimirum reſpectu & proportione habita ad perſonas, quæ ampliori vel pauciori cibo indigent ad ſuam refectionem, ac à multis determinatur quarta pars juſti prandii. Utraque ſententia eſt verè probabilis, & tuta, traditúrque à multis Doctoribus. Quando autem exceditur, equidem peccatur, ſed non ſtatim graviter: quando verò grave contrahatur peccatum excedendo, plerique DD. non determinant. *Qualitas* verò ciborum, an nimirum calidi ſint vel frigidi, offa, vel piſces, vel fructus, vel placenta &c. juxta Azor, Bonac. Burghaber, Sporer, & alios non attenditur, quorum ſententiam practicè probabilem eſſe cenſeo (modò conſuetudo non repugnet) licèt 30. DD. apud Diana contradicant, qui tantùm permittunt leviores cibos, uti panem, fructus, bellaria, & pro more regionis caſeum.

)o(

TITU-

TITULUS XLVII.

De Purificatione post Partum.

SUMMARIUM.

1. *Lex Purificationis in quo consistat.*
2. *In Novo Testamento non stringit per se.*

LEx Ceremonialis Antiqui Testamenti erat, 1
ut fœminæ post partum maris 40. die-
bus, & post partum fœminæ 80. diebus
abstinere debuerint ab ingressu templi propter 1
immunditiam corporalem, quæ eo tempore cen-
sebatur perdurare. *Levit.* 12. quo finito offeren-
tes agnum anniculum, & pullum columbæ, vel
turturem (vel, ubi agnum offerre non poterant,
duos turtures, aut duos pullos columbarum) se
liberabant ab immunditia Legali, & redimebant
infantem in templo, si adhuc vixisset, DEO obla-
tum. Ad hujus Legis imitationem ordinavit Ec-
clesia, ut mulieres exemplo B. Virginis post par-
tum aliquot hebdomadibus in reverentiam Eccle-
siarum abstinerent ab harum ingressu, atque iis
elapsis *Purificationem* per certas ceremonias in-
stituerent, & à Parocho in Ecclesiam introduce-
rentur prævia benedictione, & cum aliqua obla-
tione. *c. un. b. t.*

Dico. hæc purificatio post partum in novo Te- 2
stamento non est de præcepto, sed de consilio.
c. un. cit. Nisi forsan consuetudo, quæ videtur esse
introducta cum opinione obligationis, obtineat
apud nes vim legis.

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

SUMMARIUM.

1. *Quid hic intelligatur per* Ecclesiam.
2. *Quid requiratur, ut ædificetur nova.*
3. *Quinam obligentur ad reparandam ruinosam &c.*

1 *Ecclesia* hic denotat ædem, in qua Fideles conveniunt non tantùm ad orandum, sed etiam ad audiendam Missam & Verbum DEI, atque ad percipiendc Sacramenta, Episcopi auctoritate constitutam, consecratam, vel benedictam. De hac inquirendum 1. quid requiratur ad novam Ecclesiam, maximè Parochialem, ædificandam. 2. & qui ad eam, si collapsa vel destructa vel ruinosa fuerit, reparandam sumptus conferre debeant.

2 Dico 1. Ut ædificetur Ecclesia nova, requiritur 1. Consensus & authoritas Episcopi, locum congruum designantis, ibíque crucem figentis, & primum lapidem ponentis; quæ tamen per substitutum quoque facere potest. 2. Competentis dotis, quæ sufficiat ad procuranda luminaria, sacrum ministerium, custodiam, & custodum stipendia, assignatio. 3. Absentia præjudicii alterius Ecclesiæ, præsertim Parochialis, nisi aliud exigat necessitas vel alia justa causa: quale tamen præjudicium esse non censetur concursus populi

ad

ad antiquiorem Ecclesiam fortè imminuendus. Textus & DD. *in c. fin. h. t. c. 8. de consecr. Eccl. c. 4. de privil. in 6. & can. 9. d. 1. de consecr.* Ut autem ædificetur nova Ecclesia *Parochialis* intra fines alterius Parochiæ, requiritur ulteriùs 1. præter authoritatem Episcopi etiam consensus Capituli. 2. Ut adsit justa ac specialis causa, qualis esse censetur magna difficultas Parochianorum, v. g. ob distantiam, interjacens flumen, &c. in adeunda Ecclesia Parochiali, vel periculum, ne quis decedat sine Sacramentis &c. 3. Ut saltem 10. familiæ adsint pro nova Parochia. 4. Ut audiatur Parochus antiquus, Patronus, & alii, quorum interest, licèt consensus eorum non fit absolutè necessarius. 5. Ut novæ Ecclesiæ statuatur tanta dos ex reditibus antiquæ Ecclesiæ seu Matris (salvâ tamen congruâ antiqui Parochi) vel aliunde, quanta sufficit ad sustentationem novi Parochi, ad luminaria, & ministeria sacra. 6. Ut antiquæ Ecclesiæ servetur competens honor, ab Episcopo determinandus, v. g. aliquis census annuus: Parocho autem antiquo, si dos ex ejus reditibus sit assignata, jus præsentandi novum Parochum. Trid. *s. 21, c. 4. de ref. c. 3. & fin. h. t.* & ibi DD. *c. 3. 9. de his, quæ fiunt à Præl. can. 3. caus. 10. q. 3. can. 9. cit.*

Dico 2. Ecclesia (maximè Parochialis: idem est de ædibus & domo Parochi) si collapsa fuerit vel destructa, vel ruinosa, reparari ac restaurari debet 1. ex reditibus ipsius Ecclesiæ, si habeat sufficientes pro fabrica & necessitatibus suis designatos. 2. His deficientibus ex toto, vel ex parte, saltem concurrere ad reparationem tenentur Beneficiati & Parochi, si habeant redundan- 3

tes ultra congruam sustentationem reditus ab Ecclesia, item Patroni, Decimatores, ac alii pro rata fructuum, quos quomodocunque ex tali Ecclesia provenientes percipiunt. 3. Si nec illi superfluos, nec isti ullos reditus ab Ecclesia percipiant, obligatio incumbit populo & parochianis Sacramenta aut alia Divina percipientibus in tali Ecclesia. Trid. *s. 21. c. 7. de ref. c. 1. 3. 4. h. t. cauſ. 10. can. 10. q. 1. & can. 1. ſeqq. q. 3.* Sed nota, antè prædictos obligari illos, qui vel ex conventione, vel statuto, vel consuetudine ad raparationem adstringuntur. Item observa, decimatores Laicales seu, qui Decimas penitus sæcularizatas percipiunt, sive sint Laici sive Clerici, secluſa consuetudine contraria probabiliùs non teneri concurrere. Nav. *de redit. Eccl. n. 5. 57.* & teste Zypæo *de Paroch. consult. 4. n. 2.* plerique DD. ex ratione, quia tales decimæ ab Ecclesia & officio spirituali avulsæ non ampliùs sunt proventus Ecclesiæ, sed bona merè temporalia, oneri bonorum & proventuum Ecclesiæ non ampliùs annexa, & habent se instar patrimonialium. Decet tamen, ut & isti ubi opus est, concurrant.

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & Rerum ad eas pertinentium.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex sit Immunitas Ecclesiastica.*

2. Im-

2. *Immunitas Asyli est introducta Jure Humano.*
3. *Quibus locis.*
4. *Et quibus personis concessa sit.*
5. *Recensentur crimina asylô privantia.*
6. *Quid recèns ordinaverit Benedictus XIII.*
7. *Quid requiratur ad extractionem asylô non gaudentis.*
8. *Pœna non debitô modô extrahentium.*
9. *Personæ Ecclesiasticæ ab oneribus personalibus.*
10. *Et Realibus ac Mixtis immunes sunt,*
11. 12. *Quæ Titulô jurisdictionis imponuntur, & de novo.*

IMmunitas in genere est exemptio ab oneribus publicis, seu aliàs communibus. Et hinc *Immunitas Ecclesiastica* est *jus seu exemptio, qua personæ, res, vel loca Ecclesiastica ab oneribus sæcularibus libera sunt*; siquidem triplex est. 1. *Personalis*, qua gaudent personæ Ecclesiasticæ, & maximè consistit in privilegio *Fori*, vi cujus ad forum & Judicem sæcularem trahi nequeunt, de quo ad *tit. 2. lib. II. de for. compet.* & in privilegio *Canonis*, vi cujus violentas manus Clerico injiciens excommunicatur, de quo ad *tit. 39. lib. V. de sent Excomm.* 2. *Realis*, qua gaudent Res Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, ita ut exactionibus Sæcularium non subjaceant, de qua in *hoc. tit.* 3. *Localis*, qua gaudent Ecclesiæ & Cœmeteria in tantum, ut actus profani, & locum sacrum decedentes in iis exerceri prohibeantur, & maximè, ut Rei confugientes ad illas sint securi, ac per violentiam indè abstrahi non 1

possint.

possint. Atquæ hæc vocatur propriè *Immunitas Ecclesiarum*, vel *jus Asyli*, vel *Asylia*, utpote introducta ad imitationem asyli Civitatibus Refugii in antiquo Testamento concessi. Et de hac pariter tractatur in *hoc titulo*, & quidem secundùm Rubricam primo loco. De qua proin.

2 Dico 1. Immunitas Asyli non est Jure Naturali, nec, in novo Testamento, Jure Divino introducta, sed tantùm Jure Ecclesiastico & Civili, scilicet in *can. 6. 8. 9. 35. 36. caus. 17. q. 4. & c. 6. 9. & c. h. t. & t. t. C. de his, qui ad Eccles. confug.* Regulata autem specialiter à Gregor. XIV. in *Const. Cùm aliàs* edita anno 1591. Quòd Juris Naturalis, & Divini in Lege Nova, non sit, probatur negativè. *Objic.* 1. Jus Naturæ dictat, Ecclesiis & locis sacris deberi reverentiam: ergo illuc se recipientes securitatis causâ non sunt indè avellendi. 2. Jus asyli in Antiqua Lege fuit Juris Divini. *Exod. 21. Num 35. Deut. 19.* Sed Ecclesia hoc Jus Divinum rursus instauravit in Nova Lege: ergo. R. ad 1. Natura quidem dictat, Ecclesiis deberi reverentiam in genere, non autem quoad modum determinatum, consistentem in hoc, ut scelerati in iis sint securi à debita punitione; aliàs in nullo casu exinde abstrahi violentè possent, quod nemo admittit. Dein non omne, quod lumen Naturæ dictat conveniens esse, utì dictat sceleratos, saltem aliquos, in Ecclesiis defendi, utì omnes Gentes agnoscunt, propterea, sub præceptum Juris Naturalis cadit. Ad 2. Ecclesia hanc Veteris Testamenti Legem *Judicialem* nec voluit nec potuit resuscitare, sed novam posuit

fuit ad imitationem antiquæ, sicut de Decimis solvendis dictum est ad *tit. de Decim.*

Dico 2. Ecclesiis omnibus, locisque sacris, 3
& Religiosis, seu authoritate Episcopi constitutis, competit privilegium & jus Asyli, uti sunt *Templa*, etiam nondum consecrata vel benedicta, etiam construi solùm cœpta, polluta quoque & interdicta, item Ecclesiæ atrium, & quidem ad 30. vel 40. usque passus (sed hæc distantia in Praxi non observatur) item *Cœmeterium* legitimè erectum, etiam templo non contiguum, *Monasteria* & domus Religiosorum, horti, areæ, ædes &c. intra septa Monasterii existentes, *Oratoria & Capellæ* Episcopi auctoritate Divino cultui in perpetuum deputatæ, etsi existant in privatis ædibus, *Hospitalia* auctoritate Episcopi erecta cum Altari ad celebrandum; *Tabernaculum*, in quo asservatur actu Evchariſtia, item *Palatia* Episcoporum. Ita communis ex *can. 6. seqq. can. 20. 21. 36. caus. 17. q. 4. c. 9. fin. h. t. c. 4. de Relig. dom. l. 3. C. de his, qui ad Eccl. l. 35. C. de Episc. & Cler.* Ratio est, quia hæc immunitas habenda est pro favorabili, utpote privilegium Principis, & quidem principaliter respiciens favorem publicum Religionis, consequenter latissimæ est interpretationis. per *c. 30. de privil. c. 16. de V. S. c. 15. de R. J. in 6. l. 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.* proin *Ecclesia* hoc loco latè accipi debet; consequenter ex eodem principio necesse non est, ut confuga in ipsam Ecclesiam &c. jam actu se receperit, sed sufficit, si januam v. g. jam apprehenderit.

Objic. 1. Immunitas Asyli impunitatem 4
præstat delictis, quæ Jus Naturale & Divinum pu-

puniri exigit, præbétque occasionem delinquendi: ergo est noxia Reipublicæ: ergo odiosa & strictæ interpretationis. 2. Bonum publicum exigit puniri scelera, & immunitas cedit in favorem privatorum: sed bonum publicum præferri debet, & magis est favorabile, quàm privatorum: ergo. R. ad 1. Jus Naturale & Divinum non exigit absolutè puniri omnia delicta ac semper, præsertim quando impunitas indulgetur intuitu Religionis & ex reverentia erga loca sacra, aliàs nec DEUS in antiquo testamento potuisset templo & altari aut civitatibus refugii asylum concedere. Nec Ecclesia omnes delinquentes protegit, utì videbimus, quos autem protegit, non omnino impunes esse præcipit, sed relinquit in salvo pœnas pecuniarias, infamiæ, proscriptionis, confiscationis bonorum &c. Si quidam sceleratì sumant indè occasionem audaciùs delinquendi, per accidens est, & retorquetur in immunitatem Veteris Testamenti ab ipso DEO inductæ. Nec Ecclesia intendit per se favere sceleratis, quibus per accidens obtingit favor, sed spectat reverentiam locis sacris debitam, dum concedit quibusdam in iis asylum. Ad 2. Bonum publicum etiam exigit, & magis, Ecclesias non violari per violentam ad eas confugientium extractionem, earúmque favor etiam est publicus, aliis præferendus, cùm *summa sit ratio, quæ facit pro Religione. l. 43. cit.* privatis hominibus directè & per se non intendit favere Legislator humanus per asylum Ecclesiis indultum.

4 Dico 3. Immunitate asyli gaudent omnes Christiani utriusque sexûs, qui confugiunt ad Eccle-

Ecclesias, rei alicujus criminis, quod mortem, mutilationem, aut pœnam æquivalentem, vel carcerem aut vincula promeretur, in ordine ad effectum, ut recipi debeant, & esse securi in sua persona, nisi nimirum rei sint criminis excepti, & asylô privantis. Iterum communis ex *l. 1. 6. C. de his, qui ad Eccles. c. 6. h. t. can. 36. & Const. Cùm aliàs Gregor. XIV. citt.* atque ex prætacta ratione, quia hæc immunitas est favorabilis, & latæ interpretationis. Dixi 1. *Christiani*; probabiliùs enim meô judiciô non gaudent Infideles, seu non-baptizati, utì Judæi, Pagani, Ethnici, nisi ad Ecclesiam confugiant animô seriô se convertendi ad Fidem Catholicam. per *l. 1. cit.* junctô *c. 6. cit.* ibi: juxta *sacrorum statuta Canonum, & traditiones Legum Civilium*: ergo Jus Canonicum approbavit legem Civilem allegatam, ubi excluduntur asylô Infideles, qui Baptismum *simulatè* petunt: ergo non, si seriò petant. Hæretici ob aliud, quàm hæreseos, crimen se recipientes ad locum sacrum pariter defenduntur. Dixi 2. *Omnes*, adeóque & excommunicati, etiam vitandi, personaliter interdicti &c. quia hoc privilegium est locale, non personale. Milites quoque desertores, qui jam reos se fecerunt actualis desertionis, & ad evitandam pœnam, vel capturam, se in locum sacrum recipiunt: si tamen necdum actualiter priùs deseruissent militiam, sed solùm ab ea liberare se, & subducere, intenderent confugiendo ad locum Religiosum, repeti à Ducibus possunt, & præstitô de impunitate (quod intelligo de non infligenda morte, vel æquivalente, vel alia valde gravi pœna) juramentô reddi debent: secus à Ducibus poterunt occupari.

arg.

arg. d. c. 6. in fine; quia milites personaliter sunt adstricti Ducibus, sicut servi Dominis, qui ab his aufugientes absque periculo, ne tradantur Judici ob grave delictum, non proteguntur ab Eccesia *l. 6. cit. §. 5.* Dixi 3. *Rei alicujus criminis &* Quò etiam referas debitores Civiles, si periculum sit, ne conjiciantur in vincula, vel carcerem, p *l. 1. 6. & can. 35. 36. citt.* non obstante, quòd suâ culpâ contraxerint debita; quia Gregor. XIV *in d. Const.* quæ est Jus Novissimum, omnes asyl non gaudentes specificans, hos debitores no expressit, & sic non excepit. Dixi 4. *in ordine ad e fectum* &c. nam effectus & commoda asyli sunt quòd confugæ ad Ecclesiam, Monasterium &c. re cipi debeant, & repelli non possint citra excom municationem reservatam *Extrav. 3. de Pœn.* quòd alendi sint ex bonis Ecclesiæ, Monaste &c. si aliunde alimenta habere nequeant: quòd capi, vinculis constringi, extrahi, vel extradi in viti non possint. *can. 6. 8. seqq. caus. 17. q. 4 Constit.* Greg. XIV. *cit.* minus ad mortem con demnari; quamvis licitè fiat executio in ipsorum bonis: imò teste P. Wiestner *h. t. n. 157.* cum aliis consuetudine in quibusdam locis receptum est, ut Curia Sæcularis contra existentem in Asylo procedat per inquisitionem & citationem, atque in non comparentem habita sufficienti probatione delicti sententiam proferat, licèt exequi pœnam, si capitalis sit, non valeat. Dixi 5. *Nisi rei sint criminis* &c. Quænam autem delicta privent asylô, penes quam sit cognitio & decisio, an privent asylô, & quomodo talis delinquens sit extradendus Judici Sæculari, deinceps dicemus. Interim

Objic.

Objic. 1. Excommunicati vitandi ne quidem ingredi permittuntur Ecclesiam; ergo à fortiori non conceditur ipsis protectio in Ecclesia. 2. Si omnes Christiani gaudent asyliâ, etiam gaudebunt Clerici & Religiosi: sed isti non gaudent, ut docent multi cum Panormit. *in d. c. 6. n. 13.* & insinuare videtur *Const.* Greg. XIV. *cit.* quæ est norma immunitatis asyli, dum expressam facit mentionem *Laicorum*, adeóque ad hos restrictivam. R. ad 1. Nun permittuntur Ecclesiam ingredi formaliter, h. e. ut intersint Officiis Divinis &c. *C. Ant.* materialiter, ut ibi sint securi. *N. ant. & cons.* Ad 2. *dist. min.* Clerici & Religiosi non gaudent contra Judices Ecclesiasticos, & Superiores suos, ne afficiantur pœnis Ecclesiasticis secundùm sacros canones, v. g. expressis *c. 1. de calumniat. c. 2. de Regular. in 6.* &c. & ne puniantur secundùm Constitutiones Ordinum Religiosorum. *C. min.* contra Judices Laicos, ita ut his extradi possint à suis Superioribus, atque sic puniri secundùm Leges Civiles *N. min.* non enim debent esse deterioris conditionis quàm Laici. Neque dicta *Constit.* Gregoriana Clericos & Religiosos excludit ab asylo, sed *Laicorum* præcisè ideo facit expressam mentionem, quia solùm Laicis (non verò Clericis) denegabant Judices Laici sub prætextu privilegiorum immunitatem localem, ac extrahere solebant ex asylo. P. Schmalzgrueber *h. t. n. 165. seq.*

Dico 4. Asylô non gaudent rei criminum *exceptorum*, ut vocantur, quæ specificantur in allegata *Constit. Gregor.* nimirum 1. Publici latrones, qui nempe in publicis viis rapinæ causâ ex

insidiis aggrediuntur homines, & resistentes occîdunt. 2. Viarum grassatores, Landt- oder Strassen-Rauber / qui quidem in publicis & frequentatis viis per insidias aggrediuntur homines prædæ causâ, sed non occîdunt, per quod differunt à prioribus. 3. Depopulatores agrorum seu qui segetes agrorum, fructus vinearum & ex proposito devastant, Atque hæc tria delicta debent esse notoria vel notorietate Juris vel notorietate Facti. 4. Qui faciunt homicidium, vel mutilationem membrorum, in ipsis Ecclesiis vel cœmeteriis ex proposito. 5. Qui proditoriè occîdit proximum suum, h. e. ut longè communiter intelligit, non solùm ex proposito & per insidias, sed sub specie amicitiæ, seu qui occîdit amicum, scilicet simulando amicitiam, fidelitatem &c. ita ut alter nihil tale suspicatus fuerit, vel qui per insidias occîdit eum, cui ratione status, conditionis, muneris specialiter est obligatus ad amicitiam aut fidelitatem, ut si parens occîdat prolem, conjunx conjugem, familiaris familiarem, caupo hospitem, aut alius commilitonem, itinerans socium &c. Et hanc communissimam sententiam fusè probavi in *meo Candidato h. t. n. 16. 17.* contra Hyppolitum Grassetum, Covar. Barbos. & alios. 6. Assassini, seu qui pro pecunia vel alia re temporali, promissa vel data, occîdunt hominem, vel in hunc finem promittunt vel dant pecuniam, adeóque tam conducens, quàm conductus pretiô, reus est assassinii asylô privantis. 7. Hæretici, qui propter ipsum hæreseos crimen ad Ecclesiam se recipiunt; quod tamen in nostra Germania, ubi crimen certarum hæresum nihil

timet

timet à Judicè Sæculari, non procedit. 8. Rei læsæ Majestatis, h. e. qui in personam ipsius Principis (quo nomine veniunt omnes in sua jurisdictione Superiorem non recognoscentes, plenúmque in suo territorio jus obtinentes) cui sunt subditi, delinquunt per actionem injuriosam vel damnosam, v. g. percutiendo, vulnerando, carcerando, hostiliter insequendo &c. aut similes actiones mandando, auxilium præstando &c. ut habet communis. Præter hæc crimina nullum aliud, utut atrox, privat asylîâ secundùm *d. Const. Gregorianam*, ut docet communissima; quia ipsa Constitutio voluit omnia in materia Immunitatis localis occurrentia tollere dubia, atque velut norma reducere omnia ad *unam tantùm formam*, statuens, ut præcisè enumerata octo delicta privent asylô, *non alia*, etsi *æquipolleant in Jure expressis*, vel adsit *paritas, identitas, aut majoritas rationis*. Unde asylô proteguntur quoque blasphemi, perjuri, Simoniaci, percussores Clericorum, duellantes, incendiarii &c. item juxta communem illi quoque, qui furtum aut aliud delictum (præter occisionem aut mutilationem) committunt in Ecclesia: atque illi, qui propè Ecclesiam occîdunt sub spe immunitatis, ad quam è vestigio convolare possunt; quamvis enim isti delinquant in legem, non tamen eo modo delinquunt, quî à Jure privatur asylô; & quamvis in *c. fin. h. t.* Summarium generaliter pronuntiet, *qui sub spe immunitatis in Ecclesiis vel cœmeteriis delinquunt, immunitate non gaudent.* Gregor. XIV. tamen *in d. Const. Cùm alias.* hanc generalitatem restrin-

xit ad sola homicidia & mutilationes in ipsis Ecclesiis commissas.

6 Quamvis autem ista ita se habeant, paucis tamen abhinc annis Benedictus XIII. nuper piissimè defunctus novam de hac materia Constitutionem, quæ incipit, *Ex quo*, edidit anno 1725 Concilio Romano à se celebrato insertam, ubi confirmat quidem famosam & sæpius citatam *Const. Greg. XIV.* aliqua tamen delicta, de quibus post *Constit. Gregor.* inter DD. dubitatum est, an privent asylô vel non, declarat privare, & alia novo adjicit, quorum reis non indulget immunitatem. Itaque declarat 1. pro latrone publico, & viarum grassatore, in ordine ad privandum asylô habendum esse illum quoque, qui unicam tantùm grassationem in via publica aut vicinali commisit secuta occisione vel mutilatione. 2. Eos etiam non gaudere, qui stantes in Ecclesiis vel cœmeteriis occîdunt vel mutilant existentem extra, ac vicissim stantes extra occîdunt vel mutilant existentem intra Ecclesiam vel Cœmeterium. 3. Illos, qui ad Ecclesiam confugientibus vim inferunt, & ipsos à loco immuni vel Ecclesia violenter extrahunt. 4. In crimine Assassinii non modò mandatarios, sed etiam mandantes promissa vel data mercede, modò assassinium reipsa patratum fuerit, seu occisio secuta. Nova autem statuit delicta asylô privantia hæc. 1. Siquis interficiat proximum suum animô præmeditatô ac deliberatô. 2. Siquis falsificet Litteras Apostolicas, 3. Si minister Montis pietatis, publici telonii, aut Banci, pro Principis privatarúmque personarum depositis destinati, furtum aut falsitatem in prædictis

locis

locis committat ita notabiliter, ut pœnæ ordinariæ locus sit. 4. Siqui conflant, adulterant, vel tondent quascunque monetas aureas vel argenteas, etiam Principum externorum, vel qui ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas, ita scienter expendunt, ut fraudis conscii atque participes censeri possint. §. Siqui sub nomine Curiæ in alienas domos se introducunt, animô ibidem perpetrandi rapinas, eásque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit. Sed hæc nova Constitutio Benedicti XIII. sicut in his nostris partibus, quantùm mihi constat, specialiter promulgata non est, ita an recepta aut in usum deducta sit, dubito (sicut tamen in Praxi hucusque observatam fuisse scio Constitutionem Gregorianam.) Unam tamen scio diœcesim, in qua conformiter dictæ Bullæ binis vicibus Episcopali auctoritate ex asylo extraditi sunt, qui homicidium præmeditatum commiserant, uti vir magnus mihi retulit.

Dico §. Casu quo dubium est, an confuga ad Ecclesiam sit reus delicti excepti (imò & quando certum est, quòd crimen sit exceptum, asyli privativum) tamen extradi vel extrahi non potest, nisi priùs desuper cognoscat & pronuntiet Episcopus, ad quem privativè hæc pertinet cognitio. 2. Si tamen certum sit, crimen esse exceptum (vel etiam dubium ex indiciis valde magnis pro delicto excepto) ac Judex sæcularis extraditionem petat, debet Rector Ecclesiæ, requisitus à Curia Sæculari, talem Reum cautè custodire ad- 7

hibito etiam carcere, donec causa ab Episcopo decidatur. 3. Secuta hac decisione necdum extrahere potest Judex Sæcularis, nisi Episcopus dederit licentiam, & intervenerit persona Ecclesiastica, v. g. Rector Ecclesiæ, quæ Reum extradat. 4. Si tamen vel Episcopus notoriè rei delicti excepti licentiam extrahendi dare nolit, vel Rector Ecclesiæ post datam ab Episcopo licentiam recusaret extradere ac intervenire, possit Judex Laicus delinquentem nihilominus extrahere, minori tamen, quo id fieri poterit, scandalo & tumultu. Ita communis ex *cit. Constit.* Gregoriana, à qua parùm abludit Benedictina, sed in plerisque cónvenit, licèt non omnino in omnibus, dum nempe pro casu, quo moraliter credibile, non verò penitus certum est, crimen esse exceptum, permittit & jubet extradi delinquentem Judici Sæculari exigenti, modò iste in forma Juris validè se obliget ad eum Ecclesiæ restituendum, si postea diluantur indicia, ex quibus delictum apparebat exceptum.

8 Dico 6. Judex Sæcularis mandans extrahi ex asylo aliquem, qui eo gaudet, Ministri item extrahentes, & quicunque cooperantes, non solùm peccant graviter contra Religionem & Justitiam, sed etiam incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, à qua non sunt absolvendi, nisi prius extractum restituerint Ecclesiæ & loco, ex quo extraxerunt. *can. 6. 8. 10. 35. caus. 17. q. 4. Const. Greg. cit.* De Jure Civili statutum est ultimum supplicium. *l. 2. & 6. C. de his, qui ad Eccl.* quamvis hæc pœna non sit in usu, & punitio hujus criminis relinquatur foro Canonico, sicut cognitio

&

& judicatio ad Episcopum spectat. Nunc de Immunitate Reali.

Dico 7. Clerici & personæ Ecclesiasticæ sunt 9
immunes ab oneribus Sæcularium personalibus utì sunt census personales seu capitatio, Kopff-Steuer/ viatica & telonia personis imposita, angariæ & parangariæ, seu operæ, Scharwerck/ Frondienst/ ire ad bellum, agere vigilias, præbere militibus hospitium in suis ædibus, fodere arenam &c. 2. Bona Clericorum Beneficialia, utì decimæ, reditus stolæ, stipendia Missarum &c. ab omnibus sæcularium exactionibus, utì & 3. Ipsæ Ecclesiæ & loca Religiosa, atque bona Ecclesiastica ad cultum Divinum immediatè ordinata, utì calices, & paramenta sacra &c. Ita plerique omnes, quia personæ Ecclesiasticæ quoad personam suam exemptæ ab omni jurisdictione sæculari, item loca & res sacræ, atque usibus sacris destinatæ, ut patet ex variis Juribus & communi sensu.

Dico 8. Ecclesiæ quoad bona sua temporalia 10
(& Clerici quoad patrimonialia) de Jure gaudent immunitate reali, seu sunt exemptæ ab oneribus tum realibus tum mixtis, quæ titulô jurisdictionis de novo imponuntur à Magistratibus Laicis. Communis & certa, atque vix ab ullo Orthodoxo negatur propter claros textus in *c. 4. 7. x. c. 1. in 6. & Clem. un. h. t. c. 10. de Constit. c. 4. de Censib. in 6.* ibi: *cùm igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solùm Jure Humano, quin imò & Divino* (in thesi nimirum, sicut de exemptione Clericorum personali diximus ad *tit. 2. lib. II. de for. comp. n. 4. 5. 6.*) *à sæcularium*

personarum exactionibus sunt immunes. Cosonf. Jus Civile *in Auth. Item nulla post. l. 2. C. de Epis. & Cler.* Ratio est, quia res sequuntur conditionem personæ: accessorium sequitur suum principale. *c. 41. de R. J. in 6.* &, *quæ Religiosis adhærent, Religiosa sunt. l. 43. ff. de R. V.* Cùm igitur Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ juxta omnes sint exemptæ à jurisdictione Sæcularium, etiam res & bona ipsarum debent esse exempta accessoriè ab oneribus seu exactionibus Sæcularium, quæ titulô jurisdictionis imponuntur; cùm jurisdictio immediatè & principaliter non in res & bona, quæ jussionis sunt incapacia, sed in personas exerceatur, eò quòd à personis præstanda sint tributa & collectæ rebus impositæ. Quòdsi autem Sæculares tali onere gravarent Ecclesias & personas Ecclesiasticas, peccarent contra Religionem & Justitiam, tenerentur ad restitutionem, & incurrerent excommunicationem Summo Pontifici reservatam. *c. 4. 7. Clem. citt. Bull. Cœnæ &c.*

Cœterùm *onera realia* sunt. quæ ipsis rebus imponuntur sine respectu ad personas ea possidentes, v. g. fundis, agris, domibus, atque appellantur *tributa*, & *contributiones ordinariæ*, Ordinari Steur und Anlagen/ quò referuntur etiam *Accisæ*, Auffschlág/ quæ imponuntur rebus usu consumptibilibus vendendis, vino, cereviſiæ, carnibus &c. *Indebita*, Umgeld / quando ultra accisas seu *gabellas pecuniarias* de potulentis, vino vel cereviſia, certa quantitas, v. g. de singulis unis 6. mensuræ, Magistratui vel Principi Sæculari pendenda est. *Mixta* autem dicuntur, quæ

vel

vel exigunt laborem personalem simul & sumptus, ut ire ad bellum propriis expensis, vel imponuntur subditis cum respectu ad ipsorum bona vel reditus annuos, adeóque personis immediatè, rebus mediatè, uti *collectæ*, & *contributiones extraordinariæ*, extraordinari- Steur und Anlagen; nam *collectæ* à Tributis in stricta acceptione differunt per hoc, quòd non habeant præstationem seu pensationem certam, ac annuam, sicut Tributa, sed incertam, ob causam vel necessitatem fortè occurrentem. Huc quoque pertinent præstationes *Teloniorum*, nempe *Vectigalia*, Zoll/ quæ exiguntur de bonis per terram, & *Portoria*, Mauth/ quæ petuntur de bonis per aquas in-vel exportatis aut advectis.

Dixi 1. *Quæ titulô jurisdictionis imponuntur*; 11
si enim petantur *titulô dominii particularis*, ut si Ecclesia vel persona Ecclesiastica à Sæcularibus acquirat rem feudalem vel emphyteuticam, tenetur ad onera feudi, vel ad canonem emphyteuticum, laudemium &c. cum res transeat cum suo onere reali. *c. 5. de Pignor.* Aut si injungantur *titulô pacti*, vel *reservationis*, ut siquis Sæcularium donet, vendat &c. Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ prædium cum reservatione pensionis vel annuatim vel pro casu necessitatis sibi solvendæ; pariter enim portandum est tale onus ab Ecclesia &c. quia quilibet de re sua disponere, ac in alium transferre cum-vel sine onere potest. Et hujusmodi pacta approbant Sacri Canones. *c. 4. de condit. appos. c. 6. de donat. c. 23. de Jur. patr.* Denique si *titulô impensarum* aliquid exigatur in constructionem vel reparationem operum publi-

corum, ex quibus in singula Communitatis membra immediatè redundat aliquid utilitatis, vel emolumenti, cujusmodi opera sunt pontes, fontes, viæ publicæ, aquæductus, excubiæ tempore pestis agendæ &c. Ecclesiæ & Clerici à contributione non sunt immunes, sed concurrere debent justa proportione, v. g. solvere pontenagia, Brucken-Gelter / pontivegia, Uberfuhr-Gelter / quidagia, Werckgelter / pedagia, vectigal delapidationis, Pflaster-Zoll; quia æquitas naturalis. imò pactum tacitum exigit, ut omnes & singuli contribuant, qui ex ejusmodi operibus commoditate perfruuntur, & indemnis sit Princeps vel Magistratus, qui ejusmodi opera erstruunt vel reparant: modò, quod bene notandum, nihil petatur à personis Ecclesiasticis ad faciendum quæstum, vel ad inferendum ærario publico, vel ad solvenda debita Cummunitatis, vel ad sufferanda alia Reipublicæ onera, vel ad conservandum splendorem Familiæ Principis &c. hæc enim curare & procurare ad solos Laicos spectat.

Objic. 1. Si personæ Ecclesiasticæ debent contribuere ad ejusmodi Opera publica, tunc etiam debebunt in casu extraordinariæ & communis necessitatis vel utilitatis Reipublicæ, & quidem 2. ex titulo etiam jurisdictionis, quia gravis vel extrema necessitas tribuit jus auferendi bona temporalia à quocunque: sic utique etiam Clerici tempore famis possunt cogi ad vendendum frumentum, & ut permittant visitari sua granaria &c. 3. cùm, qui sentit commodum à communitate, etiam sentire debeat onera. Unde *4. in can. 40. §. placet. caus. 16. q. 1.* eximuntur qui-

quidem Ecclesiæ à tributo, sed cum limitatione, *nisi quod adventitiæ necessitatis sarcina repentinæ poposcerit.* Denique 5. Clerici negotiatores non sunt immunes à vectigalibus, portoriis, gabellis &c. *arg. c. 4. de censib. in 6.* ergo qualitas Clericalis non eximit à tributis & contributionibus. R. ad 1. debebunt quidem concurrere in casu extraordinariæ & communis necessitatis, cui occurrendæ non sufficiunt facultates Laicorum, *titulô impensarum* & ut *membra* communitatis, vel ex æquitate naturali, aut pacto tacito; at non *titulô jurisdictionis*, & ut *subditi*, vel ex obligatione proveniente ex jurisdictione & potestate Sæcularium; nam his neque necessitas tribuit jurisdictionem in personas Ecclesiasticas. Ad 2. Extrema (non gravis præcisè) necessitas tribuit quidem jus auferendi bona etiam à Clericis, at non per viam jurisdictionis, sed solùm jure defensionis ad succurrendum Reipublicæ. Si autem necessitas non sit urgentissima, ita ut priùs licentia & consensus Papæ (vel, ubi est periculum in mora, saltem Episcopi) requiri possit, hunc consensum priùs petere oportet. *c. 4. & 7. h. t.* Ubi tamen Papa, vel Episcopus, qui in tali necessitate, ad quam avertendam non sufficiunt facultates Laicorum, consentire tenetur, consensum dederit, determinatio & exactio harum contributionum, utì & coactio Clericorum eas negantium, non à Laicis, sed à Superioribus Ecclesiasticis facienda est. *c. 4. c. 7. citt.* Idem proin tene de coactione ad vendendum frumentum, & de visitatione granariorum, non nisi à Superioribus Ecclesiasticis, & his consentientibus facienda.

Ad

Ad 3. limita regulam: nisi adsit justa causa vel privilegium eximens ab onere. Ad 4. Illum textum Gratianus desumpsit ex Jure Civili, proin nihil præjudicare potest immunitati reali Ecclesiarum & Clericorum, ut patet ex *Prolegomenis*. Ad 5. Clericos negotiatores ipse Pontifex in Jure Canonico subjicit his oneribus: reliquos autem eximit cum Jure Divino.

12 Dixi 2. *Quæ imponuntur de novo.* Novis itaque tributis collectis & exactionibus bona Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum onerari non posse à Laicis, certum est propter defectum jurisdictionis. Sed de *Antiquis*, quæ nimirum jam priùs, quàm ad Ecclesias vel Clericos pervenerunt hujusmodi bona, iis certo & stabili modo imposita fuerunt à Laicis titulô jurisdictionis, magna est controversia, an his tributis & collectis obnoxiæ sint Ecclesiæ & Clerici? Negant Suar. Guttierez, Felin. Tanner. & alii multi, quos nuper magnô zelô secutus est P. Ant. Söll in *tract. de Tributis p. 2. c. 3. à n. 174.* Affirmant Panorm. in *c. 4. cit. n. 16. & in c. 1. de Censib.* Wagnereck in *c. 1. h. t. in 6.* P. Engel *h. t. n. 25.* cum Innoc. Jo. Andr. aliisque compluribus, quibus & ego adstipulor ex his fundamentis. 1. ex *can. 21. 22. caus. 23. q. 8.* ubi Urbanus Papa sic ait: *de exterioribus suis, quæ palàm cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit - - NB. quod constitutum antiquitus est, pro pace & quiete, quâ nos tueri & defensare debent, Imperatoribus solvendum est.* 2. ex *c. 1. de Censib.* ubi Presbyteri, siquid habent ultra decimas, domos, & hortos suos, & ultra mansum pro dote Ecclesiæ constitutum, jubentur *inde se*

mu-

rioribus debitum servitium impendere; notetur *debitum*, quod nempe bonis hujusmodi jam antecedenter fuit impositum. 3. ex *c. 5. de Pignorib. & l. 20. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* ex quibus desumptum est hoc brocardicum, *res transit cum onere suo*: nempe talis qualis est. 4. ex *c. 79. de R. J. in 6.* ibi: *nemo potest plus juris in alium transferre, quàm sibi competere dignoscatur*: ergo, si Ecclesiæ vel Clericis obveniant bona, priùs obnoxia tributis & collectis à Magistratu Sæculari impositis, cum isto onere jam priùs impositò obvenient, cùm ille, qui transfert, transferre nequeat sine hoc onere, cùm ipse non habuerit sine hoc onere. 5. ex communi praxi, saltem extra Italiam vigente, quam & nos in Germania experimur: Praxis autem & Consuetudo est optima Juris dubii interpres.

Objic. 1. Quando fundus transfertur in Ecclesiam, cessat ratio adæquata exigendi tributa, à Laicis priùs imposita titulô jurisdictionis, scilicet subjectio talium fundorum, & jurisdictio Magistratûs Laici: ergo. 2. Qando dispositio venit in eum statum, à quo initium ducere non potuit, evanescit. *l. 98. ff. de V. O. l. 85. §. 1. ff. de R. J.* Sed, quando fundus transfertur in Ecclesiam, exactio tributorum venit in eum statum, à quo initium ducere non potuit: ergo. 3. In *c. 12. de reb. Eccl. alien.* dicitur, quòd Laicis *nulla* potestas competat de rebus Ecclesiæ disponendi. Et in *c. 1. h. t. in 6.* prohibentur Laici *quascunque* exactiones imponere Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis. Similia habentur *c. 3. eod. in 6. & Clem. un. eod. c. 4. de Censib. in 6.* Cùm ergo hi textus generaliter & indistinctè loquantur, generaliter quoque intel-

telligendi sunt sine distinctione inter exactiones & tributa nova ac antiqua. ℞. ad 1. *N. ant.* nam adæquata ratio solvendi tributa *antiqua* non fundatur in sola subjectione, sed simul in facta semel impositione oneris tempore habili, qua nimirum bona, & persona, quæ possedit, erat subjecta Magistratui Laico, quam subjectionem supponit quidem dicta impositio *in fieri*, non tamen *in conservari*: semel legitimè impositum onus transit cum re, & transferens non potuit eam ab hoc onere liberare, & liberatam transferre in præjudicium Magistratûs Laici, cùm nec ipse habuerit liberatam. Ad 2. Evanescit in casu, quando dispositio dependet ab hac conditione, nisi res devenerit in alium statum. *transf. ma.* quando non ita dependet. *N. ma.* Quòd impositio tributi facta sit bonis à Judice Laico ex titulo jurisdictionis sub ista conditione, *nisi hæc bona devenerint ad Ecclesiam, vel ad Clericos*, non constat, imò satis probari non potest. Cæterùm quòd universaliter verum non sit, dispositionem evanescere, quando dévenit in statum, à quo initium ducere non poterat, patet indè, quòd utique Matrimonium non evanescat vel solvatur, si unus conjugum incidat in amentiam, ac deveniat in statum, in quo contrahi non poterat, item ex *l. 85. §. 1.* contra nos citata, ibi: *non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licèt ille casus exstiterit, à quo initium capere non potuerunt.* Simile quid dicitur *§. 14. Inst. de Legat.* Ad 3. Licèt illa Jura generaliter loquantur, & generaliter intelligenda sint, non tamen omni generalitate, sed solùm eâ, quæ respicit tributa *nova*. Ratio restringendi ad hæc

&

& non extendendi ad *antiqua*, subministratur multiplex ex nostris Probationibus.

TITULUS L.

Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus Negotiis se immiscеant.

SUMMARIUM.

1. *Quæ negotia Sæcularia Clericis & Religiosis prohibita.*
2. *Speciatim quæ Negotiatio.*
3. *Quæ sint pœnæ illicitè negotiantium.*

NEgotia *Sæcularia* in genere dicuntur hoc loco illa, quæ DEI famulos vel valde abstrahunt à rebus Divinis, vel eosdem minùs decent, utpote contemptum aut vilipensionem Statûs Clericalis & Religiosi parientia, licèt per se licita sint, & Laicis conveniant. Et de his intelligendum est Pauli præceptum, *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. 2. Tim. 2.* Talia jam adduximus in *Tit. I.* hujus libri III. cui respondet hic ultimus, in quo specificantur, ac in specie sub certis, etiam pœnis prohibentur Clericis & Religiosis sequentia. 1. servire Principibus Laicis quoad ministeria laica, nisi territorium possideant sub Principe Laico; tunc enim Officia & Præfecturas suscipere non prohibentur, quia hoc modo varia impedire possunt præjudicia Statûs Ecclesiasti. 2. procuratores agere in tribunalibus Sæcularibus, nisi agant pro pauperibus, pu- 1

pupillis, Ecclesiis &c. 3. gerere officium tabellionis seu Notarii publici, nisi in causa & in favorem Fidei, aut in Curia Ecclesiastica. 4. ordinare aciem, dirigere milites in bello, aut machinas bellicas. 5. Judicium sanguinis exercere; aut artem Chirurgicam per incisionem vel adustionem, imò & artem Medicam. 6. Medicinæ aut Juri Civili publicè studere; sed quoad Jus Civile per consuetudinem & privilegia Universitatibus Germaniæ concessa passim est derogatum; imò, si studeatur Juri Civili non ex fine primario, sed solùm ut perfectiùs addiscatur Jus Canonicum, nunquam fuisse prohibitum multi autumant. 7. demum ac præcipuè *negotiationem* exercere. *c. 6. h.t.* Hæc est duplex, Propria & Impropria: *Negotiatio Propria* est, quando res emuntur eo fine, ut quoad formam suam non mutatæ (vel mutatæ adeò tenuiter, ut in æstimatione morali censeantur eædem permanere) vendantur majori pretio, & cum lucro, ut si frummentum, vinum, pannus, equi, vel alia animalia &c. emuntur vel alio titulo oneroso comparantur cum intentione cariùs distrahendi. *Impropria*, quando res emuntur ea intentione, ut moraliter immutatæ ampliori pretio & cum lucro vendantur, ut si ematur hordeum & lupuli, ut indè cocta cerevisia, si ematur lana, ut indè confectus pannus &c. vendatur lucrosè. Utraque, tam propriè quàm impropriè dicta, negotiatio essentialiter involvit duo, nempe emptionem rei, & intentionem lucri ex ea rursus divendita, atque ideo utraque est *lucrativa*; nam illa, quæ vocatur negotiatio *simplex* vel *œconomica*, quando nimirum venduntur res non priùs emptæ, sed

pro-

provenientes ex propriis fundis, animalibus &c. vel quando venduntur superflua, & sine intentione revendendi emuntur necessaria, vel utilia ad proprium usum; licèt fortè postea iterum vendantur cariùs, si contingat, ut necessaria vel utilia non ampliùs sint, aut se offerat per accidens occasio cariùs vendendi, est impropriissimè negotiatio, & non hujus loci, nec prohibita.

Dico. Clericis, qui sunt in Majoribus Ordinibus constituti, vel in Minoribus quidem, at habentibus Beneficium, item Religiosis, per se graviter est prohibita & sub certis pœnis Negotiatio Propria, saltem si eam exerceant per se ipsos. 2. Imò & Impropria, si res lucri causâ emptas cariùs vendant, alienâ industriâ immutatas. Ita communis quoad utramque partem ex *tota dist. 88. c. fin. de vit. & honest. Clem. 1. eod. c. 1. 6. h. t.* Trid. *sess. 22. c. 1. de ref.* Ratio, quia utraque hæc negotiatio dedecet statum tam sacrum, nimiùm distrahit à rebus Divinis, sapit avaritiam, & exponit variis peccandi periculis. Dixi tamen 1. *saltem si eam exerceant per seipsos*, sive totaliter, sive partialiter, ita ut magnopere ipsimet concurrant; si enim totam, vel ferè totam curam aliis relinquant, ipsi verò solùm dent v. g. pecunias, utì datur campsori, eos saltem à mortali excusat communior sententia, utì & mortali excusat parvitas materiæ, vel si non frequenter, sed solùm una vel altera vice contingat. Dixi 2. in secundo membro, *alienâ industriâ immutatas*; quia censetur emi alienus labor, & indè lucrum capi. Si verò res emptas propria industriâ vel arte immutent, & postea cum lucro vendant non merô 2

lucri ſtudiô, ſed etiam ex alio fine honeſto, v.g. ad parandum victum, ad fugandum otium, caſtigandum corpus, faciendas eleemoſynas, ad vitandum damnum, quòd aliàs ſubirent v. g. exercita officina pharmacevtica in ſuas & ſuorum neceſſitates, utì faciunt Religioſi vendendo medicamenta propriis neceſſitatibus ſuperflua, ut ſine damno conſervent ſua pharmacopolia; nam potiùs res exempli quàm ſcandali eſt, ſi Clerici vel Religiosi proprio labore, vel artificio honeſto, v.g. faciendo numiſmata, horologia, icones, picturas &c. otium pellant, ſuis temporibus honeſtè ſic ſe occupent, licèt artefacta vendant cum lucro, ad ſuſtentationem vel ad piam cauſam ordinato: ſic antiqui Monachi faciebant fiſcellas, caniſtros, ſtoreas &c. ex materia empta, ac poſtmodum vendebant cum lucro: ſic ipſe S. Paulus exercebat artem ſcenofactoriam, & ſic alimenta ſibi procurabat. Aliud foret, ſi exercerent artem lanionum, tractarent fabrilia, conficerent arma bellica, chartas luſorias &c. foderent terram, coquerent panem vel cereviſiam &c. pro quæſtu; quia hæc in cummuni æſtimatione dedecent ſtatum tam ſanctum.

3 Quæres, quæ ſint pœnæ Clericorum & Religioſorum illicitè negotiantium? R. ſequentes. 1. Suſpenſio, imò & depoſitio ab Ordine, ac 2. Excommunicatio ferendæ ſententiæ. 3. Privatio immunitatis à gabellis & vectigalibus Magiſtratui Laico ſolvendis de rebus, circa quas negotiantur, 4. Privatio totius immunitatis realis, ſeu à ſolvendis tributis de omnibus ſuis bonis patrimonialibus; ſed hoc procedit tunc, ſi

poſt

post trinam Episcopi monitionem non destiterint à negotiando. Ita statutum reperitur in *can. 2. d. 88. can. 4. d. 91. c. 4. & 6. h. t. c. 4. de Censib. in 6. Clem. fin. eod. c. fin. cit.* Trid. *lo. cit.* Imò si Clericus negotiator, ter monitus, ut desistat, negotiari pergat, & de bonis, circa quæ negotiatur, non solvat vectigalia aut portoria, ipso facto illa cadunt in commissum. *arg. c. fin. cit.* Telonarius tamen nomine Fisci non hoc ipso statim ea arripere, & possessionem Clerico auferre potest, sed instituta Vindicatione apud Judicem Ecclesiasticum (quia hæc actio realis fundatur in delicto Clerici) ea consequi debet. Cancellar. Schmid, *controv. 21. Semicent. 2.*

Decretalium Gregorii PAPÆ IX.

LIBER IV.

IN hoc pertractantur causæ Matrimoniales, seu Matrimonium spectantes, quæ, licèt Laicis ferè sint propriæ, ad Judicem tamen & ad forum Ecclesiasticum privativè pertinent, tam externum quàm internum; quia Matrimonium inter Christianos est à Christo elevatum ad rationem Sacramenti. Quapropter, quæ in hoc IV. libro traduntur, tam Clericis & Religiosis quàm Laicis scitu perquam necessaria sunt.

TITULUS I.

De Sponsalibus, & Matrimonio.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid sint Sponsalia de futuro.*
3. *Debent esse promissio vera, non ficta.*
4. *Quid Juris, si fictè promittens obtinuit copulam.*
5. *Sponsalia metu extorta valent.*
6. *Debent esse promissio mutua.*
7. *Verbis vel signis sufficienter expressa.*

8. *Spon-*

8. *Sponsalibus an, & qualis conditio;*
9. *Et an arrha adjici possit:*
10. *An etiam pœna à resiliente solvenda.*
11. *Quinam possint contrahere Sponsalia.*
12. *An liberi sine consensu parentum.*
13. *Qualem producant obligationem.*
14. 15. *Et pro quo tempore.*
16. *Qualiter inducat impedimentum publicæ honestatis.*
17. 18. 19. 20. *Quibus modis dissolvantur Sponsalia.*
21. *An propria auctoritate dissolvi possint.*
22. *Quid sit Matrimonium. An contrahi valeat sub conditione servandæ castitatis: vel exclusa ratione Sacramenti.*
23. *Quænam ipsius causæ, & effectus.*
24. *Quotuplex sit Matrimonium.*
25. 26. *Qualem requirat consensum.*
27. *An etiam consensum parentum.*
28. *An utriusque consensus debeat simul poni.*
29. *Quinam validè ac licitè contrahant.*
30. *Impedimenta Matrimonii Impedientia,*
31. 32. *Et Dirimentia tam Juris Positivi quàm Naturalis.*
33. *A quo statui, vel introduci possint.*
34. *An Hæretici Germaniæ ligentur iis, quæ Jure Ecclesiastico sunt constituta.*
35. *An Matrimonium contrahi possit cum dubio Juris.*
36. 37. *Quando Error sit Impedimentum Dirimens.*
38. 39. *An & quo Jure Metus dirimat Matrimonium.*

40. *Quomodo purgetur metus.*
41. *Quando Raptus sit Impedimentum Dirimens.*
42. *An idem dirimat etiam Sponsalia.*
43. *Qualis disparitas cultûs sit Impedimentum Dirimens.*
44. 45. *Quid sentiendum de Matrimonio, quod Catholicus contrahit cum Hæretica, vel vicissim.*
46. *De Impedimento publicæ honestatis orto ex Matrimonio Rato, seu Sponsalibus de præsenti.*

1 RUbrica præfixa duas nobis exhibet partes, nimirum *Sponsalia* & *Matrimonium*. Illa bifariam accipiuntur, pro *Sponsalibus de futuro*, quæ sunt promissio Matrimonii ineundi, & ordinariè veniunt nomine Sponsalium, vel Sponsaliorum (utrumque enim est in usu) vel pro *Sponsalibus de Præsenti*, quæ sunt ipsum Matrimonium Ratum, seu Contractus Matrimonialis. In prima parte agemus de Sponsalibus, scilicet de futuro, in altera de Matrimonio.

§. I.

De Sponsalibus.

De his dicemus, quid sint, & qualiter contrahi debeant: à quibus contrahi possint: quem pariant effectum: & qua ratione semel inita dissolvi queant.

Dico 1. Sponsalia, à *spondendo* dicta, Ehe Gelübd / Versprechen / Stuelvest / quamvis in

in *l. 1. ff. h. t.* dicantur eſſe *mentio & repromiſſio nuptiarum futurarum*, & in *can. 3. cauſ. 30. q. 5.* appellentur *futurarum nuptiarum promiſſa*, *ac fœdera*, communiùs tamen definiuntur eſſe *mutua promiſſio futuri Matrimonii*, vel accurratius hoc modo: ſunt *promiſſio vera, voluntaria, ac mutua, ſigno ſenſibili expreſſa, futuri Matrimonii inter perſonas Jure habiles*, ſeu inter marem & fœminam nullo impedimento laborantes. *Vera* eſt promiſſio, ſi fiat ſeriò, ſine fictione, & cum interno conſenſu, item ſi fiat cum tanta advertentia ac deliberatione, quanta requiritur & ſufficit ad peccandum mortaliter: *Voluntaria*, ſi fiat ſine errore, aut coactione, conſenſum liberum tollente; an verò metus tollat voluntarium ad Sponſalia neceſſarium, quæſtionis eſt; *Mutua*, ſeu reciproca, ſi fiat ab utraque Parte, ita ut interveniat promiſſio unius, & repromiſſio alterius. De his proin, utì & quomodo exprimi debeat promiſſio ſenſibili ſigno, ulteriùs

Dico 1. Promiſſio Matrimonii ficta ſeu ſimulata, quamvis in foro interno conſcientiæ non producat obligationem Sponſalitiam per ſe. 2. In foro tamen externo fictè promittens compellitur ad Matrimonium, niſi fictionem probet. Pars 1. patet ex natura contractûs, qui eſſentialiter requirit conſenſum internum. *c. 26. h. t. l. 2. ff. de rit. nupt.* Sed Sponſalia ſunt contractus, non quidem realis, quia non requirit actualem corporum traditionem, ſed conſenſualis. Pars 2. exinde, quia in foro externo, niſi ex circumſtantiis & modo tendendi facilè potuiſſet ab altera Parte colligi fictio vel jocus, præſumitur animus externæ pro- 3

missioni respondens. *l. 7. §. 2. ff. de supellect. leg.* Et quia fictè promittens alteram Partem decipit in re gravi, peccat mortaliter, consequenter in conscientia tenetur eidem resarcire damnum, quod fors indè passa est.

Dixi in prima parte, *per se*; nam per accidens, si nimirum fictè promittens fœminæ, aliàs honestæ vitæ, Matrimonium per dolosam hanc promissionem, ab ea non facilè advertibilem, eblanditus est & obtinuit copulam carnalem, etiam in foro interno tenetur eam determinatè ducere in conjugem, nisi illa præ Matrimonio eligat dotem, aut compensationem illati damni. Ita Sanch. Pontius, Molina, Less. Laym. Lugo, aliorumque & mihi longè probabilior contra D. Antonin. Bonac. Perez, & alios multos. Ratio: quia talis dolosus deflorator graviter decepit fœminam, & negando verum consensum, quem habere debuisset, gravem illi intulit injuriam: ergo tam ex Jure Naturali quàm ex positivo tenetur hanc injuriam tollere ac reparare: atqui non reparat, nec deceptæ satisfacit eo modo, quo exigit Justitia Commutativa, nisi ponat id, quod perfidè & injustè subtraxit, nempe verum consensum in Matrimonium: ergo tenetur, saltem nunc, ponere verum consensum in Matrimonium, consequenter tenetur illam determinatè ducere, nec sufficit illam dotare, vel aliter damnum illatum resarcire; nam *aliud pro alio solvi non potest invito creditori. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.* Sic fur furripiens equum non satisfacit reddendo pecunias, si ipsum equum adhuc retineat, & reddere possit. Dixi in secunda parte, *nisi fictionem probet*: vix autem aliter probare poterit,

erit,

erit, nisi per juramentum, quod tamen ipsi deferendum non est, nisi ex circumstantiis, aut tenore promissionis, conjectura saltem probabilis, aut aliqua præsumptio fictionis appareat.

Objic. 1. Si esset obligatio determinatè ducendi deceptam, illa oriretur vel ex promissione, vel ex damno illato: sed nec oritur ex promissione, quia hæc fuit ficta, & nulla: nec ex illato damno, quia vel nullum est secutum, ut si fœmina non fuit imprægnata, & delictum mansit occultum, vel, si illa detectô delictô difficiliùs nubat, & sic patiatur damnum, istud reparari potest per dotem &c. ergo. 2. Fictè promittens non consensit in conditionem ineundi Matrimonii, sub qua obtinuit usum corporis: ergo nec tenetur hanc implere conditionem. 3. Sibi imputare debet fœmina, quòd crediderit proco; cùm ejusmodi sceleratis hominibus usitatum sit dolosè promittere. R. ad 1. *N. ma.* nam ad hæc obligatio oritur partim ex injuria defloratoris, consensum verum perfidè negantis, quem proin nunc tenetur ponere, ut satisfaciat pro injuria; partim ex natura contractûs innominati & onerosi, *facio, ut facias*; nam acceptando usum corporis, sub conditione ineundi Matrimonii concessum, tacitè se obligavit defloretor, ac realiter consensit in Matrimonium, licèt initiô fictè istud promiserit verbis. Ad 2. est eadem responsio; quia debuisset, & adhuc debet consentire in conditionem; vel realiter ac tacitè jam consensit admittendo usum corporis. Ad 3. Debet quidem sibi imputare, quando ex verbis vel circumstantiis potuit colligere fictionem, ut si scivit, procùm esse longè sublimioris conditionis,

nec specialiter ab illa assecurata fuit de consensu, non obstante tam excessiva inæqualitate probè cognitâ: non verò, si colligere fictionem non potuit; & ex sola spe Matrimonii consensit, non ex libidine, vel ex spe consequendi pecunias.

4 Quæres, ad quid teneatur, qui defloravit vel imprægnavit fœminam sine ulla promissione Matrimonii, vera vel ficta? R. 1. Si fœmina ex defloratione nullum passa est damnum, ante sententiam Judicis ad nihil tenetur in conscientia. R. 2. Si verò passa est damnum, tunc vel fœmina sponte consensit? & rursus ad nihil obligatur in conscientia: vel non sponte consensit, sed fuit per vim, fraudem, dolosa promissa, metum injustè incussum, adeôque per injuriam inducta? & tenetur corruptæ in conscientia ante omnem Judicis sententiam omne damnum resarcire, vel ducendo, vel competenter dotando, ut tales nuptias acquirat, quales sperare potuisset, si violata aut corrupta non fuisset. R. 3. In foro externo tenetur ad id, ad quod eum Judex condemnat, licèt fœmina damnum passa non sit, modò per injuriam & modum injustum extorserit copulam. Tenetur autem Judex, casu quo seducta vel inducta exstiterit virgo, saltem communiter habita pro tali, eum condemnare ad illam vel duceudam vel dotandam, electione penes violatam existente. *c. 1. & 2. de adult.* Quo in casu probabiliter etiam importunæ preces, blanditiæ, & munera æquivalent dolo, ut sat multi DD. colligunt ex verbo *seduxerit* in *d. c. 1.* posito, & ex verbis, *nisi sollicitaverit*, positis in *l. un. §. 2. C. de raptu virg.* Confirmatur ex modo loquendi apud Germanos usitato, qui de illo,

qui

qui per blanditias, preces, vel munera importunè sollicitat puellam ad opus carnale, dicunt, der Schelm hat das Mägdlein verführt. Cæterùm sicut quælibet nunquam nupta in foro externo per se præsumitur virgo, ita & præsumitur dolosè vel injustè seducta. *arg. l. un. ff. 2. cit.*

§ Dico 3. Sponsalia metu gravi injustè incusso extorta probabiliùs valent. Sylv. Tanner. Haun. Wiestner *h. t. n. 257.* Schmalzgrueber *n. 427.* contra Sanch. Pontium, utrumque Barbos. Engel, König, Franc. Schmier, & Conradum Vogler de *Sponsal. d. 5. sect. 5. n. 16.* Probatur negativè, quia ex nullo Jure Positivo (nam spectato Jure Naturali sunt valida) nec ex ulla efficaci ratione evincitur irritatio & nullitas. *Objic.* 1. In *c. 11. de desponsi. impub.* permittitur puellæ, quæ *nolens & invita, & minis parentum*, adeóque metu adacta, contraxit Sponsalia cum puero, alteri nubere etiam non exspectata pubertate pueri: ergo Sponsalibus ita extortis non fuit obligata. 2. Matrimonium gravi metu injustè incusso extortum non valet: ergo nec Sponsalia; quia, quidquid de Matrimonio reperitur in Jure statutum, extendi debet ad Sponsalia. *l. 15. l. 16. ff. h. t.* 3. Ideo Matrimonium ita extortum non valet, quia deficit consensus à Jure requisitus: sed hic etiam deficit in sponsalibus taliter extortis. 4. Si valerent hæc Sponsalia, obligarent ad actum nullum, quia obligarent ad Matrimonium, quod invalidum est, si extorqueatur per metum. 5. Et licèt postea cessaret metus, quando contrahitur Matrimonium, tamen metus, per quem fuerunt extorta sponsalia, in illud ad-

huc

huc influeret; quod enim est causa causæ, e
etiam causa causati.

R. ad 1. Illa permissio Pontificis fuit dispe
satio, & contractæ obligationis relaxatio, atq
Sponsalium rescissio: ergo ex *d. c. 11.* potius in
fertur valor hujusmodi Sponsalium. Ad 2. N
Cons. de Matrimonio exstat clarus textus in *c. 14*
& 15. h. t. quòd sit nullum; non verò de Spo
salibus. Lex autem irritans, utpote odiosa, no
debet extendi à casu expresso ad non expressum
etiam propter paritatem vel identitatem ration
Ad *l. 15. & 16. citt.* dico, universaliter verum no
esse, quòd statutum de Matrimonio debeat exte
di ad Sponsalia, præsertim ubi non reperitur e
dem ratio, uti in casu intervenientis metûs; nam
Matrimonium semel validum non ampliùs pote
rescindi, Sponsalia autem, licèt valent per metum
extorta, possunt rescindi, imò debent, si metum
passus vel instituat *actionem quod metûs causâ*, vel
repellat eum, qui urget executionem Sponsali
um, per *exceptionem quod metûs causâ*: si verò ne
illam nec istam adhibeat, censetur liberè ac spon
te postmodum contrahere Matrimonium; vel, si
duret metus, nulliter exequitur Sponsalia con
trahendo Matrimonium. Ad 3. *N. min.* metus u
ut gravis non tollit consensum absolutè liberum de
Jure Naturali requisitum ad Sponsalia; cùm co
acta per metum voluntas sit & maneat voluntas
l. 21. ff. quod met. caus. quamvis tollat consensum
spontaneum, qui de Jure Positivo ad valorem
Sponsalium non requiritur, licèt requiratur ad va
lorem Matrimonii. *c. 14. & c. 15. citt.* Cæterum
magis est consultum metum passo, si Sponsalia va
leant,

leant, quia, si valeant, habet alterum sibi obligatum ad contrahendum secum Matrimonium, si postea judicet, illud sibi expedire, & contrahere velit; si verò non velit, facilè se potest liberare *actione* vel *exceptione quod metûs causâ.* Si autem non valerent, alterum sibi non haberet obligatum. Ad 4. *N. sequelam*; non enim absolutè obligant ad Matrimonium, & stante metu, sed sub conditione, si metus cessaverit, vel minæ injustæ. Ferè sicut valent sponsalia clandestinè contracta, & obligant ad Matrimonium, non verò clandestinè contrahendum, vel stante clandestineitate. Ad 5. *Negatur*, quòd metus, postquam cessavit, influat adhuc virtualiter & mediatè in Matrimonium; nam sublato metu prorsus sponte ac liberrimè contrahitur Matrimoninm, licèt dependenter à Sponsalibus metu extortis contrahatur, quorum obligatio fuit solùm inefficax, & quasi conditionata. In exemplo: aliquis violentè ligatur vinculis, ut abstrahatur in carcerem; postea verò permittitur sibi vincula detrahere, & lictores abeunt, ipse verò retinet vincula, & abit in carcerem: nunquid talis sponte ac liberrimè retinet vincula & carcerem adit, atque ad hoc non ampliùs influunt priùs injecta vincula?

Dico 4. Sponsalia necessariò debent esse mu- 6
tua promissio, ita ut non valeant, nisi utraque Pars promittat alteri Matrimonium, seu nisi interveniat promissio unius, & repromissio alterius, nec sufficit hujus mera acceptatio promissionis. Communis contra Palud. & Pont. quia Sponsalia imitantur in hoc Matrimonium, & per ea promittitur, quod per Matrimonium traditur, nempe

jus

jus mutuum in corpus: ergo, ſicut Matrimonium non conſiſtit ſine mutuo conſenſu utramque Partem obligante, & claudicare nequit, ita & Sponſalia non poſſunt conſiſtere ſine mutuo conſenſu utramque partem obligante, conſequenter ſine promiſſione mutua, ſeu ſine promiſſione & repromiſſione. Id quod etiam indicat. *l. 1. ff. h.t.* ubi Sponſalia dicuntur eſſe *mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum.* Objic. Siquis gratuitò promittat puellæ Matrimonium, & illa acceptet, non tamen viciſſim repromittat, valet promiſſio, & obligat promittentem ad Matrimonium, quamvis puella non obligetur: ergo valent Sponſalia ſine repromiſſione. R. *N. Conſ.* quamvis enim talis promiſſio acceptata producat obligationem ſimplicem, non tamen parit Sponſalitiam. Id transmitto, quòd ille, qui acceptat hujusmodi promiſſionem, cenſeatur tacitè repromittere, niſi probet nudam acceptationem, & ſibi defuiſſe animum ſe viciſſim obligandi.

7 Dico 5. Per illa *verba* ſufficienter exprimuntur Sponſalia ſeu promiſſio & repromiſſio Matrimonii, quæ juxta communem loquendi uſum aut receptam conſuetudinem ſignificant animum ſe obligandi ad Matrimonium contrahendum, utì ſunt hæc: *promitto tibi Matrimonium: accipiam te: nubam tibi: tu ſis futura mea uxor:* &, ſi præceſſit mentio vel tractatus de Matrimonio, etiam hæc: *non amplius te deſeram,* ich wird dich nit mehr anlaſſen: *fidelis tibi permanebo,* ich wird dir allzeit treu verbleiben: non verò per ſe indicant promiſſionem Matri-

monii

monii verba amatoria, v.g. *tu es mea charissima*, du bist mein Liebste/ *thesaurus meus*, mein Schatz/ *promitto tibi amorem & fidelitatem meam*, ich versprich dir mein Lieb und Treu. Pariter per illa *signa* censentur contrahi Sponsalia & satis exprimi, quæ juxta communem intelligentiam aut consuetudinem loci consensum in futuras nuptias exprimunt, uti subarrhatio, seu immissio annuli in digitum & acceptatio: oblatio & acceptatio munerum, & jocalium: porrectio manuum, Handstreich/ si hujusmodi fiant post prævium tractatum de Sponsalibus vel Matrimonio; quia verba & signa debent accipi juxta communem acceptionem & consuetudinem, nisi aliunde constet de mente opposita. *c. 7. h. t. & c. 6. de V. S.* Si omnibus pensatis maneat dubium, an per verba, vel signa, significetur promissio Matrimonii, & proferens verba, vel ponens signa, neget sibi fuisse animum promittendi, absolvendus est, vel ad summum ei deferendum juramentum purgatorium, cùm Jura sint proniora ad liberandum, quàm ad obligandum. *l. 47. ff. de O. & A.* Si tamen verbis dubiis, vel signis accessit copula carnalis, præsertim repetita, præsumere debet Judex animum sponsalitium. per *c. 6. de condit. appos. & c. 30. h. t.* quia puella paulò honestior non est censenda præbere usum sui corporis, nisi Sponso suo, & sub spe futuri Matrimonii.

Quæres, an Sponsalibus adjici possit *conditio?* R. affirmativè, proin valent etiam inita sub conditione, modò ea sit possibilis & honesta. Communis, & patet ex dictis *ad tit. 35.* 8

de

de Pactis in lib. I. atque patebit ex dicendis *tit. V.* infrà. Nec refert, an conditio sit necessaria vel contingens, de præsenti, præterito, vel futuro; si tamen sit de futuro contingenti, v.g. si pater tuus consentiet, suspenditur obligatio sponsalitia usque ad eventum conditionis; hoc autem secuto, & sic purificata conditione, non sine novo consensu oritur obligatio. per *§. 6. Inst. de V. O.* Si verò adjiciatur *modus*, seu gravamen imponatur uni vel utrique contrahentium, non suspenditur obligatio sponsalitia, ac insuper specialis obligatio inducitur ad præstandum gravamen, seu ad implendum modum, ut si contrahat Sponsalia cum Bertha, *ut* tibi officium impertiret; nam modusexprimitur per particulam *ut*, conditio autem per particulam *si*. Dixi, *modò ea sit possibilis & honesta*; nam si sit *impossibilis*, ut si dicas, contraho tecum, si digitò cœlum tetigeris, vel *turpis*, ut si dicas, contraho tecum, si patrem tuum occîderis, vitiantur Sponsalia, & non obligant, ut cum P. Wiestner *h. n. 30.* & aliis contra plurimos verius esse existimo, & declarabo *tit. V. cit.* non obstante, quòd Matrimonium sub conditione impossibili vel turpi contractum valeat, ac solùm vitietur conditio, & habeatur pro non adjecta. *c. fin. de condit. appos.* quia hujus *capit.* dispositio, utpote exorbitans à Jure Communi & Naturali, ac præcisè in favorem Matrimonii facta, extendi non debet ad Sponsalia, quorum tantus in Jure favor non est, atque Matrimonii. Cœterùm pro conditione impossibili haberi non debet, si personæ impedimentò, in quo dispensari potest & solet, labo-

ran-

rantes ita contrahant, *contraho tecum, si Papa dispensaverit.* Sanch. Palao, Gobat &c. contra graviſſimos Canoniſtas, Hoſt. Panorm. Navar. &c.

Dubitabis, an Sponſalibus rectè apponatur *arrha*, ſeu res quædam à ſponſis, vel eorum parentibus, poſt contractum ſponſalitium data in ſecuritatem futuri Matrimonii? R. omnino. Patet ex *l. 3. & 5. C. h. t.* ſecutô autem poſtea Matrimoniô redit arrha ad dantem ad exemplum Pignoris, quia per modum pignoris datur: vi conſuetudinis tamen manet accipienti. Si verò Matrimonium non ſequatur, tunc intereſt, an propter neutrius culpam non ſequatur, & tunc reſtituenda eſt danti, an propter unius culpam, & tunc, ſi dans commiſit culpam, perdit arrham, ſi accipiens, reſtituere debet duplicatam, vel, ſi ita conventum eſt, in quadruplo, h. e. præter arrham ſimul triplum, v. g. ſi accepit 50. florenos, reddit 200. *l. 3. & 5. citt.* Differt arrha à *Sponſalitia largitate* (quæ etiam dicitur *jocalium, donatio ante nuptias*, vel *Mundus muliebris*) quòd hæc donatio non fiat in pignus futuri Matrimonii, ſed præciſè in ſignum amoris: manétque accipienti, ſi ſequatur Matrimonium: ſi hoc non ſequatur ſine alicujus culpa, reſtitui debet donanti: ſi ex culpa donantis, res donata manet accipienti: ſi ex culpa accipientis, redit ad donantem. *l. 12. 15. 16. C. de donat. ante nupt.* 9

Hærebis, an quoque *pœna*, à reſiliente ſolvenda, adjici poſſit Sponſalibus? R. cum diſtinctione. Si adjiceretur ſub pacto, ut ſolvatur pœna ab eo, qui juſtè reſilit, ſeu juſtam reſi- 10

liendi à Sponſalibus cauſam habet, invalidè ad-
jiceretur, ut plerique conſpirant propter textu
in *c. Gemma. 29. h. t.* Si autem conventum ſ
ut ſolvatur ab illo, qui injuſtè reſilit, proba
liùs rectè apponitur pœna, & valet pactum,
docet Laym. Haun. Gobat, Glettle &c. contra C
var. Sanch. Gonzal. Zœſ. P. Kugler, & plurim
Civiliſtas. Probatur 1. à paritate cum reliq
contractibus, quibus juxta plerosque rectè app
nitur pœna conventionalis ab injuſtè reſilien
ſolvenda. 2. Ex paritate cum arrha quadrup
cata, quæ juxta omnes quoad triplum habet rati
nem pœnæ, & tamen adjici per conventione
poteſt contra injuſtè reſilientem. 3. Ex eo, qu
talis pœna ſerviat ad impediendum peccatum inj
ſti receſsûs à Sponſalibus, quæ Sponſi tenent
exequi Jure Naturali & Poſitivo, niſi ambo diſſo
vere velint mutuo conſenſu.

Objic. 1. Leges illimitatè vetant ſponſalibus ap
poni pœnam conventionalem, utì colligitur ex *l.*
& 5. C. h. t. & c. Gemma. cit. ergo nec injuſtè re
ſiliens ad illam obligari poteſt. 2. Matrimoni
debent eſſe liberrima: ſed libertati præjudic
pœna conventionalis: ergo. ℟. ad 1. Leges C
viles in hac materia Sponſalium, quæ ſunt fo
Eccleſiaſtici, non ſunt curandæ: deinde, licèt ex
plicitè non faciant diſtinctionem inter juſtè & in
juſtè reſilientem, reipſa tamen videntur intelligen
dæ eſſe de Sponſalibus, à quibus juſtè & licitè re
ſiliri poteſt. In *c. Gemma cit.* ſatìs id clarum eſt,
quia loquitur de caſu, quo cum puella nondum ſe
ptenni invalidè ſunt inita Sponſalia, aut, licèt vali
dè fuiſſent inita, tamen adveniente pubertate ju

reſi-

resiliendi locum habuisset: ergo ibi reprobatur pœna solùm pro casu, quo justè resiliens eam solvere deberet. Ad 2. *dist. ma.* debent esse liberrima à metu injusto. *C. ma. justo. N. ma.* metus pœnæ, quam injustè resiliens debet solvere, justissimus est. Imò hic metus non obest libertati ad Matrimonium, quia sponte contrahens sponsalia sub pœna conventionali sibi ipsi jam antecedenter ademit moralem libertatem, seu jus resiliendi sine justa causa.

Dico 6. Contrahere Sponsalia possunt om- 11
nes, impedimentô carentes. 2. Etiam per procuratorem, vel proxenetam, Unterhändler. 3. Imò & parentes pro liberis, præsentibus & tacentibus, etiam sine mandato, vel alio signo sui consensûs dato à liberis. Pars 1. est indubitata ex Jure Naturali & Positivo, libertatem omnibus indulgente ad Matrimonium, per quod propagatur genus humanum. Quin etiam cum impedimento dirimente, ut est consanguinitas &c. vel impediente, ut est votum simplex castitatis, contrahi possunt Sponsalia, non quidem absolutè, sed conditionatè, *si Papa dispensaverit*, & impedimentum fuerit sublatum. Pars 2. patet ex *c. fin. de procurat. in 6. & c. 68. de R. J. in 6.* ibi: *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* Necesse tamen est, ut procurator habeat mandatum speciale ad contrahendum cum persona determinata, idque exequatur per se ipsum, & ut mandatum nec tacitè nec expressè sit revocatum, dum actu contrahit loco Principalis. *c. fin. cit.* Pars 3. liquet ex *c. un. §. porro. de despons. impub. in 6.*

Objic. 1. In aliis negotiis procurator validè

dè procedit, licèt mandatum sit revocatum, mod
revocatio nondum sit intimata procuratori. *l.* 1
ff. mand. Clem. un. de renunt. ergo etiam in nego
tio Sponsalium, quod tamen nos videmur negar
2. Nemo potest stipulari alteri, ut habet commu
nis regula, seu alterum obligare alteri: ergo n
que parentes obligare liberos præsentes & tace
tes ad Matrimonium cum aliis contrahendum.
Sponsalia requirunt verum & proprium seu pe
sonalem consensum. *can. 2. caus. 27. q. 2. l. 4. f*
h. t. sed silentium & taciturnitas liberorum no
est proprius, & verus, sed solùm præsumptus co
sensus, & à parentibus positus; *qui* enim *tace*
non fatetur. c. 44. de R. J. in 6. Et quamvis, q
tacet, consentire videatur, ut ait *c. 43. eod.* i
tamen non procedit, quando agitur de præjud
cio, vel de obligatione imponenda. 4. Si pa
rentes nomine liberorum tacentium validè con
trahunt Sponsalia, etiam tutor pro pupillo co
trahet validè, imò & frater pro sorore tacente, u
est casus in *c. 1. de Matrim. contracto contr. in
terd. Eccles.* Sed utrumque communiter negatu
à DD. ergo. R. ad 1. *N. cons.* propter expressum
textum *c. fin. cit.* & quia in aliis negotiis Jus Hu
manum supplere potest voluntatem contrahentis,
non verò in Sponsalibus, ad Matrimonium, quod
exigit individuam vitæ societatem, obligantibus.
Ad 2. In Sponsalibus, quæ parentes contrahunt
pro liberis tacentibus, datur specialis exceptio
in *c. un. cit.* Ad 3. Pro hoc casu secundùm di
cta sufficit consensus ex taciturnitate præsumptus.
Interim tamen, si liberi revera non consenti
rent, adeóque foret consensus *merè* præsumptus,

vel

verè non existens, is non sufficeret re ipsa, licèt pro foro externo præsumeretur tamdiu, donec liberi probarent aliquo indicio, vel saltem juramentô, suum dissensum. Ad 4. Negatur sequela, quia de tutore & fratre loco pupilli vel sororis præsentis & tacentis Sponsalia contrahente non exstat Juris Positivi dispositio, bene tamen de parentibus, patre vel matre, quæ dispositio si abesset, etiam negarem valida contrahi Sponsalia ab his nomine liberorum, utpote quæ inducunt obligationem personalem ad statum tam difficilem, atque ideo proprium personalem ac naturalem consensum videntur requirere.

Quæres, an licitè, vel saltem validè, Sponsa- 12
lia contrahant liberi sine consensu parentum? Et an Catholicus cum Hæretica, aut viciſſim? R. ad 1. Validè quidem contrahunt, ut habet communis Catholicorum contra Hæreticos ex clara decisione Trid. *ſ. 24. c. 1. de ref. Matrim.* ubi etiam Matrimonium sine consensu parentum initum sustinetur; cùm electio statûs debeat esse liberrima, & independens ab aliena voluntate. Nec attendi in hac materia spirituali debet. *l. 7. ſ. 1. ff. h. t.* ad valorem requirens consensum parentum, in quorum potestate sunt liberi. Excipitur tamen casus, quo Matrimonium ipsum licitè non possent sine consensu parentum contrahere liberi; quia obligatio ad illicitum implicat. Regulariter tamen illicitè contrahunt sine consensu vel saltem consilio parentum; quia ex præcepto quarto Decalogi tenentur liberi revereri suos parentes, & iis obsequi, consequenter in re tam gravi eorum consensum vel consilium petere, imò,

nisi absque justa causa negent parentes consensum, etiam eorum voluntatem sequi; probabiliter tamen solùm venialiter peccant non sequendo, nisi prævideant gravem illorum Tristitiam. Ad 2. Sponsalia Catholici cum Hæretica, vel viciſſim Catholicæ cum Hæretico, ordinariè non solùm illicita sunt graviter, sed etiam invalida. Azor, Sanch. Sporer, Gobat. *tr. 9. n. 21.* Ratio est, quia tale Matrimonium ordinariè est graviter illicitum, ut videbimus infra *n. 44.* ergo si Sponsalia valerent, deberent ligare ad illicitum, quod repugnat. *c. fin. de Pact. & c. 18. de Jurejur.* Valere tamen possent ut conditionata, si matrimonium inirentur sub expressa vel tacita conditione hac, *si pars hæretica se converterit ad fidem Catholicam ante contractum Matrimonialem.*

13 Dico 7. Sponsalia producuut obligationem Justitiæ, gravem per se, ad contrahendum suo tempore Matrimonium cum persona, cui promissum est. *can. 27. 47. 50. caus. 27. q. 2. c. 10. & c. h. t.* quia sunt contractus onerosus ac reciprocus, & quidem circa materiam gravem. Quia veri sponsi nihil aliud sibi solent promittere, quàm Matrimonium, ideo, si fornicantur cum aliis, probabiliùs non fiunt rei quasi-adulterii, nec in Confessione necessariò aperienda est circumstantia sponsalium cum alia persona jam initorum. *Objic. Alii desponsatæ renuntiare conditioni, & nubere alii non prohibentur,* ait *l. 1. C. h. t.* ergo saltem fœminis desponsatis licitum est à Sponsalibus recedere, ac alteri nubere. R. Jus Civile in materia sponsalium non debet attendi, sed Jus Canonicum, & Naturale; quia referuntur & sunt via ad Ma-

Matrimonium, quod, utpote in nova Lege Sacramentum, est aliquid spirituale. Dein Jus Civile non intendit tollere obligationem naturalem omni contractui oneroso communem, sed solùm pro foro externo recedentes à Sponsalibus absolvit à pœna.

Quæres, quando implenda sint Sponsalia per contractum Matrimonialem? R. cum distinctione: si tempus aliquod seu dies executioni sit præfixa, statim sunt implenda adveniente die, nisi justa causa indulgeat moram. Si verò certum tempus non est præfixum, quamprimum alterutra pars exigit, & justa causa non impedit. Plerique omnes ex *c. 10. h. t. l. 23. ff. de O. & A. l. 41. ff. de V. O.* Probabiliùs tamen, si dies non est præfixa, non stringit obligatio exequendi, quamdiu neutra pars exigit impletionem, licèt commodè Matrimonium posset contrahi. Sanch. Diana, P. Kugler *de Sponsal. p. 2. n. 6.* contra Pont. Palao, Reiffenstuel *h. à n. 143.* Probatur tum *ex l. 10. C. de Pignor.* ubi datur hæc generalis regula: *debitores præsentes priùs denuntiationibus conveniendi sunt*, seu priùs interpellandus est debitor ad faciendum, ad quod se obligavit: tum ex præsumpto in dilationem consensu, quem indicat silentium sponsi vel sponsæ. Si tamen compars esset in periculo incontinentiæ, aut ex verecundia vel metu reverentiali non auderet petere executionem seu impletionem Sponsalium, per accidens urgeret obligatio statim implendi, licèt expressè non peteretur impletio. *Objic. l. 41. tit.* & in *l. 14. ff. de R. J.* sic habetur: *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur:* ergo prima op-

14

portunitate impleri debent Sponsalia, licèt compars non petat. Ferè sicut votum, cui dies non est præfixa, statim & prima occasione impleri debet. R. Debetur quidem præsenti die, seu jam datur obligatio implendi, sed non pro præsenti die, seu statim implendi comparte non urgente. Cum voto non est paritas, quia ejus impletionem DEUS nunquam expressè solet exigere, & ideo censetur exigere statim pro prima occasione.

15 Sed quid Juris, si sponsus vel sponsa convento tempore, vel ad instantiam compartis, absque justa causa renuat implere sponsalia contrahendo Matrimonium, vel huic ponat impedimentum? R. rursus cum distinctione. Si pars altera adeat Judicem, qui debet esse Ecclesiasticus, & petat renuentem compelli ad executionem Sponsalium, vel ad satisfactionem aliam pro injuria, aut damno illato, aut pro cessione juris, jam quæsiti, refusis etiam expensis litis, potest & tenetur Judex, si prævia monitio non sufficiat, illum compellere ad ineundum Matrimonium per competentia Juris media, v. g. per incarcerationem, comminationem censurarum, vel per actualem excommunicationem; si autem majoris mali aut infausti Matrimonii periculum hæc dissuadeat, vel pars altera velit esse contenta satisfactione pecuniaria, ad hanc secundùm æquitatem & circumstantias condemnare Reum. Communis apud P. Kugler *p. 1. q. 5. n. 70.* & Gobat *tr. 10. cas. 4. & 6.* desumpta ex *c. 2. 10. 17. h. t. c. 1. & 3. de Pact. c. fin. de Injur.*, Trid. *s. 25. c. 3. de ref.* suffragante Praxi. Si verò non adeat Judicem, renuens tenetur nihilominus in conscientia ad

im-

implenda Sponsalia, vel ad æquam satisfactionem pecuniariam, prout petierit Pars contempta vel repudiata; sic enim exigit Jus Naturale, & Justitia Commutativa.

Dico 8. Alter effectus, quem producunt Sponsalia validè & absolutè contracta, est impedimentum publicæ honestatis, vi cujus validum contrahi Matrimonium cum certis consanguineis sponsi vel sponsæ deinceps non potest. *can. 11. 14. 15. & c. caus. 27. q. 2. c. 4. 8. x. c. un. h. t. in 6. c. 4. de desponsi. impub.* & Trid. *s. 24. c. 3. de ref. Matr.* Hæc igitur *Justitia* seu *Impedimentum publicæ honestatis* est quædam quasi affinitas ex inchoatione Matrimonii per conjunctionem non corporum (ut fit in vera affinitate) sed animorum orta, & conjugio cum ipsorum consanguineis obstans; quia, sicut inhonestum est jungi Matrimonio cum consanguinea ejus, cui ipse erat priùs conjunctus corpore per copulam carnalem, & fructus verè affinis, ita inhonestum quoque visum est Pontificibus jungi Matrimonio cum consanguinea ejus, cui quis animô per promissionem Matrimonii priùs erat conjunctus. Quæ conjunctio cùm arctior sit ex Sponsalibus de præsenti, seu ex Matrimonio Rato, etiam ex hoc inducitur impedimentum publicæ honestatis, ut notant comunissimè DD. extendendo dictos canones, de quo infrà §. 4. Hìc autem agimus de eo, quod oritur ex Sponsalibus de futuro, de quo Dixi 1. *validè contracta*, quamvis enim de Jure Antiquo *c. un. cit.* &c. publica honestas etiam orta fuerit ex Sponsalibus invalidis, modò non fuerint invalida propter defectum consensûs; Trid. tamen illam oriri noluit ex 16

Sponſalibus de futuro (de ea enim, quæ oritur ex Sponſalibus de præſenti, nihil immutavit) *quacunque ratione* invalidis. Dixi 2. *abſolutè*; ſi enim conditionatè ſunt inita Sponſalia, non oritur hoc impedimentum ante eventum conditionis, bene tamen poſtea. *d. c. un. §. ille verò.* Dixi 3. *Validum contrahi Matrimonium* &c. adeóque hoc impedimentum eſt *dirimens*, ut vocatur. Dixi 4. *deinceps*; nam hoc impedimentum eſt perpetuum, & non tollitur, licèt ſponſalia diſſolvantur, etiam mutuo conſenſu. per *can. 11. & 14. citt. c. 5. de deſponſ. Impub. & declarat. Cardd.* de anno 1658. approbatam ab Alex. VII. qui teſte Gob. & Fagn. juſſit hanc doctrinam non ampliùs revocari in dubium. Dixi 5. *cum certis conſanguineis*, & quidem hodie poſt Trid. *lo. cit.* ſolum in primo gradu, ut adeò ſponſus ſolùm cum matre, ſorore, & filia ſuæ ſponſæ Matrimonium contrahere nequeat. Quia verò Trid. loquitur ſolùm de impedimento publicæ honeſtatis orto ex Sponſalibus de futuro, DD. paſſim inferunt, illud, quod oritur ex Sponſalibus de præſenti, hodiedum adhuc usque ad quartum gradum dirimere Matrimonium cum conſanguineis ſponſæ.

Objic. 1. Impedimentum publicæ honeſtatis fundatur in mutuo conſenſu Sponſalia contrahentium: ergo mutuo conſenſu, quo diſſolvuntur Sponſalia, ſublato tollitur quoque ipſum. *arg. c. 1. & l. 35. ff. de R. J.* per quas enim cauſas aliquid fit, per easdem & diſſolvitur. 2. Siquis priùs cum Bertha contraxiſſet Sponſalia de futuro, ac poſtea cum Caja illius ſorore Sponſalia de præſenti, non poſſet ampliùs contrahere Ma-

Matrimonium cum Bertha, si ex Sponsalibus de præsenti, non ob consensûs defectum invalidis, oritur impedimentum publicæ honestatis, ut nos diximus: sed hoc est falsum: ergo. R. ad 1. Fundatur in mutuo consensu per accidens & ex dispositione Ecclesiæ, non per se & ex natura rei: vel fundatur *in fieri*, at non *in conservari*, in mutuo consensu. Ad 2. *N. ma.* quia per Sponsalia etiam de præsenti invalidè inita non tollitur valor priorum Sponsalium de futuro: neque impedimentum publicæ honestatis agit retro (sicut retro agit affinitas) h. e. non dirimit Sponsalia jam priùs inita, sed solùm ineunda, ut habet textus in *d. c. un. ad impediendum vel dirimendum sequentia Sponsalia, vel Matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum.*

Dico 9. Sponsalia semel validè contracta iterum dissolvi possunt variis modis, qui ad duas classes referuntur. *Prima* est, si *ipso Jure*, & ex utraque parte dissolvantur, utì contingit 1. per mutuum consensum, vel potiùs dissensum, licèt Sponsalibus accessisset juramentum, aut fornicatio. 2. Per dissensum unius pubertatem adepti, si impubes contraxit: de quo *tit. seq.* 3. Per impedimentum Matrimonii superveniens, sive illud sit *dirimens*, quo stante Matrimonium validè non potest contrahi, utì est Affinitas, Professio Religiosa, susceptio Ordinis Sacri &c. sive *impediens*, quo stante solùm illicitè contrahitur Matrimonium, utì est votum Religionis ingrediendæ; an verò per actuale Matrimonium cum alia penitus solvantur sponsalia priora, item an per sponsalia posteriora, quibus accessit copula, & an per votum simplex castitatis, 17

tis,

tis, dicemus ad *tit. de Sponſa duorum*, & ad *tit. Qui Clerici vel vov.* Cœterùm qui culpabiliter poſuit impedimentum executioni Sponſalium, in quo diſpenſari ſolet, tenetur ſuis ſumptibus regulariter diſpenſationem petere, ſi Pars altera exigat. 4. Per lapſum temporis, quod eſt præfixum obligationi finiendæ; quia *contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur. c. 85. de R. J. in 6.* Si tamen ex cauſa unius tantùm, vel ex mora etiam inculpabili unius non ſecutum eſt præfixo tempore Matrimonium, ſolvuntur ſponſalia ſolùm ex parte unius, nempe culpam vel moram non committentis. *c. 22. h. t.* ubi ſolùm ille dicitur liberari, penes quem *non ſtetit, quin ad ſtatutum terminum Matrimonium conſummaverit*, h. e. contraxerit. Dixi, *quod eſt præfixum finiendæ obligationi*; ſi enim certum tempus ſit præfixum obligationi implendæ, ſeu ulteriùs non differendæ, ac per modum termini, à quo incipiat obligatio in actu ſecundo, v. g. ſi ſponſi ſibi promitterent Matrimonium intra annum, vel ſequenti Paſchate contrahendum, elapſo hoc termino non finiretur obligatio, ut habet communis ex *c. 6. de dolo.* quia obligatio, quæ ſtatuto tempore impleta non eſt, non ceſſat, ut ſi hoc anno ſolviſti annuos cenſus, non liberaris ab obligatione ſolvendi deinceps.

18 *Altera* claſſis eſt, ſi diſſolvantur Sponſalia non ipſo Jure, ſed *per reſciſſionem*, & *receſſum*, vel liberam voluntatem unius, cui datur juſta cauſa reſiliendi, licèt poſſet non reſilire, & altera Pars maneat obligata, quamdiu innocens non actu reſilierit. Sic ſolvuntur vel ſolvi poſſunt Sponſalia 1. propter dolum accidentalem antecedentem

unius

unius in contractu sponsalitio commissum. 2. Propter votum simplex castitatis, cœlibatûs, vel SS. Ordinum, post sponsalia ab altera Parte editum. 3. Propter sponsalia licèt invalidè ab altera Parte contracta cum alia persona. 4. Propter ingressum in Novitiatum Religiosi Ordinis: quo casu probabiliùs non quidem liberatur ingressus, sed solùm remanens in sæculo; quamvis enim licitè ingressus sit Novitiatum, censetur tamen renuntiâsse sponsalibus, quam proin renuntiationem acceptare potest, si velit, remanens in sæculo, & alteri nubere: quòd autem ingressus non liberetur ante Professionem, indè colligitur, quia nec ex natura rei nec ex dispositione Juris hæc liberatio probatur. 5. Propter discessum unius ex sponsis, inscia vel invita altera Parte, in alienas terras animô mutandi domicilium, vel si spes non sit eum brevì rediturum: propter absentiam vel dilationem executionis sponsalium nimis diuturnam. text. & DD. *in c. 5. h. t.* Interim tamen requirendus foret absens, de cujus animo domicilium mutandi, vel brevì non revertendi, non satis constat, per litteras, ut redeat & Sponsalia impleat, & tunc, si requisitus implere recuset, vel si præsens ad implendum requisitus tergiversetur & moras nectat, integrum erit resilire, & alteri nubere. 6. Propter fornicationem unius, Sponsalia subsequentem. *c. 25. de Jurejur.* quia *frangenti fidem fides frangatur eidem,* ut habet axioma. Idem est de fornicatione spirituali, seu de lapsu unius in hæresim. per *c. 5. de divort.* 7. Propter fornicationem sponsæ, etiam Sponsalia præcedentem, à sponso tamen ignoratam,

po-

postea verò cognitam; quia in Jure paria sunt aliquid ignoranter præcedere, & supervenire. per *c. 4. de Except. & l. 77. ff. de contr. empt.* quod tamen (saltem pro foro externo) juxta communem non procedit in casu, quo sponsus ante sponsalia inita fornicatus est cum alia; eò quòd sit dispar ratio, & sponsus fornicatus in æstimatione morali non censeatur reddi tam vilis, sicut sponsa fornicata, neque tam probrosum ac difficile sit sponsæ, si ducat virum corruptum (saltem nisi sæpius sit fornicatus, vel prolem jam habeat) quàm sponso, si ducat sponsam ab alio corruptam. Si verò utraque Pars post jam inita Sponsalia fornicatur cum aliis, valde discrepant DD. quorum aliqui facultatem resiliendi tribuunt utriquè, quia utraque violavit datam fidem, alii autem neutri, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur. *l. 10. ff. de compensat. c. 6. de adult.* Alii demum & fortè probabiliùs indulgent licentiam resiliendi sponso non verò sponsæ, eò quòd duplex causa resiliendi reperiatur in fornicatione, Sponsalibus superveniente, scilicet violatio fidei, quæ in hoc casu datur ex utraque Parte, & sic neutra alteri quidquam objicere potest, vel propterea resilire, ac insuper specialis turpitudo in personam fornicantem redundans; sed hæc est major in sponsa, quàm in sponso, ut insinuatum jam est.

19 8. Denique propter quamcunque notabilem mutationem, physicam vel moralem, uni ex sponsis supervenientem, quæ nimirum sit tanta, ut si fuisset prævisa, Sponsalia non fuissent contracta. per *c. 25. cit.* quia hæc censentur habere

sem-

semper hanc imbibitam conditionem, *nisi notabilis mutatio intervenerit: si res in eodem statu permanserint.* Talis mutatio foret, si alterutra Pars incideret in lepram, paralysim, luem Gallicam, perpetuam oris graveolentiam, vel in alium morbum difficulter curabilem: si amitteret oculum, nasum, pedem, manum &c. si sponsa notabiliter fieret deformior in facie: si sponsus evaderet moribus asper & crudus, ebriosus, prodigus, aleator, vagabundus: si alteruter committeret crimen grande, ex quo oritur infamia Juris aut Facti: si incideret in magnam paupertatem, vel debita &c. si inter sponsorum parentes aut consanguineos oriantur graves lites, aut ex nuptiis orituræ prævideantur, nec spes sit reconciliationis. Duo tamen hìc notare adhuc juvat. 1. Quòd non minùs resilire liceat, si talis circumstantia vel qualitas antecesserit Sponsalia, at tunc ignorata, sed primùm postmodum cognita, quæ, si cognita fuisset, sponsalia non fuissent contracta, quàm si supervenerit; quia paria sunt aliquid supervenire, & ignoranter præcedere: non esse, & non apparere, esse & apparere; *c. 4. & l. 77. citt.* cùm censeatur res fieri tunc, quando innotescit. 2. Quôd facultas resiliendi detur solùm personæ, quæ mutationem non est passa, non verò alteri, penes quam secuta est mutatio; si proin non mutata velit adhuc Matrimonium contrahere cum mutata, potest, & mutata tenetur contrahere cum illa. Et hinc sponsus, cui supervenerunt notabiles divitiæ, vel nobilitas, non potest resilire, nec sponsa, cui parentes minitantur exhæredationem usque ad legitimam, si du-

cat

cat Titium pauperem, si priùs scivit esse talem.

20 *Objic.* 1. Sponsalia non claudicant, sed essentialiter sunt mutua, ut *n. 6.* docuimus: ergo non possunt dissolvi ex una tantùm Parte. 2. Si dolus accidentalis in contractu sponsalitio committitur dat causam resiliendi decepto, tunc contrahere volens sponsalia tenetur manifestare suum defectum occultum, propter quem non contraheret secum altera Pars, si illum sciret: sed hoc est nimis difficile, & contra praxim quotidianam: ergo. 3. Sponsus ante inita Sponsalia fornicatus cum alia meritò suspectus est de non servanda fide thori in subsecuto Matrimonio: ergo etiam sponsa justam resiliendi causam habet propter fornicationem sponsi sponsalia antegressam, & postea primùm cognitam. 4. In *c. 25. cit.* sic dicitur: *siquis juraverit, se ducturum aliquam in uxorem, non potest opponere fornicationem precedentem, sed subsequentem:* ergo neque sponsus repudiare potest sponsam propter fornicationem, sponsalia antegressam, ac posteà detectam. 5. Si uterque conjunx committat adulterium, neuter potest instituere divortium. *c. 6. de divort.* ergo etiam, si uterque sponsus post Sponsalia fornicetur, neuter, adeóque nec sponsus potest resilire. 6. Si fornicatio post sponsalia est sufficiens causa innocenti ad resiliendum, etiam erunt oscula & tactus impudici admissi vel exerciti cum alia persona: sed hoc videtur falsum.

R. ad 1. *dist. ant.* non claudicant initio, dum fiunt. *C. ant.* in conservari. *N. ant. & conf.* Ad 2. *dist. ma.* tenetur manifestare suum defectum

fectum occultum, qui foret alteri noxius, vel Matrimonium redderet notabiliter difficilius, utì est lepra, morbus Gallicus, infamia, imprægnatio ab alio &c. vel deberet à contractu abstinere. *Conc. ma.* defectum, qui notabile damnum vel molestiam alteri Parti non allaturus creditur, præsertim si sine probro suo manifestare non potest. *N. ma.* Sic fœmina non tenetur prodere suam fornicationem cum alio habitam sine imprægnatione, paupertatem, leves defectus corporis, vel animi &c. partim quia sic fert usus, in tacita hominum conventione fundatus, nec infertur per hoc alteri Parti injuria, cùm eidem simile jus competat non manifestandi suos defectus, vel, si infamia metuatur, etiam celandi, sine mendacio tamen; partim quia Pars decepta sibi imputare debet, quòd non fuerit accuratior. Ad 3. *N. ant.* saltem si non frequenter sit fornicatus. Ad 4. Ille textus intelligendus est, de fornicatione præcedente, quam sponsus jam scivit tempore Sponsalium, ut notat Glossa *v. præcedentem.* Ad 5. Inter utrumque conjugem adulterantem, & inter utrumque sponsum fornicantem, est quidem paritas in eo, quòd utrobique neutra Pars possit agere ad divortium, vel ad rescissionem, ratione violatæ fidei, quia utraque Pars violavit; disparitas tamen est in eo, quòd conjugium non sit rescindibile, sponsalia verò sint rescindibilia; & ideo non malè permittitur rescissio sponsalium sponso propter aliam causam, nempe ob majorem turpitudinem, quæ sponsæ fornicanti, quàm sponso fornicanti, inuritur. Ad 6. *dist. ma.* cum communi contra Palao & P. Schmier

etiam oscula & tactus impudici erunt causa resiliendi respectu sponsi contra sponsam talia admittentem. *C. ma.* Respectu sponsæ contra sponsum saltem, si non frequenter talia exerceat, ut meritò reddatur suspectus de violanda suo tempore fide conjugali. *N. ma.* Ratio disparitatis est iterum; quia tantum dedecus & vilitas non redundat in sponsum ex hujusmodi actibus, quantum in sponsam.

21 Quæres, an sponsi propria auctoritate possint resilire à Sponsalibus, si subsit aliqua causa ex prædictis? Et quomodo constare debeat de causa? R. ad 1. Si Sponsalia sint clàm contracta, & causa dissolvendi sit occulta: item si Sponsalia sint quidem publicè contracta, causa tamen recedendi sit pariter publica & notoria, non opus est authoritate Judicis Ecclesiastici; quia ex nullo Jure (saltem Communi) id reperitur cautum, & nullum ex tali dissolutione oritur scandalum. Idem est, si mutuo consensu velint sponsi recedere à Sponsalibus. Interim tamen in quibusdam Diœcesibus, uti in Constantiensi & Frisingensi, prohibitum est dissolvere Sponsalia publicè inita, vel postmodum publicata, sine prævia cognitione Judicis Ecclesiastici de causa. Si verò causa resiliendi sit dubia, debet accedere authoritas Judicis Ecclesiastici; quia vi contractûs sponsalitii quilibet sponsus est in possessione juris acquisiti: in dubio autem nemini licet propria authoritate alterum de turbare de sua possessione juris sui. R. ad 2. Requiritur plena probatio, saltem pro foro externo, pro quo regulariter toties necessaria est plena probatio, quoties agitur de præjudicio tertii. *c. 23.*

de

de testib. l. 9. C. eod. Excipitur tamen casus, quo causa resiliendi est impedimentum Matrimonii, vel dirimens, ut affinitas &c. vel impediens, uti votum castitatis Sponsalia antecedens &c. tunc enim sufficit semiplena probatio. *c. 22. eod. c. 12. h. t.* quia agitur de periculo animæ, & de vitando peccato.

Objicies 1. Ex *can. 1. caus. 33. q. 2. c. 12. de desponsi. impub. c. 3. de divort.* eruitur, quòd requiratur auctoritas Ecclesiæ ad dissolvenda sponsalia: ergo. 2. Ad dissolvendum Matrimonium non sufficit unus testis, deponens de impedimento dirimente. *c. 47. de testib. c. 1. de consang. & affinit.* quamvis etiam agatur de vitando peccato: ergo nec sufficit unus testis ad dissolvenda Sponsalia, licèt pro causa allegetur impedimentum Matrimonii dirimens. R. ad 1. *N. ant.* quia allegata Jura non de Sponsalibus de futuro loquuntur, sed de Matrimonio jam contracto, quod ex natura sua est indissolubile. Ad 2. *N. Cons. & parit.* quia, quando impugnatur Matrimonium, impugnatur vinculum de se indissolubile, & simul jus alterius non modò quæsitum, sed jam actualiter etiam possessum: si autem agatur ad dissolvenda Sponsalia, multis modis dissolubilia, per quæ nondum est jus in re quæsitum, multò minùs possessum, aliter est discurrendum; quia sic evitari potest peccatum sine læsione juris realis jam possessi.

§. II.

De Matrimonio.

Matrimonium duobus modis accipi potest. 22.
1. præcisè pro *contractu Civili*, quo inter vi-

rum & mulierem mutua potestas traditur in or
dine ad copulam conjugalem, per se aptam a
generationem prolis, & ad vitæ communis con
sortium; cujusmodi fuit in Antiquo Testamento
& hodie inter Infideles, seu non-Christianos,
atque definitur ex §. 1. *Inst. de patr. pot. & l.*
ff. de ritu nupt. quòd sit *conjunctio maris & fœmi*
næ, individuam vitæ consuetudinem continens. h.e.
Contractus legitimus, quo mas & fœmina nullo Jur
impediti mutuò sibi tradunt jus in corpora ad actu
ex se aptos ad generationem prolis, & ad indi
duam vitæ societatem se obligant. 2. Prout ille
contractus *Sacramentum* est, seu ad rationem Sa
cramenti à Christo elevatus (ut constanter docui
Ecclesia, & definitum in Florentino ac Tridentino
Concilio) probabiliter per illa verba *Matth. 19.*
quod Deus conjunxit, homo non separet, nimirum
propter significationem conjunctionis Christi
cum Ecclesia, quam Matrimonium Christianorum
significat juxta illud *Eph. 5. Sacramentum hoc ma*
gnum est, ego autem dico, in Christo & Ecclesia.
Atque in hoc sensu acceptum Matrimonium pa
titur paulò allatam definitionem posteriorem ma
gis accuratam, adjectis tamen his verbis: *ex insti*
tutione Christi collativus gratiæ. In utraque hac
acceptione Matrimonium sumitur activè, formae
liter, & in fieri, vocatúrque etiam *Connubium,* ac
subinde etiam *nuptiæ:* si autem sumatur pro actua
li societate viri ac fœminæ, resultante ex præce
cto contractu, seu pro statu permanente, accipi
tur passivè, objectivè, & in facto esse, vocatúrque
etiam *Conjugium,* vel *Consortium.* In nulla ac
ceptione ad essentiam suam requirit actualem co

pu-

pulam carnalem, seu concubitum. *can. 5. caus. 27. q. 2.* nam *nuptias non concubitus, sed consensus facit. l. 30. ff. de R. J.*

An verò Matrimonium contrahi possit sub conditione servandæ castitatis perpetuæ, quale probabiliter fuit inter B. Virginem & S. Josephum, vel sub pacto de nunquam petendo & reddendo debito conjugali, controversum est inter DD. Ego affirmativam defendi in *meo Candidato* ut probabiliorem, quia per contractum Matrimonialem videtur tradi posse solummodo jus remotum, & contrahi obligatio remota ad usum corporis seu ad actum conjugalem, vel in actu primo, sine jure proximo & obligatione proxima atque actu secundo, scilicet sic contrahendo, *do tibi, & accepto jus corporis ad usum conjugalem, nolo autem usum corporis:* vel sic: *volo retinere jus, & me obligo ad copulam: sed copulam nolo.* Adde, quòd in nullo contractu usus rei sit de essentia contractûs. Accedit, quòd honestè possit intendi Matrimonium præcisè *ut Ratum. arg. c. 16. h. t.* Et nunquid valet Matrimonium, quod contrahitur cum animo ingrediendi Religionem ante consummationem? Omnino; id enim SS. Canones permittunt disertè: ergo jus proximum ad copulam non traditur, nec obligatio proxima ad illam contrahitur, sed solùm remota: cur ergo dictus animus non posset in pactum deduci; cùm pactum excluderet solàm consensum in copulam, quem etiam excludit dictus animus & propositum? Pariter controversum est, an Fideles possint contrahere Matrimonium validum præcisè in ratione

contractûs, positivè exclusa ratione Sacramenti. Ego ibidem pariter affirmavi cum Scoto, Pontio, Vasq. Gobat &c. contra valde communem; quia intentio faciendi, quod Christus instituit, in confectione Sacramentorum omnino necessaria est juxta Conc. Florent. & Trid. *ſ. 7. can. 11. de Sacram. in genere.* nec sufficienter probatur, rationem Sacramenti à Christo inseparabiliter superadditam esse contractui Matrimoniali.

23 Porro *causa efficiens remota* Matrimonii est DEUS ut Auctor Naturæ, qui illud jam in Paradiso instituit tanquam medium, per quod naturali ratione propagaretur genus humanum; qua Sacramenti autem Christus. *Causa proxima* sunt contrahentes, qui quoque ejus, ut Sacramentum est, sunt *Ministri*, non Sacerdos assistens; quia illi ponunt materiam & formam: siquidem *materia remota* sunt corpora contrahentium, ad generationem prolis idonea; *proxima* verò mutua traditio & acceptatio juris in corpora, non realis, sed consensualis, seu ipse contractus; *forma* autem est consensus mutuus quà expressus per signum sensibile, scilicet vel per verba, ut sunt hæc, *ego te accpio in meam; ego te accipio in meum. c. 31. h. t.* vel per nutum, aut scripturam, vel per porrectionem manûs, aut acceptationem annuli &c. modò ex circumstantiis & intentione contrahentium significent traditionem mutuam juris in corpora. *Causa finalis* est procreatio prolis, & secundariò remedium concupiscentiæ. *Effectus* est conjunctio animorum ad mutua obsequia & officia conjugalia, ac perpetua societas vitæ, seu indissolubilitas,

tas, item, cùm hodie sit Sacramentum, gratia supernaturalis, tum sanctificans, quæ per se augetur in subjecto capaci, tum actuales, seu auxilia ad faciliùs perferenda Matrimonii onera.

Matrimonium primariò dividitur in Legitimum, Ratum, & Consummatum. *Legitimum* est, quod præcisè juxta leges Naturales & Civiles contrahitur, absque hoc, quòd ab Ecclesia ratum habeatur, aut Sacramentum sit, quale est apud non-Christianos. *Ratum*, quod inter Christianos ac Fideles juxta Leges Ecclesiasticas ritè contrahitur, atque ideo ratificationem Ecclesiæ, & rationem Sacramenti habet, cui tamen necdum accessit commixtio corporum, seu copula carnalis. *Consummatum* denique, cui talis copula accessit, eáque perfecta & talis, quæ per se sit apta ad generationem prolis, licèt hæc per accidens, v. g. propter sterilitatem aut senium mulieris, non sequatur. Porro aliud Matrimonium dicitur *Solenne* aut *Civile*, in quo nimirum etiam ea concurrunt, quæ requirit Jus Civile, uti sunt pacta dotalia, consensus patris, publica sponsæ traductio in domum sponsi &c. Aliud *Insolenne* aut *Canonicum*, in quo solùm ea concurrunt, quæ à SS. Canonibus requiruntur, maximè præsentia Parochi & testium. Ad quod referri potest Matrimonium *Morgenaticum*, seu *ad Morgenaticam*, quod etiam vocatur *Matrimonium Conscientiæ*, & quandoque contrahitur à viris Illustribus ad evitandam fornicationem cum fœmina inferioris conditionis occultè quidem, coram Parocho tamen & testibus, eo pacto, ut conjunx & liberi ex ea suscepti *Mor-* 24

gengebâ seu dono nuptiali, aut alia certa portione ad suam sustentationem necessariâ, sint contenti, condtionem tamen & dignitatem Mariti non participent, atque à cœteris bonis paternis, titulisque, & insignibus abstineant, scilicet in favorem primæ uxoris & liberorum ex ea genitorum. Conjunx, quæ sine solennitatibus Juris Civilis (vel ad Morgenaticam) ducitur, stricte non *uxor*, sed *concubina* appellatur in Jure *can. 4. & 5. d. 34.*

25 Dico 1. Consensus Matrimonialis debet esse verus seu non fictus, voluntarius, mutuus, verbis vel aliis signis, Sponsalia de præsenti significantibus, debitè expressus. Patet ex dictis de consensu Sponsalitio. Item debet esse liber ab errore substantiali, & metu gravi injustè incusso, ut patebit ex dicendis §. 4. item publicus, non clandestinus, ut *tit. III.* ac absolutus, ut *tit. V.* dicetur, atque positus à personis, nullo impedimento dirimente laborantibus, cujusmodi impedimenta varia explanabuntur in subsequentibus usque ad *tit. XVI.*

26 Dico 2. Idem consensus debet esse personalis, h. e. ab ipsis personis contrahentibus positus & expressus: proin probabiliùs non valet Matrimonium, à parentibus contractum pro liberis præsentibus & tacentibus, nisi ad id sint constitui. Ratio fundatur in arduitate negotii, quale est electio statûs perpetui, quæ videtur exigere consensum personalem aliquo determinato signo ab ipso contrahente expressum: sed liberi tacendo præcisè non exprimunt suum consensum aliquo signo certo ac determinato;

nato; qui enim tacet, nec affirmat nec negat. *c. 44. de R. J. in 6.* seu nec consensum nec dissensum indicat. Neque dispositio Juris, quod in *c. un. de desponsi. impub.* pro validis habet Sponsalia sine mandato à parentibus inita pro liberis præsentibus & tacentibus, utpote exorbitans, extendenda est ad Matrimonium, præsertim cùm sit longè dispar ratio in Matrimonio, quod est indissolubile; Sponsalia verò, licèt valeant, multis adhuc modis dissolvi possunt: itaque præjudicium est longè minùs, si Sponsalia ex taciturnitate liberorum præsumantur rata, quàm si Matrimonium. Sic sentiunt Henriq. Sot. Pont. &c. contra Sanch. Perez, & communiorem.

Quæres, an requiratur etiam consensus pa- 27
rentum, vel saltem patris? R. ad valorem Matrimonii non requiritur, ut est certa Catholicorum sententia ex *c. 12. de Regular.* & Trid. *s. 24. c. 1. de ref. Matrim. pr.* contra modernos Sectarios, qui, nisi simul constitutioni Caroli V. Imperatoris in Comitiis Augustanis 1548. *tit.* vom Sacrament der Ehe *§. 9.* sicut Ecclesiæ legibus, pertinaciter refragari velint, idem sentire deberent. Adde, quòd in iis, quæ ad Sacramenta spectant, patria potestas cesset. Ad licentiam tamen, & ex honestate consensus parentum, vel saltem consilium, ordinarè requiritur; & hoc, non plus, probatur ex præcepto quarto Decalogi; aliàs enim etiam consensus Matris, & non Patris tantùm, ad valorem foret necessarius, quod nec Lutheranis placet. Leges Civiles *pr. Inst. de nupt. & l. 2. 18. ff. de Ritu nupt.* quæ videntur obstare, sunt correctæ à Jure Canonico, cujus est statuere

impedimenta Matrimonii, utpote Sacramenti vel declarare. Adde, quòd Leges Civiles, fortè non pro irritis, sed solum pro illicitis habeant Matrimonia sine consensu parentum contracta, cum & ipsæ velint libertati contrahentium esse consultum. *l. 21. ff. eod. & l. 14. C. de nupt.*

Porro sicut liberi absque justa causa invitis parentibus vel insciis illicitè ineunt Matrimonia ita & parentes graviter peccant, si absque causa per suum dissensum impediant liberorum Matrimonia. per *c. fin. de Judic. in 6.* cùm privent eos jure suo, quod habent à Natura ad electionem statûs. *c. 12. cit.* Neque in potestate Magistratûs sæcularis est pœnam statuere in liberos, sine consensu vel præscitu parentum Matrimonii contrahentes in casu, quo parentes illicitè & sine justa causa se opponunt. Aliud est, si solùm illos liberos plectant, qui temere & absque justa causa contrahunt Matrimonia sine consensu parentum, præsertim minùs convenientia suo statui vel etiam indigna; quia Magistratus sæcularis, sic potiùs urget executionem Juris Naturalis & SS. Canonum, quàm libertatem Matrimonii à dictis Juribus indultam auferat. Sic Jus Bavaricum *tit. 40. art. 9.* rectè & insigniter punit liberos, sine consensu vel consilio parentum convolantes ad Matrimonia, in hunc modum: si liberi (mares quidem ante 30. fœminæ verò ante 25. ætatis annum) *sine præscitu & consensu parentum* contrahunt Matrimonium, cæteroquin honestum & statui conveniens, parentes non tenentur in vivis dotem vel donationem propter nuptias, vel aliquid aliud ipsis dare, nisi velint

tales

tales tamen liberi succedunt parentibus ab intestato. 2. Si verò contrahunt Matrimonium vile, & suæ conditioni dispar, iterum parentes, si priùs non impediverunt ab honestis nuptiis, ipsis denegare possunt dotem, vel donationem propter nuptias, aliáque auxilia Matrimonialia; filius tamen, nisi parentes aliter disposuerint, succedit quidem ipsis ab intestato in sua portione aliàs competente: filia autem solùm in dimidia parte hæreditatis. 3. Si denique ita, nempe sine præscitu & consensu parentum, infra dictam ætatem, ab honestis nuptiis nunquam impediti, contrahunt Matrimonium non solùm dispar & inconveniens conditioni, sed etiam ignominiosum, cum persona inhonesta aut infami, omnino exhæredari à parentibus possunt; si autem non exhæredentur, perdunt hæreditatem parentum ab intestato usque ad dimidium legitimæ, nisi parentes aliud statuant.

Dico 3. Idem consensus Matrimonialis debet 28
quoque esse simultaneus. 2. Sufficit tamen simultas moralis, si nempe ex intervallo etiam longiori sequatur consensus alterius partis, modò ille, qui prior consensit, interea non revocaverit suum consensum. Et hinc 3. valet Matrimonium debito modo initum per procuratorem, etiam in ratione Sacramenti. Priora duo membra constant ex paritate cum aliis contractibus, in quibus requiritur simultas consensuum, & sufficit moralis; cùm nulla Lex vel Canon exigat coëxistentiam physicam, & *intervallum medium non vitiet obligationem. l. 1. §. qui præsens. ff. de V. O. l. 1. §. 2. ff. de contrah. empt.* Membrum 3. constat

ſtat ex praxi, & diſertè habetur in *c. fin. de Procur. in 6.* modò procurator habeat mandatum ſpeciale ad contrahendum cum determinata perſona: ídque per ſe ipſum exequatur (& quidem poſt Trid. coram Parocho & teſtibus, licèt hæc ſolennitas non requiratur, quando datur mandatum) & modò mandatum ante actualem executionem non ſit revocatum, etiam inſcio procuratore. *c. fin. cit.* Cùm verò Matrimonialem contractum ſecundùm Leges validum Chriſtus elevaverit ad rationem Sacramenti. *c. 7. de Divort.* Matrimonium initum per procuratorem, vel internuntium, aut internuntiam, ſimul erit Sacramentum.

Objic. 1. In *l. 137. pr. ff. de V. O.* decidit, ut contrahentes ſibi continuò reſpondeant, ac tequem ad alia divertant: ergo requiritur ſimultas conſenſuum phyſica. 2. In aliis Sacramentis neceſſaria eſt phyſicè ſimultanea materiæ & formæ poſitio, neque per procuratorem, aut abſenti, miniſtrari poſſunt: ergo idem dicendum de Matrimonio. 3. In Miniſtro Sacramenti debet adeſſe intentio actualis vel virtualis: ſed ponens conſenſum in Matrimonium ante vel poſt longius intervallum non habet intentionem actualem vel virtualem (nam conſenſus eſt quaſi intentio) ſed præcisè habitualem & non revocatam, imò nullam habet, caſu quo principalis illo tempore quo procurator loco ipſius contrahit, ebrius fortè eſt, vel dormit: ergo. 4. Parochus Matrimoniis aſſiſtens intellecto conſenſu pronuntiat hæc verba, *ego vos in Matrimonium conjungo*: ſed iſta verba ad ſui verificationem requirunt præſen-

sentiam contrahentis, sicut in Baptismo pronomen *te* præsentiam baptizandi: ergo, qui Matrimonium contrahit, debet esse præsens personaliter, & non per procuratorem. R. ad 1. Ibi est fermo de stipulatione strictè dicta, non de quocunque contractu generaliter. Ad 2. *N. Conf. & parit.* quia alia Sacramenta non sunt contractus, bene verò Matrimonium, & hinc istud solum regulari potest juxta naturam contractuum. Ad 3. *dist. min.* non habet intentionem actualem vel virtualem, vel etiam nullam, quando consensum ponit altera pars, vel procurator exequitur mandatum. *C. min.* Quando antè, vel post intervallum, posuit vel ponit consensum in Matrimonium, vel quando constituit procuratorem. *N. min.* In contractibus sufficit ex intervallo ponere vel posuisse consensum, aut constituisse procuratorem, licèt iste consensus, interim non revocatus, solùm habitualiter & tacitè perseveret: imò perseverat virtualiter in mandato dato. Ad 4. Illa verba nec sunt forma Matrimonii, nec absolutè & determinatè necessaria, quia possent eorum loco adhiberi nutus vel scriptura &c. dein verificantur, & habent hunc sensum, *ego vos, quorum unus procuratorio nemine compàret, conjungo in Matrimonium.* Sicut illa verba, quibus uti potest procurator mandatum exequens, *accipio te in meam*, verificantur, & habent hunc sensum, *ego nomine Titii te accipio in meam* vel, *contraho Matrimonium tecum:* alterius verò partis verba habent hunc sensum, *ego quoque tecum, tanquam procuratore Titii, contraho.*

§. III.

§. III.

De Impedimentis Matrimonii in genere.

29 Regula quidem est, quòd omnes licitè ac validè possint contrahere Matrimonium, *cùm prohibitorium sit edictum de Matrimonio contrahendo, ut, quicunque non prohibetur per consequentiam admittatur.* textus in *c. 23. h.t.* modò contrahere volentes sint mas & fœmina. Siquis hermaphroditus seu utriusque sexûs homo sit, mas & fœmina, debet contrahere juxta sexum in se prævalentem: si polleat utroque sexu æquali, & in utroque potens sit ad copulam, in ejus arbitrio est electio, facta tamen semel electione quoad sexum, illo constanter uti debet, & mutare nequit. Sanch. *de Matr. l. 7. d. 106. n. 7.* Interim tamen aliqui prohibentur contrahere Matrimonium, nimirum laborantes aliquo impedimento. Sunt autem duplicis generis *impedimenta*, nimirum impedientia tantùm, & dirimentia. *Impedientia* dicuntur, quæ prohibent tantùm, & illicitum faciunt Matrimonium, non invalidum: *Dirimentia* autem, quæ & prohibent, & annullant, seu tam illicitum, si ejus habeatur notitia, quàm invalidum reddunt Matrimonium, nempe si contractum Matrimonialem antecedant; si enim ei superveniant, Matrimonium, utpote priùs validè contractum, non dissolvunt. De reliquo impedimentum impediens Matrimonii quoad *Sponsalia de futuro* evadit dirimens, h. e. ea facit nulla;

hoc

hoc ipso enim, quòd Matrimonium stante impedimento impediente, v. g. voto simplici castitatis, vel promissione Matrimonii jam alteri factâ, illicitum sit, non potest induci obligatio, quæ induceretur, si sponsalia valerent, ad illud contrahendum. *c. fin. de pact.*

Dico 1. Impedimenta impedientia Matrimonium hodie sunt tantùm quatuor, hoc versu comprehensa, *Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum:* h. e. tempus Quadragesimæ & Adventûs: specialis Ecclesiæ prohibitio, quæ intelligitur per *vetitum:* sponsalia de futuro cum alia priùs inita: & votum simplex castitatis, Religionis ingrediendæ, non nubendi, faciunt Matrimonium illicitum. 30
De Tempore Sacrato, & Vetito, agetur *tit. XVI.* de Sponsalibus *tit. IV.* de Voto *tit. VI.* Dixi, *hodie*, quippe olim erant duodecim, nempe dicta quatuor, dein *Catechismus*, seu quædam cognatio spiritualis imperfecta, orta ex instructione in fidei dogmatis Baptismum antecedente, ac fieri solita per interrogationes & responsiones baptizandi ante fores Ecclesiæ, & adhuc alia septem ex variis delictis, nempe incestu, raptu sponsæ alienæ, susceptu propriæ sobolis, occisione sacerdotis, occisione conjugis, pœnitentia solennis propter crimen indicta, & ex Matrimoniô cum Moniali attentatô. Verùm *Catechismus* per Tridentinum *s. 24. c. 2. de ref. Matr.* & *Crimen* seu impedimenta impedientia Criminis, sive ex recitatis delictis orta, omnino omnia per universalem consuetudinem abrogata sunt, ut cum Navar. & Sanch. passim notant DD.

Dico

31 Dico 2. Impedimenta dirimentia hodie sunt septendecim, his versibus comprehensa:

Error: Conditio: Votum: Cognatio: Crimen:
Cultûs disparitas: Vis: Ordo: Ligamen: Honestas:
Si sis affinis: si fortè coire nequibis:
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis:
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

Ultima duo, in duobus ultimis versibus indicantur nimirum *Clandestinitatis & Raptûs*, superadditi a Tridentinum, Impedimentum *ætatis* comprehenditur in verbis, *si fortè coire nequibis*, quibus aliàs exprimitur impedimentum *Impotentiæ*. Item quia per verbum *Cognatio* denotatur triplex cognatio, Spritualis, Legalis, & Carnalis, triplex impedimentum insinuatur. Si igitur hæc omnia cum reliquis accipias distinctè, prodibunt septendecim impedimenta Dirimentia. De impedimento Ætatis tractabit *tit. II.* Clandestinitatis *tit. III.* Ligaminis *tit. IV.* Voti, nempe solemnis utì & Ordinis *tit. VI.* Criminis *tit. VII.* Conditionis, nempe Servilis, *tit. IX.* triplicis Cognationis, & Affinitatis, *tit. XI. XII. XIII. XIV.* Impotentiæ *tit. XV.* Cœtera quinque, *Erroris, Vis* seu *Metûs*, *Raptûs*, *Disparis cultûs*, & *Publicæ honestatis*, cùm de iis specialis Titulus non exstet, in *§. seq.* explicabimus.

32 Dico 3. Ex dictis impedimentis dirimentibus quinque sunt Juris Naturalis, videlicet Error, Ætas, Impotentia, Ligamen, & Consanguinitas in primo saltem gradu lineæ rectæ,

ut defendemus *tit. XIV.* Reliqua omnia à Jure Ecclesiastico, vel Scripto vel Consuetudinario, sunt introducta, ut tenet communis, atque ideo solùm inter Christianos locum habent.

Dico 4. Impedimenta dirimentia pro Chri- 33
stianis statuere potest Papa 2. & solus, ita ut nec Episcopus pro sua Diœcesi, nec Princeps Sæcularis Catholicus hanc habeat potestatem. 3. Quamvis consuetudo Canonica introducere hujusmodi impedimentum valeat. Pars 1. est de fide ex Trid. *s. 24. de Sacr. Matr. can. 3. & 4.* Ratio, quia Matrimonium ex institutione sua consistit in contractu valido: in potestate autem Legislativa Ecclesiæ, consequenter Papæ, est regulare contractum Matrimonialem, hoc vel illo modo initum approbare aut irritare, ad ejus valorem hoc vel illud requirere &c. sicut est in potestate Magistratûs humani alios contractus ita regulare: ergo. Pars 2. sumitur ex *c. 1. & 2. de translat. Episc.* ubi majores causæ (inter quas utique recensenda sunt, quæ ad Sacramenta, adeóque & ad Matrimonii valorem pertinent) reservatæ dicuntur Summo Pontifici, proin ab Episcoporum potestate sunt extractæ, &, quia Matrimonium est Sacramentum & contractus sacer, à potestate quoque Principum sæcularium. Trid. *lo. cit. can. 12. c. 10. de Constit.* Id tamen concedo Principibus Catholicis, ut pro infidelibus seu non baptizatis statuere valeant impedimenta dirimentia Matrimonii, non minùs ac Principes Infideles pro suis subditis, utpote quod apud ipsos est contractus merè Civilis & politicus. Pars 3. ex *c. 1. & 3. de cognat. Spirit. & c. fin. de con-*

ſuet. in quo ultimo approbatur in vim legis omnis conſuetudo rationabilis & legitimè præſcripta.

Objic. 1. Chriſtus pro materia Sacramenti Matrimonii inſtituit contractum, ſeu mutuum conſenſum jus in corpora ſibi tradentium: ſed Eccleſia nihil poteſt circa materiam Sacramentorum, eam immutando &c. ergo neque circa contractum Matrimonialem, illum reddendo invalidum per ſtatutum impedimentum. 2. Videmus in praxi, quòd Magiſtratus Sæculares, & Duces militum, quibusdam ſubditis prohibeant Matrimonium: ergo & illi ſtatuere valent impedimentum Matrimonii, ſaltem impediens; &, cùm hoc modo exerceant jurisdictionem circa Matrimonium, non eſt ratio, cur Impedimentum dirimens ſtatuere nequeant, R. ad 1. Chriſtus pro Matrimonii Sacramento inſtituit quidem contractum, & mutuum conſenſum, vel traditionem mutuam juris in corpora, pro ejus materia determinavit, at *contractum* in genere tantùm, & *ſecundùm Leges validum*, relinquendo interim in poteſtate Eccleſiæ, quem contractum, quo modo, & à quibus perſonis celebratum velit habere pro valido & legitimo: ſi proin Eccleſia ſtatuendò impedimentum nolit valere contractum Matrimonialem, ſic vel ſic celebratum, nihil mutat de materia à Chriſto determinata, æquè parùm, ac ille, qui vino, quod à Chriſto determinatum eſt pro materia Evchariſtiæ, tantum affunderet aquæ, ut amitteret prædicatum *vini uſualis*, non immutaret materiam Evchariſtiæ, niſi indirectè tantùm, remotè, & impropriè. Ad 2. Quando Magiſtratus Sæcula-

culares ob bonum publicum non permittunt Matrimonium quibusdam personis, non propriè exercent jurisdictionem circa Matrimonium, sed potiùs promovent & urgent observationem Legis Naturalis, quæ prohibet Matrimonia privatis cum præjudicio boni publici. Imò & punire possunt actus malos, consequenter & illicitè contrahentes Matrimonia, v. g. cum inobedientia aut irreverentia contra parentes &c.

Quæres, an Hæretici in nostra Germania defacto ligentur impedimentis Matrimonii Jure tantùm Ecclesiastico statutis? R. Quamvis per se obligentur omnibus Ecclesiæ Legibus, utpote subditi, & per Baptismum ingressi Ecclesiam. *can. 5. d. 45. can. 38. 40. 48. cauſ. 23. q. 4.* consequenter & legibus connubiorum: ab his tamen saltem ut irritantibus, probabiliter liberati sunt (ut putant multi & graves DD. cum Tannero, Laym. Dicast. & aliis apud & cum P. Wiestner *h. n. 192.*) tum per consuetudinem contrariam & præscriptionem longissimi temporis, tum per coniventiam Ecclesiæ permittentis Matrimonia cum dictis impedimentis, v. g. consanguinitatis, publicæ honestatis &c. contracta, & non urgentis apud ipsos observationem legum connubialum; non enim est credibile, quòd Ecclesia urgere velit observationem legum, quas Hæretici communiter vel ignorant, vel non observant, imò se iis non obligari quàm plurimi existimant; plus enim damni timere deberet, quàm utilitatis sperare posset, si urgeret observationem harum legum; nam, si urgeret, Matrimonia Sectariorum cum impedimentis Ecclesiastici Juris contracta, ut frequenter contingit, 34

essent meræ fornicationes & concubinatus, vi
incestus &c. & proles forent illegitimæ, ac po
pterea animi illorum magis alienarentur à Catho
licis, & sic magis à conversione absterrerentur &
Et hæc sine fructu, imò & sine spe observation
obtinendæ. Prudentis autem est non urgere obse
vationem legum, si indè plus damni timendu
quam utilitatis sperandum. Confirmabimus ha
ad *tit. III. n. 4. 5. 6.* ubi præfatos Hæreticos no
ligari impedimento Clandestineitatis defendem

Objic. 1. Neque Consuetudo absolvit Hære
cos ab observatione legum Ecclesiæ connubi
lium, quia est irrationabilis, atque in contempt
Pontificiæ potestatis malitiosè introducta. 2
Neque Conniventia aut tacitus consensus Eccl
siæ, tum quia est mera tolerantia, non approb
tio aut dispensatio tacita, tum quia hi rebelles po
nam potiùs quàm exemptionem à Legibus pro
merentur. 3. Ex hac doctrina sequeretur, Re
ligiosos & Sacerdotes Apostatas valida apud Hæ
reticos contrahere Matrimonia, quia votum solem
ne Castitatis est impedimentum Juris tantùm Ec
clesiastici: sed hoc est contra communem sensum
& praxim. R. ad 1. Consuetudinem reddit ra
tionabilem evitatio fornicationum, incestuum
&c. legitimitas prolium, communis Hæretico
rum ignorantia, spes publicæ tranquilitatis & fa
cilioris conversionis, desperatio observantiæ ob
tinendæ &c. Deinde Consuetudo ista vim suam
obtinet non tam ex actibus rebellium Hæreti
corum, quàm ex usu & praxi Catholicorum,
hujusmodi Matrimonia pro validis habentium,
præcipuè in favorem boni publici & animarum.

Ad

Ad 2. Potiùs præsumi debet consensus Ecclesiæ & tacita dispensatio, quando ex una parte nihil fit immediatè contra Jus Naturale & Divinum, ex altera verò res concernit integras provincias & amplas communitates, atque ex negato consensu sequerentur plurima damna sine ulla ferè spe alicujus boni. Quamvis Hæretici *formales* potiùs pœnam quàm favorem promereantur, *materiales* tamen qui potiorem meô judiciô partem constituunt, non sunt indigni commiseratione & hoc favore. Imò materna Ecclesiæ viscera non inconvenienter se etiam extendunt ad rebelles & contumaces filios, quorum salutem omni possibili modo procurare laborat impediendo, quantùm potest, eorum peccata, facilitando conversiones &c. non absterrita injuriis, calumniis &c. Ad 3. *N. sequel.* partim quia non est consuetudo integræ communitatis cum voto solenni contrahere Matrimonia, partim quia Ecclesia non connivet, sed se constanter opponit Matrimoniis horum Apostatarum. Sed hanc, ut reliquam omnem, quam trado, doctrinam obsequentissimô animô decisioni ac Judicio Ecclesiæ submitto humillimè.

Dico 5. Validum est & licitum Matrimo- 35
nium, quod contrahitur cum dubio Juris speculativo, seu cum opinione verè probabili de non existentia Impedimenti dirimentis. Cardenas in *Crisi Theol. dissert. 2. propos. 1. c. 8. art. 3. 4.* Viva *ad Propos. damnat. propos. 11. n. 29.* La Croix *p. 3. lib. 6. n. 417. 527. seqq.* P. Kugler *de Matr. p. 2. q. 4. à n. 1533.* cum aliis. Hujusmodi Matrimonia sunt, quæ contrahuntur sub

conditione vel modo ſervandi perpetuam caſtitatem: ſub conditione de futuro: clandeſtinè vel cum alio impedimento Juris Eccleſiaſtici contrahi ſolita ab Hæreticis in Germania: coram Parocho extra propriam parochiam exiſtente: cum impedimento criminis contractum ab ignorante annexum eſſe ſuo delicto impedimentum dirimens: revalidata ſine Parocho & teſtibus. Dixi *cum dubio Juris* &c. ſi enim eſt dubium ſeu probabilitas *facti*, v. g. ſi tibi tantùm probabile ſit te in quarto gradu non eſſe conſanguineum Berthæ, cum hac illicitè contrahis, &, ſi revera ſit conſanguineus, etiam invalidè. Probatur aſſertio tum ex conſuetudine Eccleſiæ, hujusmodi Matrimonia permittentis, & ſæpe in dubio Juris de exiſtentia impedimenti pro valore Matrimonii, utpote quod valde eſt favorabile, decidentis per Judices Eccleſiaſticos, imò & diſpenſantis in Matrimonio Rato, & ſic ſequentis ſententiam probabilem; tum ex deciſione Urbani VIII. qui teſte Lugo, ut refert Nicol. del Techo *in Hiſtoria Paraquariæ l. 10. c. 15.* ad propoſitum ſibi dubium, an Indi Neophyti, qui plures habebant uxores non ſine dubio, an primam validè duxerint, adſtringerentur ad primam, vel poſſint contrahere cum quacunque baptizata ſibi priùs juncta, non obſtante dubio de impedimento ligaminis, reſpondit his verbis, *ut, ubi Doctorum ſententiæ utrinque probabiles intercederent, ſequerentur* (Miſſionarii) *opiniones pro conditione locorum ac hominum barbaris favorabiliores.* Sed

Objic. Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem ordine primam: *non eſt illicitum in Sacramentis* con-

conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore: sed Matrimonium est Sacramentum, &, quando agitur de impedimento illius dirimente, agitur de valore, atque sententia, quæ dicit existere impedimentum, est tutior, quia removet omne periculum peccati: ergo. ℟. 1. Propositio damnata loquitur de sequente opinionem probabilem relicta tutiore extra casum gravis necessitatis, & quando potest haberi certitudo; & hinc juxta communem licet absolvere à peccatis eum, qui dicit, se dolere, etsi Confessario probabile tantùm sit, eum dolere. Sed sæpe non potest haberi certitudo de existentia impedimenti dirimentis, & simul gravis causa & quasi necessitas est contrahendi Matrimonium, vel saltem admodum difficile non contrahere. ℟. 2. meliùs, *negando suppositum,* quòd cum dubio & vera probabilitate Juris de carentia impedimenti contrahens sequatur opinionem merè probabilem; nam per consuetudinem & praxim Ecclesiæ, quæ vim legis obtinet, atque per declarationem Legislatoris Pontificis Urbani VIII. allegatam moraliter fit certum, licitum & tutum esse sequi in Sacramento Matrimonii sententiam directè probabilem relicta tutiore. Si de impedimento Juris merè Ecclesiastici sit dubium, valor Matrimonii videtur esse extra controversiam, cùm Ecclesia pro hoc casu possit & censeatur tollere impedimentum, si quod subesset: si autem dubium sit de impedimento Juris Naturalis, v. g. Ligaminis, tunc valor (nam de licentia non est dubitandum ex dictis) saltem est valde probabilis, & juxta Cardenas etiam certus,

tus, quia id desumitur ex Responso Urbani VIII. citato, & Ecclesia jubet perseverari in Matrimonio quando ex post supervenit dubium de impedimento Juris Naturalis, & sic declarat, illud esse Juris Naturalis solùm conditionati, nisi nimirum Ecclesia ex justis causis permittat vel approbet talia Matrimonia.

§. IV.

De quibusdam Impedimentis Diri-tibus in specie, nimirum Erroris, Metûs, Rapûs, Disparis Cultûs, & Publicæ Honestatis.

96 Dico 1. *Error* circa substantiam personæ dirimit Matrimonium Jure Naturali, sive sit error antecedens sive concomitans. 2. Non tamen regulariter error circa qualitatem personæ, licet sit antecedens. 3. Nisi sit qualitas redundans in ipsam personam. Antequam probem singula membra, notandum 1. Quòd *error* sit judicium perversum de aliqua re, quo putatur aliud pro alio. 2. Quòd error *substantialis* vocetur, qui versatur circa substantiam objecti, & hìc, qui versatur circa individuum personæ: *accidentalis* verò, qui circa qualitatem vel accidens objecti, & hoc loco v. g. circa divitias, virginitatem, nobilitatem personæ: *antecedens* autem, seu *dans causam contractui*, dicitur error, si eo non existente contractus vel actus non fieret: & *concomitans* seu *incidens*, quo existente nihilominus fieret.

fieret. 3. Quòd, siquis per alterius fraudem vel fictionem inducatur in errorem, non sit simplex error, sed *deceptio*, vel *dolus* cum errore. Jam probatur 1. membrum ex eo, quòd error substantialis circa individuum personæ, quam quis animô concepit, tollat consensum voluntarium, Jure Naturali necessarium. *c. 26. h. t.* nam *errantis* (circa objectum substantiale) *voluntas nulla. l. 8.* &: *nullus est errantis consensus. l. 9. C. de J. & F. J.* Membrum 2. ex ratione opposita, quia talis error accidentalis non tollit consensum quoad substantiam, sed solùm reddit involuntarium secundùm quid, nempe circa accidentia personæ, & circa rationis impulsivas extrinsecas. Confirmatur ex §. *error fortunæ & qualitatis caus. 29. q. 1.* & ex paritate cum aliis contractibus, quos error circa qualitates non irritat. per *l. 11. §. 1. l. 43. ff. de contr. empt.* item ex absurdo, & gravi Reipublicæ Humanæ incommodo, proliúmque & conjugum damno, quæ sequerentur, si Matrimonia cum errore accidentali contracta non subsisterent; quia innumera Matrimonia deberent vel possent dissolvi aut haberi pro nullis, eò quòd passim contrahentes errent, vel etiam decipiantur à comparte, circa qualitates, quas si altera Pars sciviſſet reperiri in comparte, vel non reperiri, non contraxiſſet, v.g. si maritus sciviſſet conjugem suam esse rixosam, bibulam, decoctricem, vel non esse virginem, nobilem, divitem &c. Addidi tamen, *regulariter*; si enim contrahens alligâſſet actualiter vel virtualiter suum consensum existentiæ vel absentiæ qualitatis certæ, aliàs nolens contrahere (quod tamen exteriùs debet exprime-

re quoad forum externum) error etiam accidentalis irritaret Matrimonium; cùm *actus agentium non operentur ultra intentionem eorum*, ut habet receptum Brocardicum. Sicut etiam *error conditionis servilis* irritat, ut dicetur *ad tit. de Conjug. Servor.* Membrum 3. quod est exceptio à membro præcedente, apud plerosque omnes est receptum ex ratione, quòd error qualitatis redundantis in ipsam personam censeatur esse error circa ipsam personam. Quandonam autem error qualitatis redundet in personam, arduum est definire. Sanch. *lib. 7. d. 18. n. 31.* concludit, id fieri tunc, quando contrahens erat circa qualitatem, quæ designat certam personam, contrahenti aliunde & sine hac qualitate ignotam (vel, ut loquitur P. Illsung *tr. 6. d. 9. n. 68.* quando qualitas est individualis determinatio ipsius personæ, ut si velles contrahere cum primogenita, & tibi sisteretur secundò genita) modò non constet aliunde, quòd mens contrahentis fuerit cum persona præsente, quam videt, quæcunque illa sit, contrahendi,

37 *Objic.* 1. Jacob validè contraxit cum Lia, licèt putaverit se contrahere cum Rachele. *Gen. 29.* ergo error circa personam non irritat Matrimonium. 2. Si error circa personam sit *concomitans*, non tollitur consensus in personam, tanquam objectum substantiale & immediatum; quia etiam absente hoc errore Matrimonium fuisset contractum: ergo saltem error concomitans circa personam illud non irritat. 3. In aliis Sacramentis valorem non impedit error circa personam, ut si Sacramentaliter absolvas Petrum, putans esse Paulum:

lum: ergo nec in Matrimonio. 4. Si error circa qualitatem est *antecedens*, etiam tollit consensum in personam, quia taliter errans non contraxisset cum hac persona, si sciviſſet eam carere qualitate, quam optat, vel ei ineſſe, quam aversatur; præsertim cùm talis actu indivisibili tendat in personam ut affectam, vel ut carentem hac qualitate: ergo etiam error accidentalis antecedens irritat Matrimonium. R. ad 1. *N. ant.* nam Jacob post deprehensum errorem, vel deceptionem soceri sui Laban, de novo contraxit cum Lia. Ad 2. tollitur omnino consensus voluntarius, quia nihil volitum, nisi cognitum; adeóque consensus cum errore concomitante positus est involuntarius negativè, quia sic errans nunquam voluit, actualiter vel virtualiter, contrahere cum hac persona, sed cum alia, quam animo concepit, nec habitualis illa animi dispositio, qua voluisset cum hac persona contrahere facta hypothesi scientiæ, facit consensum voluntarium in hanc personam. Ad 3. *N. conſ. & parit.* Nihil enim interest Ministri aliorum Sacramentorum, v. g. Sacerdotis, an Petrum vel Paulum absolvat; plurimùm verò interest contrahentis Matrimonium, quacum persona contrahat, eò quòd ad individuam vitæ societatem cum illa se obliget: & hinc iste censetur alligare suam intentionem in personam mente conceptam, non verò ille. Ad 4. Hoc argumentum probaret, nullum ferè contractum subsistere; quia vix unquam intenditur sola substantia rei omnibus qualitatibus viduata, & rarò contingit, ut omnes qualitates, quæ ad contrahendum impellebant, sic se habeant, ut priùs credebatur.

In

In forma *N. ant.* quia taliter errans v. g. sic tendit: *ego duco Berthan, quam puto esse virginem, non ducturus, NB. si scirem, non esse virginem,* non verò tendit hoc modo: *si Bertha non esset virgo, non ducerem.* Prior consensus est absolutus in hanc personam, quæ putatur esse virgo: posterior est conditionatus, *si sit virgo:* & iste consensus alligaretur virginitati tanquam conditioni, non ille prior. Nec attenditur in priori modo tendendi, quid aliquis facturus esset in hypothesi scientiæ, sed quid actu faciat aut velit. In exemplo: das pauperi eleemosynam, quem putas esse pium, non daturus, si scires non esse pium: hæc eleemosynæ datio utique est valida: ergo à pari. Actus, quo intendis ducere Bertham ut affectam hac vel illa qualitate, est quidem indivisibilis entitativè & in sua tendentia, non verò objectivè, ita ut indivisibiliter nolis Bertham, nisi omnis qualitas tibi repræsentata in ea existat, ut patet in priori exemplo de paupere.

38 Dico 2. *Metus* gravis, injustè incussus, & directè ad extorquendum Matrimonium, irritat Matrimonium. 2. At probabiliùs Jure tantùm Positivo Humano. Pars prior suppositâ *(ex tit. de his, quæ vi)* notitiâ, quid sit metus, quando absolutè aut respectivè gravis, etiam reverentialis, & quando injustè incussus, probatur manifestè ex *l. 14. 15. 28. h. t. & c. 2. de eo, qui duxit.* eò quòd talis metus tollat consensum spontaneum, quam tamen consensum spontaneum, seu à tali metu liberum, dicta Jura requirunt ad valorem Matrimonii; quia, ut ajunt eadem Jura, sic extorta Matrimonia infelices sortiuntur exitus. Pars posterior

quam

quam tenet communior cum Suarez & Sanch. *l. 4. d. 8. & 14.* ſuadetur 1. ex eo, quòd Jus Naturale ad valorem contractuum. *c. 2. de his, quæ vi. l. fin. C. eod.* plus non requirat, quàm conſenſum ſimpliciter voluntarium ac liberum, atque titulum: ſed conſenſus, metu quocunque extortus, eſt adhuc ſimpliciter voluntarius ac liber; quamvis non ſit ſpontaneus; quia coacta voluntas eſt voluntas. *l. 21. ff. quod met. cauſ.* & voluntas interna per quascunque minas potentiæ creatæ abſolutè cogi nequit: titulus autem eſt traditio juris in corpus, quam facit metum patiens. 2. Exindè, quòd tale Matrimonium nec ſit invalidum *ex defectu conſenſûs*; aliàs etiam irritaret metus gravis juſtè incuſſus, v. g. à Judice Eccleſiaſtico, cenſuram excommunicationis minitante, niſi quis ducat ſponſam, cui liberò ac ſponte promiſit Matrimonium; nec *ob intervenientem injuriam* injuſtè metum gravem incutientis; aliàs etiam metus levis injuſtè incuſſus, vel dolus decipientis in qualitate, v. g. fingentis ſe virginem, divitem &c. redderet invalidum; quod nemo dixerit.

Dixi, *incuſſus directè ad extorquendum Matrimonium*; ſi enim ex alia cauſa metus eſt incuſſus injuſtè, v. g. ſi Sempronius injuſtè detinet Titium in carcere, vel injuſtè impedit à conſecutione prædii, Titius verò ad evitandum carcerem, vel ad conſequendum prædium, atque ad redimendam iniquam vexam, ſe offert ad ducendam Sempronii filiam in conjugem, eáque ducit, gravis eſt controverſia, an tale Matrimonium valeat. Aliqui cum Card. de Lugo, & nuperrimè P. Placi-

dus

dus Böckn *h. t. p. 2. n. 49.* negant: communior autem, imò, ut ait Perez, *communissima*, atque *certissima*, ut vocat, Sanch. *l. 4. d. 12. n. 3.* affirmat. Probatur 1. negativè, quia nullitas nec ex ratione infertur, nec ex Jure, quod in *citt. cc.* loqui videtur de metu directè ad obtinendum Matrimonium illato, consequenter non est extendendum ad metum ex alia causa incussum, utpote exorbitans & recedens à Jure Naturali. 2. Positivè, quia SS. Canones, quando irritant Matrimonia per *vim* (scilicet conditionatam & moralem, h. e. per metum) extorta, non irritant propter vim qualemcunque, sed propter vim injuriosam ex intentione Matrimonii extorquendi, per quam minuitur libertas Matrimonii: sed vis ex alio fine, quàm ad extorquendum Matrimonium, illata non dirigitur ex intentione inferentis ad extorquendum Matrimonium: ergo. Sicut igitur nemo dicit fœminæ vim inferri in pudicitia ab eo, qui illam spoliare nititur bonis fortunæ, illa verò ad hoc malum vitandum se offert ad impura; vel si bonis exuta postmodum vivat impudicè, & turpi se quæstu alat: ita nec vim Matrimonio, aut hujus libertati, faciens censendus est, qui injustè vexat fœminam, si hæc ad hanc vexam evitandam se ad Matrimonium offerat, & illud velut medium se liberandi sponte eligat.

39 *Objic.* 1. In *can. 22. caus. 22. q. 4.* approbatur Matrimonium cujusdam Hubaldi, licèt interveniente metu & juramento contractum: ergo metus, saltem si accessit juramentum, non irritat Matrimonium. 2. Illa *cc.* ex quibus probavimus nullitatem Matrimonii meticulosi, jam supponunt nullitatem, non primùm statuunt: ergo Jure

SS.

SS. Canones antegresso, consequenter Naturali, est invalidum; præsertim 3. quia SS. Canones fundantur partim in defectu consensûs, *cùm locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit*, ut habet textus in *c. 14. cit.* partim in periculo infelicis exitûs, *qui de invitis solet nuptiis provenire c. 14. cit.* puta in periculo violandæ fidei conjugalis, non servandæ societatis individuæ &c. quæ rationes probant nullitatem à Jure Naturali inductam. 4. Si Jus Naturale non irritâsset Matrimonia per metum & injuriam extorta, Natura non satis providisset metum passis, cùm permitteret eos indissolubiter alteri injuriam inferenti obligatos. 5. Eædem rationes pugnant in Matrimonio, quod interveniente gravi metu contrahitur, sive metus directè ad illud extorquendum inferatur, sive non: ergo. 6. In *d.c. 14.* non est sermo de casu, quo metus fuit incussus directè ad Matrimonium obtinendum, & tamen istud pronuntiatur nullum; ergo, licèt metus ex alio fine, quàm ad extorquendum Matrimonium, fit incussus, illud tamen est invalidum.

N. ad 1. Ibi approbatur Matrimonium non jam contractum per metum, sed cessante metu liberè contrahendum de novo, ad quod tenebatur aliunde ille Hubaldus, ut honestaret concubinam. Juramentum Matrimonio adjectum prorsus nihil facit, quia, utpote assertorium, rueret ruente Matrimonio tanquam principali. Ad 2. *transs. ant.* N. *Cons.* nam illud Jus sacros Canones antegressum, non est Jus Naturale, sed vel consuetudo aut traditio Ecclesiæ, vel aliquod vivæ vocis Oraculum. Ad 3. fundantur quidem in defectu consensûs

sensûs spontanei, quem Jus Ecclesiasticum requirit, non verò in defectu consensûs simpliciter liberi & voluntarii, quem Jus Naturale exigit. Infelices exitus, & mala, quæ ex coactis nuptiis timenda sunt, non sufficiunt ad annullandum Matrimonium Jure Naturali, quia aliàs deberet Matrimonium quoque dici de Jure Naturali invalidum, si metus justè fuit incussus, cùm faciat etiam nuptias invitas & coactum Matrimonium, minus átque libertatem. Ad 4. Natura satis provida metum passis, quòd legitimo & Ecclesiastico Magistratui dederit potestatem irritandi (uti defacto irritavit) Matrimonia metu injustè extorta. Ad 5. *transm. ant. N. cons.* quia nec propter paritatem vel identitatem rationis extendenda est lex odiosa (qualis est lex irritans) & à Jure Naturali recedens. Dein etiam *ant.* negatur; quia ratio irritandi fuit vis injuriosa Matrimonio & ejus libertati facta, qualis non est, si non ad extorquendum Matrimonium inferatur, sed ex alia causa, uti notavimus. Ad 6. *N. ant.* quia ibi Pontifex jussit puellam in loco tuto sequestrari, quam duo volebant sibi Matrimoniô jungi, donec lis finiretur, ne ex timore *diceret sibi placere, quod odit*, nempe nuptias, ex quibus invitis infelix sequi posset exitus: ergo ibi est casus de metu directè Matrimonium, respiciente vel intendente.

40 Quæres, quomodo purgetur metus, seu nullitas Matrimonii metu initi sanetur? R. Per consensum sublato metu sponte positum, & vel verbis vel factis expressum. Imò & per cohabitationem spontaneam ac diuturnam, vel per copulam sponte habitam: indè enim pro-

sumi-

sumitur consensus, & saltem pro foro externo Matrimonium censetur revalidatum. per *c. 21. & c. 30. h. t.* modò altera Pars adhuc continuet suum consensum, & Pars metum passa sciat, Matrimonium fuisse nulliter contractum; si enim putaret, validè contractum fuisse, esset in errore, consequenter non poneret novum consensum; cùm nihil tam contrarium sit consensui, quàm error. *l. 15. ff. de jurisd. omn. Jud.* & nihil volitum, nisi præcognitum.

Dico 3. *Raptus*, prout est violenta personæ ab- 41
ductio de loco in locum Matrimonii ineundi causâ, & adhuc positæ in Potestate raptoris dirimit Matrimonium juxta Tridentinum *s. 24. c. 6. de ref. Matr.* ibi: *decernit Sancta Synodus, inter Raptorem & Raptam, quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quòd si Rapta à Raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat.* Dein statuit graves pœnas in Raptorem & auxiliantes, quæ ibi legi possunt. Dixi in definitione Raptûs 1. *Violenta*, sive violentia sit physica per injectionem manuum, sive moralis per graves minas & metum. 2. *Abductio de loco in locum*, nempe moraliter diversum; non enim sufficit, si persona abducatur violentè, v. g. de platea in locum obscurum, vel de domo in domum in eadem vicinia &c. Sanch. & alii. 3. *Personæ*, non solùm fœminæ, & quidem qualiscunque fuerit, etiam inhonestè vivens, sed etiam maris; nam communior & verior sententia docet, impedimentum Matrimonii etiam contrahi, si fœmina rapiat virum vel

adoleſcentem, quia æquè talis Raptus aufert l
bertatem Matrimonii (quæ fuit ratio Tridentin
ac ſi vir rapiat fœminam. Sicut propterea i
pedimentum Metûs eſt reciprocum, & datur qu
que in caſu, quo fœmina viro infert metum.
valde controverſum eſt, an incurratur impe
mentum Raptûs, ſiquis rapiat propriam ſponſa
quæ priùs liberè ac ſponte ſponſalia cum Rap
re contraxerat; quia ipſamet jam priùs ſibi ab
mit libertatem moralem ad Matrimonium.
Matrimonii ineundi causâ; & hinc non ſuffi
ſi fœmina rapiatur ex alio fine, v. g. exercen
libidinis causâ, vel eam ſpoliandi; quia vis n
infertur Matrimonii libertati, cui Tridentinu
principaliter conſultum voluit. §. *Et adhuc*
ſitæ in poteſtate Raptoris, etſi ſponte conſenti
in Matrimonium: ſi autem, poſtquam in loco
to, & extra poteſtatem Raptoris conſtituta e
ſponte conſentiat in Matrimonium, id valeat.
quibus apparet, Raptum, prout eſt impedim
tum Matrimonii, in quibusdam differre à Rap
ut eſt ſpecies luxuriæ, & à Legibus punitur, q
ſic definitur: eſt *violenta abductio fœminæ, bon
ſtè viventis, libidinis exercendæ causâ*, ſive de
violentia inferatur ipſi fœminæ, ſive parentib
aut aliis, quorum illa poteſtati ſubeſt. Qu
habeat pœnas, indicavi in meo pleniore Com
dato h. t. n. 118.

42 Quæres, an quoque Sponſalia de futuro in
ta inter Raptorem, & Raptam, adhuc in
lius poteſtate conſtitutam, ſint nulla? R. Pr
babiliùs valent. P. Wieſtner *tit. de Raptor*
15. contra communiorem. Ratio, quia dip
ſitio

sitio Tridentini Matrimonium irritantis, est correctoria Juris Antiqui *c. 6. & fin. de Raptor.* & simul pœnalis: ergo non est extendenda ad Sponsalia, de quibus Trid. nihil dicit: præsertim cùm non subsit eadem ratio, & longè major esse debeat libertas Matrimonii (utpote indissolubilis, si semel validè sit contractum) quàm Sponsalium, quæ variis modis solvi possunt. Ex cujusmodi causis etiam defendimus suprà valorem Sponsalium metu injustè extortorum: licèt Matrimonium non subsistat taliter extortum.

Dico 4. *Disparitas cultûs*, seu dispar ac diver- 43
sa Religio contrahentium, tunc dirimit Matrimonium Jure Ecclesiastico, quando fidelis cum infideli (seu Christianus cum non-Christiana, v. g. cum Ethnica, Judæa, Turcissa &c. vel viciſſim Christiana cum non-Christiano, Ethnico &c.) contrahit Matrimonium. Imò 2. dissolvit etiam à duobus infidelibus jam priùs validè contractum & consummatum, casu quo unus conjugum se converit ad fidem Catholicam, alter verò manens in infidelitate non vult cohabitare converso, vel saltem non sine injuria in Christum, vel sollicitatione conversi ad peccatum, modò conversus velit dissolvere, & ad novas nuptias transire. Pars 1. est certa ex communi sensu DD. traditione & praxi Ecclesiæ, hujusmodi Matrimonia in novo Testamento habentis pro irritis. Textus autem Juris Positivi Humani non exstant. Pars 2. colligitur ex textu S. Pauli *1. Cor. 7.* ùt unanimiter tum à DD. & SS. PP. tum à Pontifice in *c. 7. de divort.* explicato, qui sic sonat: *quòd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est*

frater vel soror in hujusmodi. Sed contra primam partem. *Objic.* Non solùm in Veteri Testamento viri & fœminæ fideles, & probitate insignes, contraxerunt cum Infidelibus, utì Jacob, Joseph, Moyses, Esther &c. sed etiam in Novo, utì S. Cæcilia, S. Monica, Chlotildis Regina Galliæ &c. ergo talia Matrimonia sunt valida, imò & licita. R. In Antiquo Testamento ex gravi causa & speciali DEI instinctu, non aliter, licitè cùm Infidelibus contraxerunt illi viri sancti & Esther, vidè autem etiam sine causa gravi &c. quamvis non licitè ob periculum perversionis propter cohabitationem cum Infideli. In Novo autem Testamento & illicitè propter eandem causam, & invalidè contrahunt per se. Interim tamen vel ex dispensatione Ecclesiæ, vel ex speciali Dei instinctu permissione propter spem conversionis Infidelium, & validè & licitè Matrimonium cum vi Infidelibus dictæ fœminæ censentur contraxisse.

44 Quæres, quid sentiendum de Matrimonio, quod contrahit Catholicus cum Hæretica, vel Catholica cum Hæretico, ut in locis, ubi Hæretici vivunt immixti Catholicis, frequenter contingit. R. Certum est validum. 2. Licèt adjiciatur pactum de prolium educanda in hæresi. 3. Ordinariè tamen graviter illicitum. 4. Semper autem, si præcautum pactum adjiciatur expressè, vel tacitè ex consuetudine. Communis quoad membra omnia. *Primum* probatur tum negativè, quia non reperitur Jus irritans, tum positivè ex praxi Ecclesiæ hujusmodi Matrimonia sustinentis. *Secundum* eodem modo; nam & Matrimonia cum præfato pacto inita (quod ordinariè tamen, salvo

ex usu & conventione tacita, adjicitur) permittunt Episcopi, utique non ignaro Pontifice, nec separari curant ejusmodi conjuges; ad quod omnino sub gravi peccato tenerentur, nisi Ecclesia haberet pro validis hujusmodi Matrimonia. Unde non possum non mirari, quòd P. Franc. Schmier *de Sponsal. & Matr. p. 3. c. 5. n. 57.* primus hoc pactum pro novo impedimento dirimente nuper habuerit sine ulla auctoritate DD. *Tertium* ex Jure tam positivo *can. 15. 16. caus. 28. q. 1. & c. 14. de Hæret. in 6.* quàm ex Jure Naturali propter manifestum periculum perversionis, si non conjugis Catholici, saltem liberorum, in Fide & bonis moribus, quod ordinariè adest teste experientia. Accedit, quòd Apostolus Hæreticos jubeat devitari, & Matrimonii Sacramentum, si contrahatur cum Hæretico, ministretur indigno. Interim tamen licitum per accidens in casu extraordinario esse potest Matrimonium Catholici cum Hæretica, vel viciſſim, nempe tunc, quando ex una parte moraliter certum est, nullum fore periculum scandali, perversionis, gravium & perpetuarum dissensionum &c. & simul cavetur, ut omnes proles educentur in Fide Catholica: ex altera verò gravis apparet ratio, v.g. spes certa vel convertendi conjugem ad veram Fidem, vel sopiendi inimicitias, vel conservandi pacem & tranquillitatem publicam &c. vel si inter Catholicos non reperiatur conjux paris conditionis. Quæ quia rarò concurrunt, ideo quoque rarò licitum erit tale Matrimonium. *Quartum* defenditur à plerisque omnibus ex ratione, quòd Jus Naturale ac Divinum parentes

obliget, ut omnes liberos DEO & ad æternam sa-
lutem educent, non diabolo & ad interitum ani-
mæ: quapropter ejusmodi pacta ab omnibus Ca-
tholicis DD. censentur esse impia, obominanda,
& irrita.

45 *Objic.* 1. In *can. 72.* Synodi sextæ Oecume-
nicæ irritum & dissolvendum dicitur Matrimoni-
um inter Hæreticum & Orthodaxam initum. 2.
Germania passim celebrantur Matrimonia à Catho-
licis cum Hæreticis sine ulla dispensatione aut
centia Episcopi, nemine reclamante: ergo pe
consuetudinem reddita sunt ordinariè licita,
existimant Azor, & Sanch. *l. 7. d. 72. n. 5.* 3.
Matrimonio adjiciatur conditio vel pactum, qu
est contra bonum prolis, Matrimonium est inva-
dum. *c. fin. de condit. appos.* sed pactum de par
prolium v. g. fœmellarum, si Mater sit Hæret
ca, educanda in hæresi est contra bonum prol
ergo. R. ad 1. Ille canon non est Synodi sext
sed post illam à quibusdam Episcopis apud Tru
lum, palatium Regium, congregatis fabricatu
qui canones Trullani à Sergio Pontifice sunt ape
tè reprobati. Ad 2. *N. Cons.* quamvis enim
fortè in locis, ubi Hæretici degunt immixti Ca
tholicis, legi Ecclesiasticæ sit præscriptum, con
tra Jus tamen Naturale, quod concurrit, nihil
potest consuetudo. Dein, licèt consuetudo a
pud plebeios & inferioris conditionis homines
sustulerit petitionem dispensationis, apud Prin
cipes tamen, qui solent petere licentiam à Pon
tifice, non sustulit, fors ideo, quia majora ex
horum, quàm plebeiorum, Matrimoniis cum Hæ-
reticis oriri possunt incommoda. Ad 3. *disp. ma-*

Si

Si adjiciatur conditio vel pactum, quod est contra bonum prolis naturale, & sic repugnat substantiæ Matrimonii. *C. ma.* Quod est contra bonum prolis spirituale, & substantiæ Matrimonii non repugnat. *N. ma.* & sic distinctâ *min. N. conſ.* conditio repugnans substantiæ Matrimonii, & bono prolis Naturali foret, si conjuges id paciscerentur, ut positivè evitetur generatio prolis, vel educatio. Si verò conditio vel pactum repugnet tantùm bono prolis spirituali, non adversatur substantiæ Matrimonii; nam hæc essentialiter dicit obligationem mutuam, saltem radicalem, ad actus, per quos generari, & educari potest proles, non verò educationem bonam & sanctam prolium; aliàs etiam conditio vel pactum, quod adjiciunt ambo conjuges Catholici, de prole educanda ad furandum, ad impudicitiam, in arte Magica &c. vel quod adjiciunt conjuges Hæretici formales de omni prole educanda in Hæresi, esset contra substantiam Matrimonii, illúdque faceret nullum: quod nemo admittit, & utique nec P. Schmier.

Dico 5. *Impedimentum publicæ honeſtatis* ori- 46
tur ex Matrimonio Rato, seu ex Sponsalibus de præsenti. 2. Etiam invalidis, modò non fuerint invalida ex defectu consensûs. 3. Dirimítque Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè cum consanguineis conjugis desponsati vel desponsatæ. Sumuntur hæc ex *can. 11. 12. 14. 15. cauſ. 27. q. 2. c. 3. 8. x. & c. un. h. t. in 6. c. 8. de conſang.* Quamvìs enim dicta Jura non ita clarè & explicitè loquantur (excepto forsan *can. 15. cit.*) de Matrimonio Rato, plerique tamen omnes etiam

intelligunt de hoc propter majoritatem ratio
eò quòd arctior animorum conjunctio oriatur
Matrimonio Rato, quàm ex Sponsalibus de futu
propter quam ex Sponsalibus dicta Jura introd
xerunt impedimentum publicæ honestatis.
quamvis quartum gradum non determinant; qu
tamen *c. 8. cit.* eundem determinat in affi
tate, ad cujus imitationem oriri voluerunt dict
impedimentum ex Sponsalibus, ideo communi
illud ad quartum usque gradum extendunt D
Quia verò Tridentinum *s. 24. c. 3. de Ref. Ma*
ubi hoc impedimentum restrinxit ad primum g
dum, & illud oriri noluit ex Sponsalibus ex qu
cunque capite invalidis, uti *n. 16.* docuimus,
simul explicavimus naturam impedimenti publi
honestatis, loquitur tantùm de Sponsalibus de
turo, idcirco hoc impedimentum ex Sponsali
de præsenti ortum manet adhuc sub dispositio
Juris antiqui, & oritur etiam ex iis ex alio capi
quàm ex defectu consensûs, invalidis, dirimit
usque ad quartum gradum, ut declaravit S. Pius
in Constit. Romanum anno 1568. & ratio prob
cùm lex correctoria Juris non sit extendenda.

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

SUMMARIUM.

1. *Quinam dicantur Impuberes: & quid sit m*
litiam supplere ætatem.

2.3. *Spon*

2. 3. *Sponsalia ante septennium inita non valent.*

4. *Nec Matrimonium ante pubertatem Legalem vel Naturalem.*

5. *Valet tamen in vim Sponsalium.*

Impuberes de Jure dicuntur mares, qui decimum quartum, & fœmellæ, quæ duodecimum ætatis annum necdum compleverunt. 1
Post hanc ætatem usque ad annum 25. ætatis completum vocantur *Puberes*, vel *Minores*. Per *desponsationem* intelliguntur Sponsalia tam de futuro quàm de præsenti. Hìc itaque agitur de ætate requisita tam ad Sponsalium (nempe de futuro) quam Matrimonii valorem, adeóque de *Impedimento Ætatis*. Tam in hoc, quàm in illis, dicitur subinde *malitia supplere defectum ætatis*, sed in diverso sensu; in ordine ad Sponsalia id nihil est aliud, quàm si ante tempus à Jure præscriptum adsit sufficiens usus rationis, nimirum ante septennium: in ordine ad Matrimonium verò, si ante tempus huic præscriptum, scilicet 14. vel 12. ætatis annum (quæ est *pubertas Legalis*) jam adsit non solùm sufficiens usus rationis, sed etiam potentia ad generandum, seu ad copulam perfectam, se jam prodat; & hæc est *pubertas Naturalis*.

Dico 1. Sponsalia ante septennium physicè completum inita probabiliùs non valent, licèt priùs se prodat sufficiens usus rationis, adeóque in Sponsalibus malitia non supplet defectum ætatis. 2. Eo tamen completo, si usus rationis & judicii discretio adsit, statim valent. 3. Non tamen 2.

men ita efficaciter, ut adepta pubertate resilire liberè non possit ab illo, qui in impubertate contraxit, licèt durante impubertate potestas resiliendi non detur. Pars 1. quam tenent Abb. Fachin. Engel, König, & alii multi contra Sylvest. Tann. Pont. Pirhing, & alios pariter multos, probatur tum ex Jure Civili, quod *l. 14. ff. de Sponsal.* requirit, ut Sponsalia contrahentes *non sint minores, quàm septem annis.* Tum ex Jure Canonico, quod *c. 4. 5. x. & c. un. h. t. in 6.* adhibet verba, *complesset*, & *compleverat* septennium: atqui, quando jura absolutè & indistinctè requirunt certam ætatem ad aliquos actus, v. g. ad Professionem Religiosam, Testamenta &c. isti actus antea celebrati non valent, v. g. Professio Religiosa ante 16. ætatis annum completum non obstante, quòd jam priùs adsit maturitas ingenii, prudentia, & discretio judicii. Adde, quòd Leges tam prohibentes, quàm irritantes, quæ fundantur in præsumptione generali, non cessent, etsi in uno vel altero casu per accidens subsit, quod non adesse, vel non subsit, quod adesse præsumunt: sed Leges ad Sponsalia septennium determinatè exigentes fundantur in præsumptione generali, quòd ante septennium non adsit certò sufficiens usus rationis & discretio ad contrahendam tam gravem obligationem, consequenter periculum generale sit, ne propter defectum debiti consensûs Sponsalia essent nulla, vel saltem incerta; ac proin facilè possent oriri fraudes, vel confusio, si certa ætas non esset determinata: ergo, licèt in particulari casu usus rationis adsit, & periculum invalidorum deficiente consensu Sponsalium, confusionis, aut fraudis absit, dicit

Leges

Leges non cessant. Confirmantur hæc solidè per claram decisionem Innoc. III. qui in *c. 13. h. t.* sic ait: *interloquendo pronuntiamus, inter juvenem & puellam nec Matrimonium nec Sponsalia fuisse contracta: cùm constet, puellam nondum ad septennium perveniisse.* Pars 2. per se liquet; quia nec Jus Naturale plus requirit. Pars 3. habetur in *c. 7. & 8. h. t.* ut nimirum major sit libertas in re tam ardua, ad quam in impubertate, adeóque nondum satis firmô & validô judiciô, se obligârunt. Deberet autem pubertatem adeptus illico & in continenti resilire, v. g. intra triduum. *arg. l. fin. C. de Judic.* secus Sponsalia ratificâsse censeretur, ut habet communis. Interim tamen P. Franc. Schmier *de Sponsal. p. 3. c. 2. sect. 1. n. 61.* indulget jus resiliendi tamdiu, quamdiu verbis vel factis non fuerint confirmata Sponsalia, nec altera Pars eorum impletionem petierit; cùm Jus non determinaverit tempus ad resiliendum: quæ doctrina mihi non displicet.

Objic. 1. Parum pro nihilo reputatur, ut ait axioma Juridicum, & proximè accingendus habetur pro accincto. *arg. l. penult. ff. de Testam. Mil.* ergo septennium non debet esse physicè completum. 2. Ultima dies habetur pro completa, ut patet in factione Testamenti, quæ permittitur impuberi, qui ultimam diem annorum pubertatis inchoavit, licèt nondum compleverit: ergo nec istud septennium debet esse completum. 3. Septennium à Jure ideo præcisè requiritur, quia in hac ætate præsumitur adesse usus rationis: ergo, si iste citiùs adesse noscitur, valebunt Sponsalia. 4. 3

In

In *c. 3. de Sponſal.* jubetur Juvenis, qui poſt Sponſalia de præſenti cum puella nondum ſeptenni contracta duxit illius conſobrinam, ab hac ſeparari propter impedimentum publicæ honeſtatis: ergo illa Sponſalia fuerunt valida, quia uſus rationis jam adfuit; nam ſi iſte necdum adfuiſſet, propter defectum conſensûs fuiſſent invalida, atque propterea non produxiſſent dictum impedimentum de Jure antiquo. R. ad 1. Illa axiomata habent locum ſolùm in iis, in quibus certum tempus, vel ætas à Jure non eſt determinata. Ad 2. *diſt. ant.* in cauſa merè favorabili, qualis eſt factio Teſtamenti. *tranſ.* in cauſa non merè favorabili, ſed tali, in qua ſimul imponitur grave onus vel obligatio, utì eſt contractus Sponſalitius, per quem inducitur magna obligatio, & ſimul onus ſeu impedimentum publicæ honeſtatis. *N. ant. & conſ.* Ad 3. Si Jus aliquid univerſaliter præſumit, univerſaliter procedit, neque ceſſat lex irritans, in tali præſumptione generali fundata, etſi in caſu particulari adſit, quod Jus generaliter præſumit abeſſe, uti ante ſeptennium præſumit generaliter nondum adeſſe uſum rationis. Ad 4. In caſu dicti *c. 3.* fuit dubium, an Sponſalia poſt ſeptennium non fuerint ratificata per factum ſeu copulam attentatam; quia Pontifex addit hæc verba, *ex humana fragilitate forſitan tentaverunt, quod complere non potuerunt*, atque ideo in dubio tutiorem partem elegit, non autem decîdit, nec habuit pro certo, quòd impedimentum publicæ honeſtatis fuerit ortum ex Sponſalibus cum nondum ſeptenni initis.

4 Dico 2. Matrimonium ante completos pubertatis

tatis annos contractum non valet, nisi jam priùs, ut apud fœminas sæpius contingere potest, adsit potentia ad copulam de se aptam ad generationem prolis, adeóque sufficit pubertas tam Naturalis quàm Legalis, & in Matrimonio malitia potest supplere defectum ætatis. Communis & certa ex *c. 3. 6. 9. 10. 11. h. t.* Consonat *pr. Inst. de Nupt.* Si tamen adsit Legalis pubertas, valet Matrimonium, licèt necdum adsit potentia proxima ad generandum, vel ad copulam, eò quòd impotentia, nisi sit perpetua, non sit impedimentum dirimens. per *c. 5. & fin. de Frigidis.*

Quæres, an Matrimonium, quod contrahunt impuberes invalidè, non habeat vim Sponsalium de futuro? R. habent. *c. fin. h. t. c. un. §. idem quoque eod. in 6.* quia Jus præsumit, & interpretatur voluntatem impuberum, quòd velint saltem contrahere, quo modo possunt, nempe Sponsalia de futuro, juxta illud, *si actus non valeat, ut ago, valeat meliori, quo potest, modo.* per *l. 27. §. 9. ff. de Pact.* Excipe, nisi expressè Sponsalia excluderent, & determinatè non nisi Matrimonium, contrahere intenderent; quia actus non valeat ultra intentionem agentium: & tunc subintrat aliud axioma, *quod voluit, non potuit, & quod potuit, non voluit. c. 23. de offic. deleg.* §

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Matrimonium Clandestinum.*

2. 3. *Sine præsentia Parochi &c. non valet.*
4. 5. *Valet tamen apud Hæreticos Germania.*
6. *An valeat, si Catholici contrahant in loco, ubi Tridentinum non est receptum.*
7. 8. *Qualis debeat esse Parochus assistens Matrimonio.*
9. *Et quales esse testes præter Parochum.*
10. *Quis sit Parochus respectu Vagorum, & Militum.*
11. *Quæ sit pœna clandestinè contrahentium, & Parochi non proprii assistentis.*
12. 13. *Matrimonium sine præviis Denuntiationibus validè, at non licitè contrahitur.*
14. *Quis dispenset in Denuntiationibus.*
15. *Quæ sit pœna sine iis assistentium, & contrahentium.*
16. *Benedictio nuptiarum an & quando imponenda.*

1 CLandestina desponsatio, de qua hìc agitur, non denotat Sponsalia clàm inita, sed Matrimonium clàm, seu sine solennitatibus à Jure requisitis, contractum. Duplex autem præscripta est *solennitas*, nempe *intrinseca & substantialis*, quæ requiritur ad valorem Matrimonii, atque consistit in præsentia Parochi & duorum vel trium testium; quæ solennitas si non adhibeatur, Matrimonium dicitur absolutè & *simpliciter clandestinum:* dein *solennitas extrinseca & accidentalis*, quæ requiritur ad liceitatem Matrimonii, atque consistit in præviis *denuntiationibus*, quæ sunt proclamationes futuri Matrimonii eum in finem faciendæ, ut, siquis sciat impedimentum in

ter contrahere volentes, illud manifestet Parocho &c. & in *benedictione sacerdotali nuptiarum*, quæ sunt ceremoniæ & precationes sacræ in actuali copulatione sponsorum faciendæ à Sacerdote assistente ad impetrandas novis conjugibus ampliores gratias ad onera Matrimonii faciliùs sustinenda, & ad sobolem Christianè educandam; quæ solennitas si non adhibeatur, vocatur Matrimonium *clandestinum secundùm quid*. De cæteroper *Matrimonium clandestinum* simpliciter prolatum ordinariè intelligitur clandestineitas prima, quæ est *impedimentum dirimens*. De qua proin.

Dico 1. Matrimonium, quod Catholici contrahunt *non in facie Ecclesiæ*, seu sine præsentia proprii Parochi (vel alterius sacerdotis cum licentia Parochi) & duorum vel trium testium, in locis, ubi Tridentinum fuit promulgatum, nec usu contrario abrogatum, hodie est invalidum. Communis omnium Catholicorum & certa ex Trid. *s. 24. c. 1. de ref. Matrim.* ibi: *quia aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit* &c. Et hoc decretum jussit eadem Synodus in *singulis Parochialibus Ecclesiis publicari*. Igitur Matrimonia dictô modô clandestina, quamvis jam olim fuerint illicita Jure Ecclesiastico. per *can. 1. seqq. caus. 30. q. 5.* hodie propter decretum Tridentini etiam sunt invalida. Ratio irritandi fuit generale periculum, ne quidam conjugem clandestinè & validè ductam

rur-

rursus repudient, & aliam in facie Ecclesiæ do cant, atque sic in perpetuis adulteriis vivant, non sine gravi animarum & boni publici detrimento. Cùm igitur hæc lex irritans spectet bonum publicum, & fundetur in præsumptione generali periculi, ab ejus observatione nec ignorantia liberat, nec necessitas privata, ut si Parochus esset absens, vel mortuus, & moriturus v. g. vellet docere concubinam ad legitimandas proles; eò quòd actus suâ forma & solennitate substantiali careat semper sit nullus, quasi non esset gestus; sicut homo nequit existere sine anima. Dixi, *in locis, ubi Tridentinum fuit promulgatum:* promulgatum autem est in Hispania, Lusitania, Italia, & Catholica Germania, atque in iis provinciis, quæ adhuc erant Catholicæ anno 1564. quo confirmatum & promulgatum est Tridentinum, uti in Hollandia, Zeelandia, Frisia, & aliis Belgii confœderatæ Provinciis, item in Gallia, licèt non initio, posterioribus tamen temporibus, &, ut aliqui volunt, anno 1602. vid. P. Wex *de Sponsal. tr. 2. §. 4. 24.* atque nuper in Hungaria sub Eminent. Card. de Colonitsch, ut testatur P. Kugler *de Matrim. n. 289.* Econtra promulgatum non est in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Saxonia, Brussia, Pomerania &c.

3 *Objic.* 1. In *can. 1. cit.* Evaristus Papa clanculum Matrimonia vocat *adulteria, stupra, fornicationes:* ergo jam ante Tridentinum fuerunt nulla. 2. Ante Tridentinum non erat illicita desponsatio clandestina, quando aderat justa causa, v.g. periculum gravis damni, vel Matrimonii malitiosè impedienda: ergo nec hodie erit invalida, ubi justa interveniat causa,

causa, vel necessitas privata; aliàs 3. Matrimonium foret nullum, si locus diu, v. g. per annum, careret propriô Parochô, vel ad eum, aut ad Episcopum tutus non patéret accessus: quod esset nimis difficile. R. ad 1. Evaristus addit, *nisi voluntas propria suffragaverit:* ergo non propter clandestineitatem vocavit adulteria, fornicationes &c. sed propter defectum legitimi consensûs; eò quòd ejusmodi Matrimonia clandestina per copulam fornicariam & ad impuros amores explendos fuerint sæpe solùm in speciem inita, & ficto consensu. Ad 2. *N. cons. & parit.* quia lex merè prohibens recipere potest interpretationem ex epiikia, & justam causam excusantem, non verò lex irritans, & aliquid exigens tanquam formam substantialem ad actum, quam existere sine sua forma repugnat. Ad 3. Pro casu, quo Lex passim observari nequit, etsi irritans sit, non stringit, quia bonum & necessitas publica ita exigit. Et de hac lege, clandestina Matrimonia irritante, sic declarâsse refertur Clem. VIII. & Congreg. Cardd. anno 1603. nempe tunc tantùm ea esse invalida, quando Parochus Catholicus haberi facilè potest. P. Kugler *n. 290.* P. Wex *n. 27.* Proin in tali casu sufficient alii duo testes. Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7.* Zœs. *h. t. n. 25.*

Quæres an Matrimonia Hæreticorum, non contracta coram Parocho Catholico, sed coram Præcone, vel clandestinè, in locis, ubi Tridentinum aliquando fuit promulgatum, & ipsi vivunt immixti Catholicis, ita ut per se facilè haberi possit Parochus verus & Catholicus, v. g. Augustæ, Ratisbonæ &c. sint valida? R. affirmativè. Ita Diana, 4

Gonzal. Esparza, & cum Tannero, Laym. Stale
in dissert. Theologo-Politica c. 4. seqq. part. post
P. Kugler *n. 894.* imò communior inter Germa
Scriptores contra Fagn. Zœs. Reiffenstuel &
Franc. Schmier *de Sponsal. & Matr. p. 3. c. 5. n.*
modò Hæretici in tali loco habeant publicum
Sectæ exercitium; si enim hoc non habeant,
v. g. in Bavaria, pro invalidis haberem; cùm
tractus secundùm leges & consuetudines loci
beant celebrari. Et modò non subsint Catho
Principi, talibus conjugiis resistenti, utì in
tibus Silesiæ & Moraviæ vicinis, ut bene exc
Stalenus. Probatur 1. illis argumentis, quæ
I. de Sponsal. & Matr. n. 34. adduxi. 2. Ex mor
impossibilitate observationis Tridentini; cùm
lus Hæreticorum sine gravibus incommodis
ram Catholico Parocho possit contrahere, &
rique communiter vel ipsam legem Triden
vel eâ se adstringi, ignorent, imò plerumque
tent sibi illicitum esse contrahere coram Paroc
Catholico. 3. Ex communi sensu fidelium, p
les ex hujusmodi conjugiis prognatas in utro
foro pro legitimis habentium. 4. Ex praxi E
scoporum, qui hujusmodi conjuges ad Fidem C
tholicam conversos non separant, nec urgent
noviter contrahendum, connivente Curia Ro
na, ut maximè patuit, quando ante 100. circi
annos Palatinatus Neoburgicus ad Ecclesiam
mano-Catholicam reversus est. Hæc argumen
si non faciant moralem certitudinem nostræ
tentiæ, saltem faciunt eam verè & practicè p
babilem, ut fatetur P. Gobat, acer Adversarius
qui *cit. tit. I. n. 35.* docuimus, quòd licitè ac
licè

lidè contrahatur Matrimonium cum opinione Juris probabili de non existentia impedimenti, præsertim si hoc sit solùm Juris Ecclesiastici, in quo Ecclesia potest, & propter publicum bonum censetur tacitè dispensare.

Objic. 1. & principaliter. Exstant declarationes S. Congreg. Cardd. in contrarium: prima fuit data anno 1605. 10. Jun. ad Nuntium Apostolicum in Belgio, sic sonans: *Hæreticos quoque, ubi Decretum Tridentini est promulgatum, teneri talem formam observare, & propterea ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro Hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla & irrita esse.* Alteram refert P. Reiffenstuel *h. t. n. 141.* hujus tenoris: *Catholicus cum Hæretica Matrimonium coram Magistratu Sæculari in loco, ubi Conc. Tridentinum est receptum, & Parochus commodè haberi, & adiri poterat, contraxit, & postea consummavit, die 2. Maji S. Congregatio censuit, dictum Matrimonium fuisse nullum.* 2. Ex nostra doctrina sequitur, quòd etiam Catholicus in tali loco contrahens cum Hæretica, quæ nonnisi coram Ministello Hæretico vult contrahere, validum celebret Matrimonium, sicut incola contrahens cum vago se huic accommodare potest, & coram quocunque Parocho contrahere: atqui hoc videtur intolerabile: ergo. R. ad 1. Abstrahendo, an illæ declarationes habeant omnia, quæ Sixtus V. & Gregor. XIV. requirunt (quod necdum probatum est) dico ad primam, quòd data sit ad unitas Belgii provincias illo tempore, quo necdum in illis ita invaluerat Hæresis, & tam liberum ejus exercitium, consequenter quo ad-

§

huc spes erat obtinendi observationem Tride-
tinæ Synodi: nunc autem & ibi sunt muta-
circumstantiæ, & contraria consuetudo nimis
valuit, ut adeò nec ibi ampliùs stringat illa
claratio; multò minùs in aliis Hæreticorum p
vinciis, pro quibus non est data, sed ad loc
specialem restricta: non enim solent univer
ter dari ejusmodi declarationes. Secunda
claratio loquitur de Catholico contrahente c
Hæretica, & quidem in loco, ubi facilè hab
potest Parochus Catholicus, de quo casu hìc
est sermo, sed de Matrimoniis Hæreticorum.
2. Vel in tali commodè & sine valde gravi di
cultate haberi & adiri potest Parochus Cath
cus, vel non? Si prius, etiam juxta me inv
dum probabiliùs foret Matrimonium: si poste
puto illud valere tum propter declaration
Cardd. de anno 1603. de qua *n. 3.* tum p
pter hoc Juris principium, quòd contractus
ctè regulentur secundùm leges & consuetudi
locorum.

6 Petes, an valeat Matrimonium, siqui ex lo
ubi Tridentinum est receptum, se conferant in
cum, ubi receptum non est, vel etiam nunquam p
mulgatum, ibique contrahant? R. cum distinct
ne, si eò se conferant animô figendi domicili
vel quasi-domicilium, vel, ut habet probabilis,
gotii causâ, vel si unus contrahentium sit ibi inco
la, valet. per *c. 1. de Sponsal. & c. fin. de for. com*
quia incolæ, & peregrini rectè celebrant contr
ctus juxta leges & consuetudines locorum, ubi e
stunt, nec egressi suis locis obligantur legibus
rum. Si verò præcisè eum in finem se conferant

ut

talem locum, ut ibi Matrimonium contrahant clandestinè, retentô domiciliô priori, probabiliùs non valet, ut docet communior contra Pont. Zæs. Pirh. Gonz. Ratio, quia ex una parte Lex Tridentina est irritans Matrimonia clandestina propter generale periculum ab illis recedendi, quæ ratio etiam pugnat in egredientibus præcisè eo fine, ut contrahant clandestinè, ex altera verò parte ratio prudens non apparet, propter quam cessare præsumi possit Lex Tridentina, & permittere egressum præcisè ex tali fine: ergo etiam egressus talis à dicta Lege est prohibitus, & manet lex irritans; præsertim cùm ita Tridentini decretum explicaverit declaratio Cardd. approbata ab Urbano VIII. 14. Apr. 1627. per speciale Breve, quod ex autographo refert Lugo, & decretis Synodi Diœcesis Colonienſis anno 1662. insertum est, ac insuper non modò in Archiepiscopatu Colonienſi, ac eidem subjectis Episcopatibus, sed etiam in aliis Germaniæ Diœcesibus videtur esse receptum.

Objic. 1. Tridentinum inhabilitavit ipsas personas ad clandestinè contrahendum: ergo hæc inhabilitas est personalis, & comitatur personas ex quacunque causa egressas è loco sui domicilii. 2. Contractus sunt regulandi secundùm leges loci, & egressos non obligant leges proprii domicilii: ergo, etiamsi egrediantur præcisè ideo, ut contrahant clandestinè, valebit Matrimonium. R. ad 1. Inhabilitatio personarum, non inflicta per sententiam specialem, sed per decretum generale pro existentibus in aliquo loco, afficit locum, & existentes in tali loco; nam tale decretum imitatur naturam Legis, quæ respicit territorium, adeóque

inhabilitas hæc localis est, non personalis. Ad 1. Id quidem generaliter verum est, nisi lex aliud velit: atqui Lex Tridentina, præsertim ut explicata ab Urbano VIII. declarationem Cardd. approbante, aliud vult, & stringit etiam ex tali fine egredientes: ergo.

7 Dico 2. Parochus, cujus præsentia requiritur ad valorem Matrimonii, debet esse proprius ratione domicilii, vel quasi-domicilii, contrahentium, saltem alterutrius. 2. Validè tamen assistit, licèt non dum sit Sacerdos: vel assistat extra fines suæ parochiæ, in quocunque loco: item licèt sit putitius tantùm, vel intrusus: aut invitus, vel deductus: aut excommunicatus, suspensus, interdictus, vel irregularis: aut etiam specialiter prohibitus ab Episcopo, ne assistat, quia non obstante tali prohibitione manet Parochus. 3. Ille tamen, qui locò Parochi assistit, necessariò debet esse Sacerdos. 4. Et licentiam assistendi à Parocho vel Ordinario consecutus esse actu; ut adeò non sufficiat licentia merè præsumpta, quæ nimirum fuisset data, si fuisset petita; neque ratihabitio subsequens. Pars 1. sumitur ex Trid. *s. 24. c. 1. de ref. Matr.* ubi requirit assistentiam *Parochi*, & in antecedentibus præcipit denuntiationes fieri *proprio contrahentium parocho*, ac in subsequentibus punit *alterius Parochiæ sponsos conjungentem*: modò autem respectu alterutrius sit proprius, & eligatur à contrahentibus ad assistendum hoc ipso quoad hunc contractum Matrimonialem, quia est individuus, sit etiam proprius respectu alterius. Porro *Parochi* nomine venit etiam Episcopus (Sede vacante Capitulum) Vicarius Gene-

lis.

lis, Vicarius Parochialis tam temporalis quàm perpetuus. Pars 2. ex eodem Trid. *loco cit.* ubi nihil aliud requirit, quàm qualitatem *Parochi:* nec aliud aliunde probatur; cùm assistens Matrimonio nec sit Minister hujus Sacramenti, sed solùm testis qualificatus, nec assistentia sit actus jurisdictionis, sed solùm excellentis testimonii. Pars 3. iterum ex Trid. *d. lo.* per verba, *qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio NB. sacerdote de ipsius parochi, seu Ordinarii, licentia* &c. en! in alio, qui loco Parochi assistit, requirit qualitatem sacerdotii, sive dein sit curatus, vel non, excommunicatus, irregularis &c. vel non: item exigit licentiam, nimirum vel expressè vel tacitè datam, generaliter vel specialiter. Quia verò ea, quæ requiruntur ad valorem & substantiam alicujus actûs, actualiter & pro priori adesse debent, quando actus geritur, ideo licentia debet actu jam esse concessa, quando ponitur assistentia: proin licentia *merè* præsumpta, quæ nec tacitè aut generaliter jam est data, sed tantùm præsumitur danda, vel daretur, si peteretur, non sufficit; nec ratihabitio futura, licèt certò credatur Parochus postea ratificaturus assistentiam alieni.

Objic. 1. Qui loco Parochi assistit, debet esse Sacerdos: ergo & ipse Parochus, præsertim cùm Trid. dicat, *vel alio sacerdote:* sed tò *alius* est vox relativa, & repetitiva similium. 2. Parochus putatitius, utì & intrusus, non est Parochus. 3. Excommunicatus autem saltem vitandus, non potest validè exercere actum jurisdictionis, nec actum officii Parochialis. per *c. 16. de Elect.* nec validum ferre testimonium. *c. 8. & 14. de sent. Excomm.*

in 6. Ergo hujusmodi Parochus non assistit valide. 4. Licentia præsumpta sufficit ad dandam alienis Parochianis Absolutionem Sacramentalem: ergo etiam sufficit ad assistendum Matrimoniis alienorum Parochianorum. 5. Ratihabitio futura retrahitur ad tempus, quo geritur actus. *c. 10. de R. J. in 6.* Et hinc valet Matrimonium sub hac conditione contractum, *si Papa dispensaverit:* ergo etiam contractum sub hac conditione, si proprius Parochus ratificaverit, vel postea consenserit. 6. Validè & licitè potest aliquis uti re aliena ex consensu domini rationabiliter præsumpto: ergo etiam assistere Matrimonio alienorum ex licentia Parochi rationabiliter præsumpta. 7. Ponamus quòd Parochus dederit quidem licentiam, id tamen ab assistente ignoretur: in hoc casu dici non potest, an valida sit assistentia, vel non, nisi dicatur sufficere licentia præsumpta: ergo.

R. ad 1. Disparitas patet ex verbis Tridentini, quod quidem in substituto, non autem in Parocho, exigit qualitatem sacerdotii, forsan ex ratione, ut in substituto per sacerdotium suppleatur qualitas Parochi tanquam testis excellentis. Tò *alius* non semper denotat similitudinem qualitatis; aliàs deberet dici, quòd Christus fuerit nequam, quia S. Lucas *c. 23.* ait: *ducebantur & NB. alii duo nequam cum eo*, videlicet cum Christo. Ad 2. Error communis, quò Parochus putatitius, vel intrusus (ubi communiter ignoratur intrusio) habetur pro vero Parocho, facit, ut Ecclesia suppleat defectum ob bonum publicum, quod exigit talium actus esse validos. *arg. l. Barbarius. 3. ff. de Off. Prat.* Ad 3. Assistentia Mat-

mo-

monii non est actus jurisdictionis, etiam voluntariæ tantùm: nec absolutè actus officii Parochialis, seu Parochi quà talis, cùm possit substituere alium: imò, licèt admittatur esse actus officii, uti est actus testis qualificati, tamen propterea assistentia Parochi excommunicati non tolerati non foret invalida, cùm nullibi sit irritata, & causa Matrimonii in Jure sit valde favorabilis; consequenter Jura, quæ pro casibus particularibus in citt. Juribus irritant actum officii, vel testis, ab excommunicato gestum, non sunt trahenda ad assistentiam Matrimonii. Ad 4. *N. ant. & cons.* Aliud est de casu, quo Eychariſtia, vel Extrema Unctio, administratur alienis Parochianis, quia in his Sacramentis non requiritur ad valorem, sed solùm ad licentiam, consensus proprii Parochi. Ad 5. Regula non procedit in iis, in quibus aliena voluntas in principio actûs requiritur ad valorem tanquam forma substantialis. Paritas cum dispensatione Pontificis futurâ & illa conditione à contrahentibus adjectâ, non est; eò quòd in potestate Pontificis quidem sit tollere impedimenta Juris Ecclesiastici, non verò in potestate Parochi per subsequentem ratificationem validare Matrimonium, vel postea supplere id, quod de Jure requirebatur ad validè cotrahendum Matrimonium; hoc enim, si invalidè ob defectum substantialis formæ semel contractum est, manet invalidum; cùm Parochus nequeat retro habilitare personas, ad contrahendum pro tunc inhabiles. Ad 6. iterum est disparitas, quia licitus ille & validus usus dependet à sola voluntate & consensu domini: valor autem Matrimonii sine legitimi testis assistentia semel

invalidè contracti non dependet à voluntate Parochi primùm postea consentientis. Ad 7. Distinguendum est: si assistens priùs petiit licentiam assistendi à Porocho proprio, & iste licentiam dedit, licèt necdum intimatam, tunc valere ajo, quia licentia necessaria non solùm jam est actu data sed etiam per ejus petitionem acceptata: si vero assistens non petiit, non valere dico, licèt data jam sit, non tamen intimata, quia licentia habet rationem gratiæ vel privilegii: sed ad hoc, ut gratia vel privilegium subsistat, requiritur non tantùm consensus concedentis, sed etiam regulariter acceptatio, & consensus recipientis: qui autem nec petiit licentiam per se (nec alius pro ipso, & quidem conscio) non posuit consensum & acceptationem.

9 Dico 3. Præter Parochum ad valorem Matrimonii requiruntur etiam alii duo vel tres testes usu rationis præditi, ac moraliter præsentes, ita ut ritè percipiant, quid agatur. 2. Non tamen debent esse specialiter ad id vocati vel rogati, nec legitimi, aut omni exceptione majores, ita ut ipsis non obstet, si sint impuberes, fœminæ, criminosi, infames, excommunicati, consanguinei &c. Pars prior clarè est decisa in Trid. *lo. cit.* & Jus Naturale exigit, ut testis percipere possit, ac percipiat ea, de quibus debet ferre testimonium. Pars posterior colligitur ex eodem Trid. ubi nec specialem testium rogationem, nec ullam aliam in iis qualitatem exigit, qualem in aliis materiis Jura exigunt. Dein etiam secundùm alia Jura in causis favorabilibus admittuntur testes aliàs non legales, & legitimi. *c. 5. de Hæret. in 6.* atque in præsentia testis valde excellentis & speciá-

tur

ter idonei (qualis in ordine ad contrahendum Matrimonium est Parochus) sæpe sufficiunt testes de Jure Positivo aliàs inhabiles vel minùs habiles. text. & DD. in *l. 6. §. cogentur ff. de Edendo.* præsertim si communi Partium consensu, ut v. g. contingit in erectione Instrumentorum, adhibeantur, & sic quasi approbentur. Nec obstat, quòd testes isti fortè sint inviti. *l. 209. ff. de V. S.* ibi: *scire autem non velle debet is* (qui testis est) *nam & invito eo rectè fit, quod jussum est.* Sed

Objic. 1. In *c. 2. h. t.* Ad probandum, quòd Matrimonium non sit clandestinè contractum (quod olim etiam erat illicitum) requirebatur *legitima probatio:* ergo etiam hodie adhuc requiritur legitima probatio, seu per legitimos testes, ut constet Matrimonium non clandestinè, ac proin non invalidè contractum fuisse. 2. In causa Matrimonii Jus Antiquum exigit testes *circumspectos, idoneos, omni exceptione majores. c. 1. de consang. c. 10. de despons. Impub. c. 22. de testib.* ergo etiam Jus Novum Tridentini. R. ad 1. Legitima probatio Matrimonii contracti à Tridentino jam habetur per Parochum, & duos alios testes qualescunque, licèt careant illis qualitatibus, quas in iis requirunt Leges in aliis causis. an *d. c. 2.* plus requisiverit, non claret ex textu, &, licèt clareret, censeretur esse correctum à Trid. Ad 2. *dist. ant.* in causa Matrimonii iterum dissolvendi, de quo casu loquuntur *citt. c. 1. & 10. C. ant.* in causa Matrimonii pangendi & constituendi. *N. ant. & conf.* In *c. 22. cit.* repulsa est mater tanquam testis inhabilis, quia nimis affectabat Matrimonium filiæ cum viro nobili & divite, adeóque

que tanquam testis suspectæ fidei ob causam particularem, non quia mulier erat.

10 Quæres, quis respectu Vagorum & Militum, sit competens Parochus ad Solennizandum Matrimonium illorum? R. 1. Respectu *Vagorum*, qui nomine intelliguntur, qui nec verum nec quasi-domicilium ullibi habent actu, est omnis Parochus loci, in quo vagi morantur, imò etsi unus tantùm contrahentium sit vagus: & probabilius non alius Parochus, in cujus Parochia vagi, aut vagus actu non moratur, ut tenent Coninck, Valens. Pirhing. *h.t.n. 19.* contra alios multos. Ut autem licitè Parochus loci assistat vagis, debet præmissa *diligenti inquisitione* de statu & conditione illorum *rem ad Ordinarium deferre*, atque *licentiam assistendi ab eo obtinere.* Trid. *s.24. c. 7. de ref. Matrim.* Aliqui putant, etiam juramentum de carentia impedimenti à vagis exigendum esse. R. 2. Respectu *Militum* opus est distinctione: vel habent peculiarem Curionem seu Capellanum Castrensem, & quidem talem, cui potestas administrandi Militibus Sacramenta vel in genere, vel etiam in specie ad assistendum eorum Matrimoniis à Summo Pontifice, aut Episcopo (hujus tamen concessio ultram suam Diœcesim se non extendit) est concessa, vel non habent talem Curionem? In priori casu proprius Parochus est hujusmodi Curio. In posteriori Parochus loci, ubi milites existunt, sive dein transeant in tali loco & tum sunt instar vagorum, sive sint in hybernis nacti quasi-domicilium. Vid. Reiffenstuel *h.t. n. 97.* & König *n. 15.* & P. Reüttlinger *p.2. cl. 1. §. 5. casu tertio.*

Dico

Dico 4. Contrahentes culpabiliter Matrimo- 11
nium sinè præsentia Parochi, aut testium, non solùm graviter illicitè, & simul invalidè agunt, sed etiam arbitrariè ab Episcopo & graviter puniendi sunt. Parochus verò aut alius Sacerdos, præsumens alienos parochianos sine licentia conjungere, aut eorum nuptias benedicere, ipso Jure tam diu suspensus est, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio assistere debebat, aut benedicere, absolvatur. Patet utrumque membrum ex Trid. *lo. cit. c. 1.* Hucusque de Matrimonio simpliciter clandestino, in quo deficit solennitas intrinseca & substantialis; nunc autem de Matrimonio clandestino secundùm quid, in quo deficit solennitas extrinseca, nimirum denuntiationes præviæ.

Dico 5. Antequam Matrimonium contrahatur 12
in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho & testibus prædictis, debet à proprio contrahentium Parocho ter publicè denuntiari tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solennia, expressis nominibus personarum illud contrahere volentium. 2. Quæ si omittantur sine dispensatione Ordinarii, aut sine justa causa, Matrimonium valet quidem, graviter tamen peccant contrahentes & assistentes. 3. Subjacéntque certis pœnis. Habentur hæc in *c. fin. h. t.* & maximè in Trid. *lo. cit.* & *c. 7.* Ratio est, ut, siquis fortè sciret, aliquod impedimentum vel dirimens vel impediens inter contrahere volentes existere, vel saltem suspicaretur, id in tempore manifestet Parocho, ut non assistat, antequam constet, nullum subesse impedimentum, vel illud dispensatione esse

sub-

sublatum. Interim tamen notant Doctores 1. Dictas denuntiationes, si fortè præmitti non potuerint, sed dilatæ sint ex permissione Episcopi suppleri posse ac debere post nuptias; interea autem conjuges abstinere tenerentur sub mortali ab actu conjugali. 2. Sufficere posse unicam denuntiationem, si Episcopus dispenset, vel fortè impetretur, ne, si ternæ fiant, Matrimonium malitiosè impediatur. 3. Fieri posse etiam diebus Dominicis; & inter dies festivas posse intermediare feriales, imò, si tria festa immediatè essent continua, ut v. g. in Paschate, rectè interpolantur per dies feriales. 4. Nihil obstare, si per accidens fierent extra Ecclesiam & Missarum solennia, aut die etiam non festo, si populus numerosus v. g. in aliqua celebritate concurrat extra Ecclesiam, & die feriato; sic enim intentioni Ecclesiæ, impedimenta fortè latentia detegi cupientis, omnino satisfieri censent. 5. Parocho licere alium, maximè sacerdotem, sibi substituere ad faciendas denuntiationes. 6. Non esse necesse, ut fiant in propria contrahentium Ecclesia, si meliùs haberi posse speretur notitia impedimenti, si alibi fiant. 7. Si contrahentes habent diversos Parochos, quamvis ab utroque, ubi contrahentes habent, vel proximè habuerunt domicilium vel quasi, denuntiationes fieri per se debeant, sufficere tamen, si fiant in alterutra Parochia, ubi vel sic habet praxis, vel commodè in utraque fieri nequeunt, ob justam causam, v. g. notabilem loci distantiam.

13 *Objic.* 1. Quæ contra Jus fiunt, pro infectis haberi debent. *c. 64. de R. J. in 6.* ergo Matrimonium, sine denuntiationibus à Jure præscri-

scriptis contractum, est nullum. 2. Tridentinum utitur Ablativô absolutè positô per verba, *quibus denuntiationibus factis:* sed ablativus absolutè positus importat *conditionem sine qua non*, & dat formam actui: ergo sine denuntiationibus non valet Matrimonium. R. ad 1. quæ fiunt contra Jus irritans actum. *C. ant.* Contra Jus merè prohibens, quale est Tridentinum quoad denuntiationes. *N. ant. & conf.* Ad 2. Non semper importat *conditionem sine qua non*, nec semper dat formam substantialem actui, sed solùm tunc, quando verba Legis id satìs exprimunt: atqui Tridentinum per illum ablativum absolutè positum non satìs id exprimit.

Quæres, ad quem pertineat dispensatio in 14
denuntiationibus Matrimonii? & ob quam causam concedi possit, vel debeat? R. ad 1. Pertinet ad Ordinarium. Trid. *lo. cit.* Nomine *Ordinarii* autem venit non solùm Episcopus, & Sede vacante Capitulum Cathedrale, sed etiam Vicarius Generalis, ut habet communis DD. & praxis: non verò Parochus, etiam in casu necessitatis; licèt in tali casu urgentis necessitatis, v. g. si moribundus vellet ducere concubinam ad legitimandas proles, vel si sponsus desertâ sponsâ meditaretur abitum, aut periculum foret, ne Matrimonium malitiosè impediretur, si fieret recursus ad Ordinarium pro dispensatione &c. Parocho permittatur per quandam epijkiam ita interpretari Tridentinum, ut pro his circumstantiis non stringat; quod non est propriè dispensare. In dictis tamen casibus, si ambo conjuges supervivant, debet postea Parochus supplere denuntiationes, ac

inte-

interim Sponſis inhibere conſummationem Matrimonii, licèt moraliter certum eſſe videretur nullum inter illos impedimentum ſubeſſe; quia Tridentinum propter generale periculum, ne impedimentô laborantes conjungantur, præcipit denuntiationes præmitti. R. ad 2. Cauſæ juſtæ, ut poſſit Ordinarius diſpenſare, ſunt 1. erubeſcentia & pudor, facilè oriturus ex denuntiationibus, ſi quis cum valde diſpari quoad ſtatum vel æquitem vellet contrahere. 2. Moralis certitudo, nullum ſubeſſe impedimentum, vel id aliunde deſumendum, ut ſi Magnates contrahunt. 3. Moralis inutilitas denuntiationum, ut ſi contrahunt vagi, vel penitus ignoti. Dixi, *ut poſſit*; ſubinde enim tenetur diſpenſare, quando nempe vel contrahentibus vel communitati per diſpenſationem procuratur notabile bonum, v. g. honoris, fortunarum &c. aut grave avertitur malum, v. g. periculum infamiæ, punitionis ratione concubinatûs, incontinentiæ, ſi differatur Matrimonium inſtante v. g. Quadrageſima, vel probabiliter timeatur, ne alterutra Pars injuſtè reſiliat, deflorator corruptam poſt longiorem moram iterum deſerat, conſanguinei malitiosè impediant Matrimonium &c.

15 Petes, quæ ſint pœnæ culpabiliter contrahentium, & aſſiſtentium Matrimoniis, ſine denuntiationibus, & diſpenſatione in iisdem. R. 1. Reſpectu aſſiſtentium eſt triennalis ſuſpenſio ab officio, ferendæ tamen ſententiæ per *c. fin. h. t.* Quæ, poſtquam Epiſcopus miniſterialiter tulit, dicitur eſſe reſervata Summo Pontifici. P. Kugler *de Matrim. n. 246.* R. 2. Reſpectu contrahentium difficultas impetrandi diſpen-

dispensationem in impedimento dirimente, si postmodum latuisse aliquod constiterit. Trid. *lo. cit. c. 5.* Et hinc in petitione dispensationis necessariò exprimenda est omissio denuntiationum. Dein proles, si fortè Matrimonium ratione impedimenti latentis fuisset nullum, sunt illegitimæ, non obstante, quòd uterque contrahens ignoraverit impedimentum. *c. fin. cit. §. siquis.* cùm Trid. *lo. cit.* tales cómparet scienter contrahentibus cum impedimento. ℣. 3. Tam contrahentes, quàm Parochus assistens, & testes atque cooperantes sine denuntiationibus prævis, arbitrariâ insuper pœnâ sunt afficiendi. *d. c. fin.* 16

Dico 6. Benedictio solennis Nuptiarum (vel potiùs personarum nuptias celebrantium) quæ etiam est solennitas accidentalis & extrinseca, à Sacerdote, legitimo assistente, impertienda est sub præcepto (non tamen gravi, ut fert communis sententia) & quidem inter Missarum solennia (licèt, ubi ita fert usus, sufficiat etiam impertiri ante altare, vel in templo, imò etiam in domo privata) *can. 1. seqq. caus. 30. q. 5.* Trid. *lo. cit. c. 1.* De Jure tamen nuptiæ secundæ non sunt benedicendæ, si nimirum vel uterque, vel unus saltem contrahentium hanc benedictionem jam semel recepit, ad secunda vota transiens. *c. 1. & 3. de sec. nupt.* quia, ut major sit benedictionum solennium reverentia, eas Ecclesia non vult repeti respectu ejusdem rei vel personæ. Vi tamen consuetudinis, vel statuti, etiam secundæ nuptiæ alicubi benedicuntur, saltem si unus conjugum nunquam recepit benedictionem. Sic Rituale Diœcesis Frisingensis permittit benedictionem, si sola

fœmina nunquam recepit; prohibet autem, si fola vir nunquam recepit, seu si fœmina sola celebre secundas nupitas.

TITULUS IV.

De Sponsa Duorum.

SUMMARIUM.

1. *Impedimentum Ligaminis, Dirimens & I pediens.*
2. 3. *Quo Jure prohibitum sit & irritatem M trimonium cum duabus, vel duobus simul.*
4. 5. *Sponsalia de futuro secunda non valent.*
6. *Nec obligant, licèt prior sponsa suo jure ce rit.*
7. 8. *Valent tamen Sponsalia de præsenti, li ea contrahens maneat obligatus sponsa prio*

1 *Sponsa duorum* dicitur, quæ duobus viris *Sponsus duarum*, qui duabus fœminis, pluribus, desponsatur vel de futuro, u quis Matrimonium promisit uni, dein alteri, forsan postmodum tertiæ &c. vel de præse ut siquis Matrimonium contraxit cum Bert dein cum Titia, ac fortè etiam cum Caja & in vivis adhuc existente Bertha. Si vir sibi p res actu jungat uxores, ut eas simul & sem habeat, vocatur *Polygamia:* si fœmina plures ros, *Polyviria*, vel *Polyandria*. Quia verò p ralitatem uxorum, vel virorum, reprobant

tam

tam Positivum quàm Naturale & Divinum, ideo cum una Matrimoniô ligatus (vel ligata cum uno) laborare dicitur impedimento *Ligaminis dirimente*, de quo hìc agimus. Si verò aliquis (vel aliqua) jam sit alteri obligatus per Sponsalia tantùm, habet quidem impedimentum *ligaminis*, at *impediens* tantùm, quo stante cum alia persona illicitè contrahit Matrimonium, in ordine tamen ad contrahenda Sponsalia cum alia persona forsan priora Sponsalia erunt impedimentum absolutè dirimens, ut dicetur inter alia, quæ huc pertinent.

Dico 1. Polygamía (& à fortiori Polyviría) 2
non solùm est contra Jus Ecclesiasticum *c. 2. 3. 4. fin. h. t.* & Cæsareum. *l. 2. C. de incest. nupt. Const. Crim. Caroli V. art. 121.* sed etiam contra Jus Divinum & Naturale, adeóque impedimentum Ligaminis dirimens est introductum etiam Jure Divino, & Naturali, sed conditionato tantùm. Itaque Matrimonium secundum est nullum, quod contrahitur nondum solutô primô quoad vinculum seu ligamen. Quòd sit contra *Jus Divinum*, omnino certum, ac definitum est contra Lutherum in Conc. Trid. *s. 24. de Sacram. Matrim. can. 2.* ibi: *siquis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit.* Dein probatur ex significatione Matrimonii, quam habet Jure Divino Sacramentum Matrimonii, quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. *Eph. 5.* utique unius cum unica. Demum ex primæva Matrimonii institutione *Gen. 2.* ubi Deus ajebat: *faciamus homini adjutorium* (non dixit, *adjutoria*) *& adhæ-*

rebit uxori ſuæ, nimirum unicæ: *erunt duo* (non plures) *in carne una*; qui autem carnem ſuam per copulam divideret in plures, non maneret una caro cum uxore ſua. Quòd autem ſit contra *Jus Naturale*, ſuadetur tum ab auctoritate maxima ferè omnium DD. ſaltem Catholicorum tum ex eo, quòd pluralitas uxorum (vel maritorum) valde repugnet finibus Matrimonii, nempe generationi prolis, rarò enim fœcundi ſi poſſunt viri (à fortiori fœminæ, ut patet à ſcortis) diviſi in plures conjuges, item pacifica ſocietati & cohabitationi, quæ debet eſſe inter conjuges, atque continentiæ conjugali, cùm ſine pluralitate conjugum non poſſet facilè ſine fieri ſingularum concupiſcentiæ, cujus tamen remedium debet eſſe Matrimonium; tum denique ex natura Juſtitiæ Commutativæ, quæ exigit, ut apud contrahentes detur æqualitas inter datum & acceptum: ſed, ſi vir duceret plures uxores vel fœmina plus viros, non daretur æqualitas inter datum & acceptum, quia ducens plures non poſſet ſingulis tradere jus in corpus ſuum quoad actus conjugales totum, & totaliter, ſed ſolùm ex parte, à ſingulis verò acciperet jus in corpus ſua totum & totaliter, utpote nulli alteri obligata. Adde, quòd Juſtitiæ repugnet jus in corpus uni jam traditum denuo tradere alii vel aliis, ſicut res vendita uni & tradita alteri denuo vendi ac tradi ſine injuria prioris emptoris nequit. Neque dicas, ex conventione Partium inæqualitatem poſſe inæqualitatem, cùm pacta dent legem contractibus, & volenti non fiat injuria; nam contrà eſt, quòd contractus à Natura inſtitutus in

num

num generis Humani, utì est Matrimonium, à Natura quoque dirigi debeat, & non ex pacíscentium arbitrio dependere, proin contrahentes Matrimonia adigi non possunt, ut in aliqua consentiant, quæ Jus Naturale improbat. Sic usuræ merè lucratoriæ manent illicitæ de Jure Naturali, saltem conditionato, propter inæqualitatem inter datum & acceptum, licèt illæ fuerint stipulatæ, & mutuum accipiens in eas consenserit invitus, & necessitate adactus; cùm aliàs non acquireret mutuum: quo pacto & plures fœminæ demum consentirent in unum maritum, quia aliàs nullum omnino maritum obtinerent. Notetur bene hoc argumentum. Quòd denique hoc Jus Divinum & Naturale sit solùm *conditionatum*, nimirum nisi Deus, in cujus pleniſſimo dominio sunt corpora humana, eorúmq; jura, etiam ad actus conjugales, pluralitatem conjugum permiserit, patet indè, quòd, ut constat ex Scripturis sacris, Deus sanctissimis Patriarchis Antiquæ Legis, Abrahæ, Jacobo, Davidi &c. permiserit plures uxores, præsertim post diluvium, ut citiùs restauraretur genus humanum. Incommodis autem ex pluralitate conjugum orituris alio modo absolutè potest occurri.

Objic. 1. In *can. 2. caus. 12. §. denique. q.* 3
1. dicitur: *communia debent esse amicorum omnia.* Et additur: *in omnibus autem sunt sine dubio & conjuges:* ergo plures conjuges possunt esse communes eidem viro, vel fœminæ, saltem ubi est nexus amicitiæ 2. Rationes nostræ, fundatæ in impedimento generationis, in perturbatione pacis domesticæ &c. solùm probant, Polygamiam aut Polyviriam, de Jure Naturali illici-

tam quidem esse, at non invalidam: ergo impe-
dimentum Ligaminis non est Juris Naturalis. 3
Apud plures Gentes, non omnino barbaras, v
get usus Polygamiæ, uti apud Mauros, Turc
Sinenses &c. imò & Polyviriæ, uti apud Pe
sas, & Medos: ergo non adversatur Juri N
turali. R. ad 1. Ultima verba de conjugi
non sunt Clementis I. qui est auctor dicti Ca
nis, sed à quibusdam Hæreticis sunt ad
ta; non enim reperiuntur in Codicibus & M
nuscriptis melioris fidei, uti notatur in Correct
ne Romana allegato textui subjuncta. Ad
Quando actus Jure Naturali prohibitus per
tuam continet turpitudinem, præsertim injus
tiam, uti juxta dicta continet Polygamia & Po
viria, & quidem per se ac ordinariè, actus q
que vel contractus est irritus Jure Naturali; ci
repugnet obligatio ad illicitum. Ad 3. N. Co
quia apud Gentes, aliàs etiam sapientiæ lau
florentes, alia quoque gravissima scelera, cer
Juri Naturali adversantia, fuerunt & sunt in us
imò & earum Legibus conformia, uti Idolol
tria, fornicatio, rapinæ &c. Quin & apud Chr
stianos non rarò conculcatur Jus Naturale: erg
ex his factis nefandis non est formanda Regu
Juris Naturalis.

4 Dico 2. Sponsalia secunda non valent, ne
solvunt priora, priùs inita cum alia persona. 3
Etiamsi secundis accesserit copula carnalis, ne
imprægnatio. 3. Et secunda sponsa fuerit igno
ra priorum sponsalium, ac sub spe Matrimonii
fuerit corrupta aut imprægnata, & damnum ips
aliter reparari non possit, nisi per Matrimonium

Par

Pars 1. est indubitata tum ex *c. 22. x. & c. un. in 6. de Sponsal.* tum ex ratione, quòd alteri nec licitè, consequenter nec validè, promitti possit, quod jam priùs alteri fuit promissum: ergo nec Matrimonium jam priùs alteri promissum; cùm utique nemo obligare se possit ad rem illicitam, quæ sine violatione juris alteri jam quæsiti præstari nequit. Interim tamen sponsa (vel sponsus) prior resilire potest, & recedere à comparte nova Sponsalia ineunte cum alia, eò quòd nova contrahens censeatur renuntiare suo juri, & prioribus Sponsalibus. Pars 2. fluit indè, quòd prior tempore habeat jus fortius. *c. 1. de Majorit. c. 54. de R. J. in 6.* Nec enim jus certum alteri priùs absolutè quæsitum tollere possunt Sponsalia cum secunda, quia hæc sunt invalida; neque fornicatio aut imprægnatio, quia Jura passim clamant, unius delicto alium gravari non debere, & per injuriam priori sponsæ, vel sponso, illatam non tolli ipsius jus; neque jus oriri debet sponsæ, quæ per defloration em admissam potiùs pœnam meretur. Adde, quòd multis perfidiis ac fraudibus occasio daretur, siquis per corruptionem aut imprægnationem secundæ sponsæ posset se liberare à prima, quam nauseare forsan incipit. Pars 3. quam saltem pro foro externo cum Guttier. tenet Reiffenstuel *h. t. n. 8.* contra plurimos, sumitur ex iisdem rationibus, & ex hoc principio, quòd cuilibet propria culpa & flagitium nocere debeat, non alteri innocenti. Sibi imputare debet damnum, quod patitur sponsa fornicatia, licèt ignara Sponsalium priorum, cùm scire

debuisset, non fidendum hujusmodi procis, sæpe sub spe Matrimonii decipientibus puellas.

5 *Objic.* 1. Secunda Sponsalia, quibus accessit copula carnalis, sunt vinculum fortius, eò quòd traditio actualis per usum corporis sit secuta. 2. Talis copula præsumitur esse facta animo maritali, adeóque ipsum Matrimonium per eam est contractum. *c. 15. & 30. de Sponsal.* Sed Matrimonium utique solvit Sponsalia priora. 3. Sponsa posterior imprægnata certat de damno vitando, prior autem de lucro: inter duos autem litigantes præferendus est, qui certat de damno. 4. Prior sponsa ex charitate tenetur suo jure cedere, ut evitetur grave damnum posteriori immnens. R. ad 1. Sponsalia secunda, utpote invalidè inita, ne quidem sunt vinculum, multò minùs sunt vinculum fortius. Traditio illa corporis fornicaria non est legitima, aut talis, cui Jus assistunt. Ad 2. Quamvis id verum fuerit de Jure antiquo, Tridentinum tamen, irritando Matrimonia clandestina, sustulit Matrimonia præsumpta & omnem copulam extra Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum habet pro fornicaria: fornicaria autem copula, quam constabat esse fornicariam, nec de Jure antiquo erat traditio ad constituendum Matrimonium habilis. Ad 3. Imprimis etiam prior sponsa certat de damno, scilicet de amissione juris jam quæsiti, quòd nec à Principe sine causa publicum bonum spectante adimi potest alicui invito. Dein solùm tunc præferendus inter duos litigantes est ille, qui certat de lucro, si cætera sint paria, vel si ambo habeant jus, & ambo sint innocentes: hìc autem prior tan-

damno contra eum, qui

tantùm sponsa habet jus, & est innocens, non posterior. Ad 4. Charitas fortè tunc obligare posset, ut quis cedat suo jure ad alterius damnum notabiliter majus impediendum, ubi alter vel altera non per delictum proprium se conjecit in periculum damni, & istud prævidere non potuit: sed hìc posterior sponsa, corrumpi se passa, per suum delictum sibi damnum imminere fecit, atque istud prævidere potuit. Dein licèt obligatio charitatis ad cedendum jure quæsito probaretur satis (quod fieri non posse credo, cùm charitas ordinata incipiat à se ipso &c.) jus tamen priori maneret salvum, & Justitia ipsi assisteret, consequenter nec Judex priorem sponsam adigere posset invitam ad cedendum jure. Sed quia una virtus non repugnat alteri, & Justitia assistit priori sponsæ, charitas illam stringere non potest ad aliquid suo juri contrarium.

Quæres, an Sponsalia secunda sint absolutè invalida, ita ut, casu quo prior Sponsa vel sponte cederet suo jure, vel moreretur, aut Religionem ingrederetur, non stringant? P. Placidus Böckn *in Select. Additionalib. lib. 4. tit. 4. q. 2.* (& ante ipsum Covarr. Rebell. Franc. Schmier &c.) docet, & probare conatur, ea stringere promittentem. 1. Quando actus irritatur propter præjudicium tertii, tunc contrahens in alterius præjudicium obligatur saltem pro eventu, quo cessat præjudicium: sic siquis contrahat cum pupillo, minore, Ecclesia, omissis solennitatibus Juris, nihilominus obligatur contrahens ex sua parte, licèt contractus sit irritus, quatenus præjudicat dictis personis vel Ecclesiæ. *pr. Inst. de Auth.*

6

tut. Sic votum castitatis, quod Religionem professus sine consensu uxoris emittit, licèt non valeat in præjudicium uxoris, valet tamen ex parte voventis in vim voti simplicis, ut nequeat petere debitum conjugale. *c. 3. de Conv. Conjug.* adeoque talis contractus non est absolutè irritatus: sed Sponsalia secunda irritantur propter præjudicium sponsæ prioris: ergo. 2. Secunda Sponsalia saltem præsumptione Juris semper habent imbibitam conditionem, *si prior sponsa cesserit suo jure*, vel *aliunde Sponsalia priora dissoluta sint*, quia censetur contrahens cum secunda se ei obligare, quantùm potest, & ut excludatur peccatum: ergo, si solutis prioribus Sponsalibus purificetur dicta conditio, obligabitur contrahens cum secunda. Sed verior mihi videtur sententia opposita Perezii & P. Wiestner *h. t. n. 19. 20.* ex hoc duplici fundamento. 1. Secunda Sponsalia censentur meritò inita absolutè, & sine dicta conditione, si priora Sponsalia cessaverint; cùm ista conditio nec ex natura rei, ut per se patet, insit secundis Sponsalibus, sed potiùs sit contra intentionem ea contrahentis, ut nimirum se liberet à priori sponsa; neque insit ex dispositione Juris, non enim ullum exstat Jus talem conditionem annectens secundis Sponsalibus, si priora fuerint dissoluta; imò Jura promissionem, cui non adjicitur conditio, habent pro absoluta, & regulari volunt secundùm tempus præsens. per *l. 83. §. 5. l. 137. §. 4. ff. de V. O.* ergo absolutè fuerunt nulla: quod autem nullum est, nullum absolutè effectum producit, adeóque nec obligationem conditionatam. 2. Generalis est in utroque Jure Re-

Regula, quòd successu temporis non convalescat, aut vires accipiat, quod ab initio non subsistit. *c. 18. in 6. & l. 29. ff. de R. J.* Sic Professio Religiosa ante ætatem legitimam emissa non convalescit sine novo consensu, cùm ætas advenerit: Promissio Beneficii nondum vacantis non acquirit vires per mortem Beneficiati subsecutam: sic absolutè manet invalidum Matrimonium secundum, licèt postea solvatur primum per obitum conjugis: ergo nec secunda Sponsalia convalescunt per hoc, quòd post aliquod temporis intervallum prior sponsa cedat jure suo, vel moriatur. Jam

℟. ad opposita. Ad 1. *N. ma.* nam nec ullus Juris textus nec ulla ratio probat generaliter, actum, irritatum propter præjudicium tertii, obligare pro eventu futuro, quo cessat præjudicium. In allatis exemplis exstat specialis Juris dispositio recedens à generali Regula & Jure Communi, actui nulli nullas tribuente vires, ne quidem ex lapsu temporis, quo cessat præjudicium, ut patet de promissione beneficii nondum vacantis &c. Dein & *Min.* non male negatur. Non enim tam propter præjudicium sponsæ prioris Sponsalia secunda sunt nulla (cùm multa in alterius præjudicium validè gerantur) quam propter ligamen, quo personæ jam uni adstrictæ adimitur jus & potestas se rursus alteri adstringendi. Ad 2. *N. ant.* Ubi enim apertè aliquid fit, vel promittitur, contra jus alterius jam quæsitum, cessat præsumptio Juris exclusiva peccati, cùm nulla habeat locum præsumptio, ubi apertè constat de oppositio. Dein hoc argumentum planè nimium probat, scilicet Sponsalia cum secunda etiam licita esse & valida,

si

si nimirum ex præsumptione Juris habeant imbibitam dictam conditionem; siquidem omnino licitum est, & conditionatè validum (secluſa speciali dispositione Juris contraria) alicui aliquid promittere sub conditione honesta de futuro contingenti, v. g. sic: ducam te, si pater meus consentiet: vel si Papa dispensaverit in impedimento Affinitatis inter nos intercedente: vel in voto simplici castitatis, quo ligor: ergo etiam hæc promissio erit licita & valida: ducam te, si prior sponsa, cui jam adstringor, consentiet, cedet jure suo, vel morietur, licèt talis conditio explicitè non adjiciatur; id quod nemo facilè admiserit & ipse P. Böckn *in tract. de Sponsal. tit. 4. n.* 1. expressè docet, Sponsalia posteriora *non valere esse iniqua*: ergo ibi ipse agnoscit, non inesse secundis Sponsalibus dictam conditionem. Imò sequeretur, etiam licitè, vel saltem validè, contrahi posse secundum Matrimonium vivente conjuge priori. Opus ergo est, ut adjiciatur ista conditio vel verbis vel in mente, ut secunda Sponsalia obligent in eventum, quo priora Sponsalia fuerint soluta; quod utique fieri potest, licèt ordinariè non contingat. Id tamen concedo, quòd contrahens cum secunda, quam forte etiam defloravit, & illa exinde damnum passa est non reparabile nisi per Matrimonium, teneatur eam ducere, si prior suo jure cesserit, at non ratione Sponsalium, sed ratione damni illati, aliter non reparabilis.

7 Dico 3. Valent tamen Sponsalia secunda de præsenti inita non obstantibus Sponsalibus de futuro initis cum alia. 2. Licèt ista per illa pro-

ba-

babiliùs non solvantur omnino ex parte contrahentis Sponsalia de præsenti, sed solùm suspendantur, quamdiu non dissolvitur Matrimonium cum sponsa secunda de præsenti ducta. Pars prior est decisa in *c. 1. h. t. c. 22. c. 31. de Sponsal.* quia Sponsalia de præsenti (seu Matrimonium) per quod fit traditio juris in corpus, adeóque & confertur jus in re, utique sunt fortius vinculum, quàm Sponsalia de futuro, per quæ solùm promittitur jus in corpus, & confertur tantùm jus ad rem. Posterior, quam sustinent Pontius, Mastrius, Perez, Zæs. P. Wex, & alii, contra Sanch. Guttier. Laym. Tanner. Pirhing &c. probatur ex Jure Naturali, & ex natura Justitiæ Commutativæ, quæ eum, qui semel contraxit obligationem Justitiæ, obligare non cessat, donec obligationem impleat, & stringit semper pro circumstantiis, in quibus implere potest, non obstante, quòd hìc & nunc ponatur impedimentum implendi, præsertim si impedimentum ponatur ab obligato voluntariè & per malitiam: sic debitor pecuniæ non liberatur à solvendo, licèt ad solvendum convento tempore sit impeditus ob egestatem, vel distantiam loci, vel ob dilapidatas pecunias &c. sic votô Religionis ingrediendæ obstrictus manet obligatus illud implere solutô Matrimoniô, quod interea illicitè contraxit, & sic impedimentum implendi pro nunc posuit &c. sed, qui priùs contraxit Sponsalia cum Bertha, contraxit obligationem Justitiæ, cui vivente altera, quam de præsenti postmodum duxit, satisfacere nequit propter impedimentum, & quidem malitiosè positum & per injuriam (per quam utique tolli non debet jus prioris sponsæ)

ergo

ergo priori sponsæ manet adhuc obligatus in eve-
tum, quo dictum Matrimonii impedimentum fo-
tè toliatur.

8 *Objic.* 1. Obligatio semel sublata non re-
viscit. *l. 98. §. 8. ff. de Solut. can. 129. d. 4. de consecr. v. non potest.* sed obligatio priorum Spon-
salium tollitur per superveniens cum alia Matri-
monium. *c. 22. c. 31. citt.* ubi Summarium sic ha-
bet: *Sponsalia de futuro, etiam jurata, solvuntur* (proin non tantùm suspenduntur) *per Sponsal. secunda de præsenti.* Imò textus *in d. c. 22.* de
hanc rationem; *quia primam fidem* (nempe pri-
ra Sponsalia) *irritam fecit.* 2. Ex duobus vi-
culis ejusdem rationis magis forte rumpit, & om-
nino tollit minùs forte: sic Professio actualis i
Ordine Religioso laxiori extinguit penitus votu
priùs editum profitendi & ingrediendi Ordine
strictiorem: sed obligatio Sponsalium de futur
cum una, & obligatio Sponsalium de præsen
contracta cum alia, sunt ejusdem rationis, cu
utraque sit obligatio Justitiæ, & posterior est vi-
culum fortius, quàm prior: ergo. *N.* ad 1. *dist.*
ma. Obligatio verè, penitus, & in perpetuu
sublata non reviviscit. *C. ma.* Solùm suspensa pe
interveniens impedimentum non reviviscit, ve
potiùs non manet ampliùs, ita ut sublatô impe
mentô impleri non debeat. *N. ma.* & *dist. min.*
Obligatio priorum Sponsalium suspenditur tan
tùm. *C. min.* tollitur omnino, & ex utraque parte
N. min. & conf. Jura in contrarium allata plùs no
dicunt, quàm quòd Sponsalia de præsenti con
tracta post Sponsalia de futuro cum alia valeant
& conjuges separari non debeant, quod verum ei

per

per hoc autem non dicunt, ista penitus tolli. Verbum *solvuntur* denotat quidem Sponsalia priora dissolvi, at ex parte innocentis tantùm & repudiatæ, cui per Sponsalia de præsenti cum alia datur jus resiliendi, & sic penitus solvendi Sponsalia priora, quibus contrahens cum alia censetur renuntiare, non verò ex parte injuriam inferentis. Illa verba, *primam fidem irritam fecit*, solùm denotant, primam fidem, uni semel datam, fuisse *violatam*, quod rursus verum est, non verò Sponsalia ipsa, ex parte violantis, fuisse *irritata*. Ad 2. *N. ma.* vel *dist.* vinculum minùs *forte*, si utrumque nequeat simul stare & tenere. *C.* secùs. *N. ma.* vinculum Sponsalium cum una stare potest cum vinculo Matrimonii cum alia. Paritas cum voto Religionis rectè adaptatur nostræ sententiæ sic: votum ingrediendæ Religionis per Matrimonium postea initum non tollitur, sed solùm suspenditur, ita ut mortua conjuge rursus stringat votum: ergo à pari stringunt & Sponsalia priora conjuge mortuâ.

TITULUS V.

De Conditionibus appositis in Desponsatione, vel in aliis Contractibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex sit Conditio.*
2. *Quid sit Modus, Causa, Demonstratio.*
3. 4. *An & quomodo valeat Matrimonium sub conditione honesta de futuro contingenti.*

6. *An*

6. *An sub conditione de futuro necessaria.*
7. 8. *An sub conditione impossibili.*
9. *An sub conditione turpi de futuro:*
10. *An etiam, si conditio turpis repugnet substantiæ Matrimonii.*
11. *Quid sentiendum de Sponsalibus, sub conditione impossibili vel turpi initis.*
12. 13. *Et quid de Matrimonio, quod contrahitur sub Modo, Causa, vel Demonstratione.*

1 *Conditio* propriè dicta est qualitas actui vel contractui vel alteri dispositioni adjecta, vim seu obligationem illius suspendens in eventum futurum incertum. §. 4. *Inst. de V. O.* Et de hac intelligendum est illud vulgatum, *conditio nihil ponit in esse*, sed perfectionem & obligationem actûs differt ac suspendit, usque dum aliquid eveniat vel non eveniat. Propterea ajunt Juristæ, quòd ante conditionis eventum vel existentiam nec *cedat dies*, h. e. nihil adhuc debeatur, & obligatio nondum sit nata, *nec veniat dies*, h. e. nihil exigi possit. Solet conditio plerumque exprimi per particulam *si, nisi, cùm, ubi, quando, postquam, dum, donec, modò* &c. v. g. si pater tuus consentiet, si gradum Doctoratûs receperis &c. si existentia conditionis pendet à libera voluntate ejus, in cujus arbitrium ponitur, vocatur *potestativa*, ut: promitto tibi libros, si studio Juris te addixeris: ei opposita dicitur *casualis*. Dixi, *propriè dicta*, scilicet conditio *de futuro contingenti*, quod nempe potest & non potest evenire, ita ut eventus sit incertus: si evenerit, conditio dicitur *purificata* vel im-

ple-

pleta, atque per hoc evadit actus vel dispositio *absoluta*, pariens obligationem actu & absolutè. Conditiones autem *impropriæ* sunt *de præsenti*, vel *de præterito*, v. g. si Titius sit Augustæ, si Cajus jam absolvit Studia; non enim suspendunt dispositionem vel negotium, sed, si subsit conditio, statim tenet & obligat actus, si non subsit, non obligat, nec unquam obligabit: item conditio *impossibilis*, & *necessaria*, quæ nimirum nunquam evenire potest v. g. si per aëra volabis, vel necessariò eveniet, ut: si cras sol orietur, si Antichristus veniet; quia pariter non suspendunt valorem actûs & obligationem, ac ordinariè vel vitiant actum, vel vitiantur ipsæ, h. e. *pro non adjectis habentur*: ad impossibilem refertur etiam conditio *turpis*; quod enim non licet, censemur non posse. *l. 15. ff. de condit. Inst.* Rursus impropria est conditio *tacita*, quæ per se ac tacitè inest negotio, licèt disertè non adjiciatur, vel *ex natura rei*, ut: dono tibi fructus, si nascantur, vel *ex dispositione Juris*, ut: duco te, si mihi non sis consanguinea, & hæc vocatur *intrinseca*: si insit cuilibet actui, utì hæc: si DEUS voluerit, si potuero &c. dicitur *generalis*. Si proin tales conditiones adjiciantur, id fit ex superabundanti, dispositionem tamen vel actum non faciunt conditionalem, nec suspendunt. *l. 99. l. 107. ff. de condit. & demonstr.* quare statim dies cedit, licèt non statim veniat, si expresse adjiciantur. per *l. 4. ff. de Pact.* Denique impropria etiam conditio est, quæ appellatur *resolutiva*, atque adjicitur, non ut valorem actus suspendat, sed ut possit resolvi, ut esset hæc: contraho tecum, donec aliam te ditio-

rem invenero: vendo tibi hanc rem, nisi intra a- num melior conditio mihi offeratur.

2 Sicut autem conditio apponi potest actui, i- quoque modus, causa, demonstratio. *Modus* e- moderamen vel gravamen actui adjectum, atq- efferri plerumque solet per particulam *ut, pro,* a- &c. v. g. lego tibi mille, ut studeas Jurisprude- tiæ: dono libros ad studendum &c. differt à co- ditione, quòd actum non suspendat: si tam- Pars altera non impleat modum, aut onus imp- situm, regulariter repeti potest, quod datum a- conditione causâ datâ causâ non secutâ. per- *1. C. de donat. quæ sub modo. Causa* est ratio n- motivum, quo quis ad paciscendum vel cont- hendum fuit permotus, v. g. dono tibi centu- quia diligenter curâsti mea negotia. Effertur p- particulam *quia* &c. nec ista suspendit actum; n- tiat tamen seu invalidat actum, si causa finalis, a- alligatus est consensus, non subsistat. *Demonstr- tio* est appositio signi, quo denotatur vel perso- cum qua, vel res, de qua pactum vel contract- vel dispositio fit; effertur per voces relativas q- *quæ, quod,* &c. v. g. duco te, quæ de hoc vel l- es stemmate: lego Titio equum, quem emi à Cai- rursus non suspendit actum, nec eum vitiat, n- habeat rationem conditionis, cui alligatur co- sensus; quia per se solùm inducit errorem acc- dentalem. *l. 17. 33. ff. de condit. & demonstr.*

3 Dico 1. Matrimonium (idem à fortiori te- de Sponsalibus) sub conditione honesta de fu- turo contingente, v. g. *si pater tuus consenti- si officium mihi impetrabis* &c. valet quidem, s- non absolutè ante eventum conditionis, quo- quæ

que suspenditur. 2. Eâ tamen eveniente & impletâ sine novo consensu absolutum consequitur valorem, licèt contrahentes ignorent impletionem. 3. Neque necesse est, ut conditio impleatur coram Parocho & testibus, aut impletio his nota sit, si priùs coram ipsis conditionatè contractum est Matrimonium. Pars 1. est certa satìs ex *c. 3. 5. & fin. h.t.* & ex paritate cum aliis contractibus. Pars 2. defenditur à plerisque Canonistis contra Pont. & communem Theologorum, qui tamen in materia contractuum non immeritò posthabentur Canonistis, atque iterum probatur ex paritate cum aliis contractibus, qui per solam conditionis impletionem absque novo contrahentium consensu, modò neuter interea consensum revocaverit, evadunt absoluti. *§. 4. Inst. de V. O. l. 7. ff. de contr. empt. l. 11. §. 1. ff. qui potior. in pign.* Accedit decisio S. Congreg. à S. Pio V. & Clem. VIII. ut refert Fagn. *in c. super eo 5. h.t. n. 5. 6.* approbata. Pars 3. quam sustinent Sanch. Fagn. Gobat, Sporer &c. contra Laym. Barb. Pirhing, Palao, P. Franc. Schmier &c. suadetur indè, quòd Trid. requirat præsentiam Parochi & testium solùm pro tunc, quando contrahitur Matrimonium: sed contrahitur, quando ei apponitur conditio, non quando hæc purificatur. *Declarat. Card. apud Fagn. d. n. 6.* & quòd purificatio conditionis juxta communem non debeat esse cognita ipsis contrahentibus: cur ergo Parocho & testibus?

Objic. 1. Actus legitimi non recipiunt diem, aut conditionem. *c. 50, in 6. & l. 77. ff. de R. J.* Sed Matrimonium est actus legitimus. 2. In *c. 5. h.t.* dicitur, quòd ille, qui contraxit sub conditione 4

de futuro contingente, *si pater consenserit*, non sit cogendus *ad contrahendum* Matrimonium, nisi pater consensum dederit: ergo posita hac conditione cogendus est *ad contrahendum*: sed *contrahere* dicit ponere novum consensum: ergo impleta conditione opus est novo consensu. Confirmatur. In *d. c. 5.* habetur, quòd consensus sub conditione de futuro expressus non sit habendus *de præsenti*: ergo solùm fecit Sponsalia de futuro: ergo necessarius est novus consensus ad perficienda Sponsalia de præsenti, seu Matrimonium. 3. Parochus & testes ideo adhibentur sunt, ut constet Ecclesiæ de Matrimonio completè & absolutè contracto: sed, si Parocho & testibus non intimetur vel constet, conditionem esse impletam, non constat Ecclesiæ de Matrimonio completè & absolutè contracto.

5 R. ad 1. Illæ regulæ procedunt de illis actibus legitimis, qui vel in Jure sunt expressi, ut conditionem non recipiant, utì emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio tutoris, quæ specificantur *d. l. 77.* item Electio, quæ exprimitur *c. 2. de Elect. in 6.* vel ex natura sua propter certam verborum formulam excludunt conditionem, utì reliqua Sacramenta, Baptismus, Pœnitentia &c. Sed Matrimonium nec ex ulla Juris expressa dispositione, nec ex natura sua refugit conditionem, ut patet ex Matrimonio Rato, cui ex dispositione Juris inest hæc conditio, *nisi Religionem intravero.* Id fateor, quòd Matrimonium non admittat conditionem resolutivam, quando esset, *duco te, donec invenero ditiorem* &c. Ad 2. Per illud *contrahendum* intelligitur *consummandum.*

dum, ut *nigrum* concordet cum *rubro*, seu textus cum rubrica vel summario, ubi ponitur interrogatio de obligatione *consummandi* Matrimonium post impletam conditionem. Neque hoc novum est in Jure, quia etiam in *c. 22. de Sponsal.* vice versa tò *consummare* sumitur pro *contrahere*. Ad Confirm. Ille consensus non quidem est habendus de præsenti completo, absoluto, & irrevocabili, bene tamen de præsenti conditionato, adeóque ibi ille consensus constituit Matrimonium conditionatum, non Sponsalia conditionata. Ad 3. *N. ma.* Sic utique non requiritur, ut Parocho & testibus constet, mandatum Procuratori esse datum, vel à dante non esse revocatum, casu quo Matrimonium contrahitur per Procuratorem; vel ut iisdem constet, pubertatem esse adeptam ab iis, qui in impubertate naturali contraxerunt Matrimonium. Finis Tridentini satis obtinetur, modò coram Parocho & testibus sub conditione sit contractum, licèt iisdem, vel Ecclesiæ, non constet de eventu conditionis; cum Ecclesia nunquam permitteret recedi à Matrimonio conditionato, & novum contrahi absolutum, nisi plenè constiterit de non impleta conditione, aut de revocatione consensûs eâ pendente.

Dico 2. Matrimonium sub conditione de futuro necessaria, vel intrinseca, regulariter statim valet ut absolutum & purum, licèt talis conditio expresse addatur. Communis ex *§. 6. Inst. de V. O. l. 9. §. 1. ff. de Novat. l. 99. & 107. ff. de condit. & demonstr.* quia conditio, quæ jam est determinata in sua causa, vel per se inest, habetur pro jam existente *l. 79. ff. eod.* 6

7 Dico 3. Matrimonium, sub conditione impossibili sive de futuro sive de præsenti initum, regulariter valet statim, pariter ut absolutum & purum: adeóque vitiatur quidem conditio, non verò vitiatur Matrimonium. Iterum communis ex *c. fin. h. t.* ubi conditio impossibilis habetur indiscriminatim pro non adjecta, solúmque vel saltem magìs attenditur impossibilitas quàm proprietas conditionis, & quidem ex præsumptione, qua jus in favorem Matrimonii, ut potiùs valeat quàm non valeat, præsumit, contrahentes sub conditione impossibili velle potiùs jocari, & sic verè contrahere, non invalidè & cum peccato gravi: sicut Jus Civile ob favorem ultimarum voluntatem has pro validis habet, si illis apponatur conditio impossibilis, hanc verò pro non adjecta. *§. 10. Inst. de hered. instit. l. 3. & 6. ff. de condit. & demonstr.*

8 *Objic.* 1. Alii contractus, quibus adjicitur conditio impossibilis, sunt nulli. *§. 11. Inst. de inutil. stipul. l. 31. ff. de O & A.* ergo Matrimonium. 2. Qui adjicit conditionem impossibilem, censetur non consentire. *l. 31. cit.* imò potiùs exprimit dissensum; quando enim postulata volumus negare, dicimus: *dabo tibi, si digitô cœlum tetigeris; vel hircocervum ceperis:* ergo. 3. Ecclesia & Jus Ecclesiasticum per suam præsumptionem non potest supplere defectum consensûs in Matrimonio, in re tam ardua. 4. Matrimonium juxta plerosque non valet, quod quis cum doflorata contrahit sub hac conditione, *si virgo es:* sed hæc conditio est impossibilis, cùm impossibile sit defloratam esse virginem. 5. Pariter non valet Matrimonium à laborantibus impedimentô dirimente con-

contractum sub conditione hac, *si Papa dispensaverit.* Rota Romana *p. 8. decis. 107. int. recent.* in qua id passim observatur tanquam doctrina inconcussa: sed ista conditio est impossibilis, quia est de re non existente in commercio nisi de consensu Principis, *neque secundùm futuri temporis jus* (nempe dispensationem Principis) *sed secundùm præsentis æstimari debet stipulatio l. 83. §. 5. l. 137. §. 6. ff. de V. O.* proin conditio pendens ab arbitrio Principis pro impossibili habetur. per *l. 39. §. ult. ff. de Legat. I.*

℟. ad 1. *N. Conf.* quia de Matrimonio, & ultimis voluntatibus, aliud statuerunt Jura. Ad 2. Etsi hoc aliàs verum esse permittatur; in Matrimonio tamen, in quo Jus præsumit consensum, & adjectionem conditionis impossibilis habet pro signo consensûs absoluti, aliter sentiendum est. Verùm hæc præsumptio non est Juris & de Jure, sed admittit probationem in contrarium; imò siquis etiam solùm in animo suum consensum alligaret tali conditioni, non valeret Matrimonium. Ad 3. Ecclesia non supplet defectum consensûs, sed consensum præsumit, quamdiu hæc præsumptio non eliditur, quæ solùm procedit, quando non constat, an seriò vel jocô fuerit adjecta conditio impossibilis. Ad 4. *dist. min.* Est impossibilis hìc & nunc, ac per accidens, de quo casu in *d. c. fin.* non disponitur. *C. Min.* per se, & ita, ut nunquam fuerit possibilis. *N. Min.* Ad 5. *N. ma.* cum Sanch. Palao, Gobat. Reiffenstuel &c. quia in tempus habile refertur contractus. per *c. 7. de Sepultur.* quidquid sentiat Rota pro sua Curia. Item *N. min.* vel *dist.* est impossibilis, si laborent impedimentô,

in quo vel non potest, vel non solet dispensare Pontifex, de quo casu exaudiendæ sunt dictæ Leges. *Min.* vel *transeat:* in quo potest tam licitè quàm validè, imò solet dispensare. *N. min.* Neuter tamen per se tenetur petere dispensationem, nisi forte quis fœminam imprægnâsset, & damnum aliter reparare non posset, aut nisi per pactum se ad id obligâsset: tenetur tamen uterque non recedere si Pars altera procurare vellet dispensationem. Reiffenstuel *h.t. n. 35.* cum Gobat.

9 Dico 4. Matrimonium sub conditione turpi de futuro, v. g. *si patrem tuum occîdes,* regulariter quoque statim valet, & ut absolutum, in ut conditio habeatur pro non adjecta, modò conditio talis non sit contraria substantiæ Matrimonii. Ita rursus communis ex *c. fin. h.t.* nisi minimum constet, seriò adjectam esse conditionem turpem, quo casu cessaret præsumptio Juris, consensum absolutum præsumentis. Dixi 1. *de futuro;* si enim conditio turpis foret de præterito, v. g. *si furata es dotem,* vel de præsenti, v. g. *si blasphemes,* non valeret Matrimonium, si conditio non subesset, vel non foret purificata. Ratio: quia *d. c. fin.* utpote exorbitans à Jure Communi, non est extendendum ad conditiones impropriàs, quales sunt de præterito & de præsenti, præsertim cùm in utrisque non reperiatur eadem ratio: nam istæ non invitant ad delinquendum, bene autem conditiones turpes de futuro, quæ videtur fuisse præcipua ratio, cur conditio turpis de futuro à Jure habita sit pro non adjecta. Unde, quamvis *c. fin. cit.* videatur eodem modo loqui

de

de conditione impossibili ac turpi per verba, *licèt aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi*; atque conditiones impossibiles etiam de præterito, utì diximus, pro non adjectis habeantur; quia tamen ratio est diversa, & conditio impossibilis *quà impossibilis* consideratur, quod prædicatum æquè reperitur in conditione de præterito, turpis autem, *non quà turpis*, sed quatenus ad aliquid turpe vel peccaminosum invitat, quod tantùm verificatur in conditione turpi de futuro, consideratur, ideo sola conditio turpis de futuro habetur pro non adjecta, & non vitiante Matrimonium. Dixi 2. Modò non sit contraria substantiæ Matrimonii; de quo statim: priùs autem

Quæres, an idem tenendum sit de Sponsalibus, sub conditione impossibili vel turpi initis, quod de Matrimonio dictum, ita ut talis conditio habeatur pro non adjecta? R. cum veriore contra Sanch. & Reiffenstuel negativè; quia *d. c. fin.* solùm loquitur de Matrimonio, & consequenter, tanquam exorbitans à Jure Communi ac Naturali, extendi ad Sponsalia non debet. per *c. 15. & 28. de R. J. in 6.* præsertim cùm eadem ratio, nempe tantus favor Sponsalium, quantus est Matrimonii, non sit. Unde Sponsalia sub conditione impossibili, quia hæc purificari nunquam potest, statim initô invalida sunt: inita verò sub conditione turpi valent, &, licèt non obligent ad exspectandum eventum conditionis, cùm ad illicitum obligatio dari nequeat, obligant tamen post eventum conditionis sine no-

vo consensu; nam usque ad eventum conditionis fortè secuturum suspenduntur talia Sponsalia.

11 Dico 5. Matrimonium sub conditione turpi substantiæ Matrimonii contraria, initum non valet. Ita decisum est in sæpius allegato *c. fin.* cui concordat Jus Naturale, cùm nulla res sine substantia subsistere possit. Tales conditiones sunt & in *d. c.* recensentur, quæ ex natura sua repugnant tribus bonis Matrimonii, nempe bono prolis, ut hæc, *contraho tecum, si generationem prolis evites,* positivè scilicet per poculum sterilitatis, imperfectum coitum &c. Idem est de conditione, quæ repugnat educationi prolis, ut hæc: *si prolem natam occîdes:* vel repugnant bono Sacramenti, aut indissolubilitatis, ut: *contraho tecum, donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem*: vel bono fidei conjugalis, ut: *contraho tecum, si pro quæstu adulterandam te tradas.* Notandum tamen est, hæc intelligi solùm de conditione inhonesta vel turpi, eáque de futuro, atque in pactum deducta; licèt probabiliter necesse non sit, ut utraque Pars in talem conditionem consentiat, modò una illam seriò apponat & prodat. Sanch. Esparza, Illsung contra Fagn. Pirhing &c. quia, si vel una Pars substantiam Matrimonii evertat, jam non est contractus Matrimonii, qui essentialiter debet esse mutuus, & claudicare nequit.

12 Dico 6. Matrimonium sub *modo* initum stante valet ut absolutum, si modus sit honestus & possibilis. per *c. 4. h. t.* imò etsi impossibilis sit, vel turpis, v. g. *ut mortem aureum in dotem afferas,* vel

ut

ut patrem tuum occîdas; non vitiatur Matrimonium, licèt vitietur modus, seu pro non adjecto habeatur. *arg. c. fin. cit.* Si verò adjiciatur modus turpis, substantiæ Matrimonii repugnans, v. g. *ut generationem prolis positivè impedias* &c. tunc probabiliùs vitiatur ipsum Matrimonium, seu redditur nullum. *arg. c. fin. cit. & l. 14. §. 1. ff. de usu & habit.* Sanch. Laym. Barb. Engel, Pirhing, Kugler, contra Perez, Palao, Wiestner, Reiffenstuel. Ratio, quia contrahentes sub tali modo per unum indivisibilem contractum se simul obligare intendunt ad Matrimonium, & ad Matrimonii eversivum: cui non obstat, quòd secundùm nostrum concipiendi modum modus adjectus sit posterior Matrimoniô, & obligatio ad Matrimonium concipiatur prior ad alteram, quam importat modus.

Dico 7. Matrimonium sub *causa*, honesta vel turpi, possibili vel impossibili, vera vel falsa initum (modò non sit causa finalis, eáque falsa, vel causa non adjiciatur per modum conditionis) statim valet: utì & initum sub *demonstratione*, honesta vel turpi, possibili vel impossibili, vera vel falsa, modò ei non alligetur consensus, si falsa sit. Sumitur à paritate cum ultimis voluntatibus, quæ per adjectionem causæ, vel demonstrationis, nec suspenduntur nec vitiantur. *§. 31. Inst. de Legat. l. 17. 33. ff. de condit. & demonstr.* Nec Matrimonium est minùs favorabile, quàm ultimæ voluntates. Accedit, quòd causa, & demonstratio, ordinariè non spectent ad substantiam contractûs, sed solùm ad qualitatem accidentalem. 13

TITU-

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes, Matrimonium contrahere possint.

SUMMARIUM.

1. *Quinam veniant per Clericos, & Voventes.*
2. 3. *Ordo Sacer dirimit Matrimonium contrahendum, sed Jure Ecclesiastico.*
4. 5. *Votum solenne Professionis Religiosa non solùm contrahendum, sed & contractum, irritat Ratum.*
6. 7. *Votum simplex Castitatis, Religionis ingrediendæ &c. impedit quidem, at non dirimit Matrimonium contrahendum, quamvis dirimat Sponsalia pòst contrahenda.*
8. *Quid Juris, si hujusmodi votum simplex emittatur post Matrimonium, vel Sponsalia.*

1 CLerici sunt in duplici classe, aliqui in Ordinibus *Minoribus* constituti, quibus liberum est contrahere Matrimonium: alii in *Majoribus* seu *Sacris*, qui sunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, & hi ratione *Ordinis* ad Matrimonium sunt inhabiles. *Voventes*, in ordine ad Matrimonii incapacitatem, rursus hîc riam considerantur, nempe qui habent *Votum* castitatis *solenne*, ut vocant, quorum duo tantùm sunt genera, nempe qui vel Professionem Religiosam emiserunt, vel qui Ordinem Sacrum susceperunt,

runt, & hoc votum est impedimentum dirimens Matrimonii: dein qui ligantur *voto simplici* castitatis, ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordinem Sacrum, non nubendi seu permanendi in cœlibatu sive extra Matrimonium. Adeóque in hoc titulo produntur duo impedimenta dirimentia, *Ordo* & *Votum solenne* castitatis, & unum impediens, nempe *Votum simplex* castitatis, Religionis ingrediendæ &c.

Dico 1. Ordo Sacer validè susceptus dirimit 2
Matrimonium contrahendum Jure Ecclesiastico. 2. Non verò contractum, licèt duntaxat sit Ratum. Pars 1. est certa ex *can. 1. 4. d. 32. c. 1. h.t. c. un. de Voto in 6.* Trid. *s. 24. de ref. Matrim. can. 9.* Ratio, quia Ordinibus Sacris annexum ab Ecclesia est votum solenne castitatis, ita, ut qui illos recipit, tacitè castitatem voveat. *c. un. cit. & Extrav. Antiquæ Jo. XXII. eod.* favet quoque *can. 1. d. 28. & c. 6. de Cler. Conjug.* Siquis verò in susceptione Ordinis sacri positivè excluderet Votum, Matrimonio obstaret Lex Ecclesiæ, ut communiter docent cum Suarez ex *can. 8. d. 27. can. 2. d. 82.* Pars 2. est pariter decisa in *Extrav. cit.* Neque vis dissolvendi Matrimonium, etiam Ratum tantùm, Jure Divino aut SS. Canonibus reperitur esse concessa Ordinibus Sacris.

Objic. 1. In *can. 13.* Synodi VI. relato *in* 3
can. 13. d. 31. sic habetur: *Nos antiquum sequentes canonem Apostolicæ diligentiæ, & constitutiones, sacrorum virorum legales nuptias ámodo valere volumus:* ergo Sacer Ordo non dirimit Matrimonium. 2. In *can. fin. d. 31.* refertur, Orientalis Ecclesiæ *Sacerdotes, Diaconos, atque*

Sub-

Subdiaconos Matrimoniô copulari: ergo saltem in Ecclesia Græca non dirimit Matrimonium Ordo Sacer. 3. Jus Divinum & Naturale exigit ut, qui sacra tractant & ministrant, ac servitio Divinis specialiter consecrati sunt, ab omni carnali commercio sint mundi, & non habeant cor divisum erga uxores & Deum. *1. Cor. 7.* ergo Ordine Sacro initiati Jure Divino & Naturali, non merè Ecclesiastico, obligantur ad cœlibatum, & inhabiles sunt ad Matrimonium. 4. Continentia & abstinentia à Matrimonio, est res consilii, non præcepti. *1. Cor. 7. v. 25.* & ipse Christus noluit eam præcipere: ergo nec Ecclesia potest Sacros initiatos obligare ad abstinendum à Matrimonio, & si sint obligati, à Jure Naturali ac Divino descendit hæc obligatio. 5. Siquis ignoraret, Sacro Ordini annexum esse tacitum castitatis votum solenne, vel metu adigeretur ad suscipiendum Ordinem Sacrum, talis utique non voveret saltem validè castitatem: ergo saltem talis foret habilis ad Matrimonium. R. ad 1. Ille canon non est Synodi VI. sed unus ex *Trullanis*, qui apertè sunt reprobati à Sergio Pontifice, ut communiter notant DD. Ad 2. Illa verba, *Matrimoniô copulari*, non denotant contractum Matrimonialem, qui etiam in Ecclesia Græca non celebrant validè, qui jam sunt in Sacris Ordinibus constituti. *can. 7. d. 32.* Pignat. *to. 8. consult. 81. n. 33.* Sed significant usum Matrimonii per copulam, quod ante susceptionem Ordinis Sacri contraxerant Græci, ac proinde ad Sacros Ordines admissi sunt. Et iste usus Matrimonii, priùs jam contracti, permittitur Sacerdotibus Ecclesiæ Græcæ. *c. 6. de Cler. Conjug.*

Et

Et hoc illis speciale est præ Sacerdotibus Ecclesiæ Latinæ. Ad 3. Jus Divinum & Naturale exigit tanquam valde conveniens. *C. ant.* Tanquam absolutè necessarium, vel præcipit continentiam & cœlibatum. *N. ant. & conf.* Ad 4. Est res consilii antecedenter ad præceptum Ecclesiæ. *C. ant.* post præceptum Ecclesiæ, quæ tamen nullos ligat, nisi liberè volentes & Sacrum Ordinem suscipientes. *N. ant. & conf.* Ad 5. Ignorans annexionem voti censetur tamen virtualiter saltem habere intentionem generalem suscipiendi Ordinem Sacrum eo modo, quo Ecclesia præcipit, & sic tacitè vovet castitatem, vel saltem ex præcepto Ecclesiæ, cui per illam intentionem se subjicit, obligatur ad cœlibatum. Si neque talem intentionem generalem haberet (quod præsumendum non est) probabiliùs in foro interno non obligaretur. Loquendo nunc de illo, qui metu injustè incusso adactus est ad susceptionem Ordinis Sacri, puto, eum probabiliùs obligari, quia talis simpliciter liberè, quamvis non sponte, emittit votum; & alia vota (excepta Professione Religiosa) metu extorta valent, ut alibi docuimus. Ecclesia quidem non obligat ad aliquid faciendum interveniente gravi metu injusto, si tamen compulsi aliquid faciant validè, vult etiam valere id, quod annexum & accessorium est, utì votum Ordini Sacro est annexum, præsertim si per actum extortum aliquis ponitur in certo statu, & non exprimit, se indè nolle obligari. Interim siquis probaret satis, se metu adactum esse ad Ordinem Sacrum suscipiendum, sperare posset à pia Matre dispensationem in voto castitatis haud difficilem.

Dico

4 Dico 2. Votum ſolenne Profeſſionis Religioſæ dirimit Matrimonium contrahendum Jure Eccleſiaſtico. 2. Imò & diſſolvit Matrimonium jam validè contractum, modò illud præcisè ſit Ratum & nondum per copulam conſummatum. Pars clarè eſt deciſa in *c. fin. h. t. c. un. de Voto in 6.* Trid. *ſ. 24. de Sacr. Matr. can. 9.* Et quòd non jure Naturali aut Divino dirimat, vel indè clarè quòd non dirimat, *quà votum*, aliàs etiam votum ſimplex caſtitatis dirimeret, quod nemo ſomniat, neque *quà ſolenne*, quia tota voti ſolennitas habetur à ſolo Jure Eccleſiaſtico. *c. un. cit. Extrav. un. Jo. XXII. eod.* Pars 2. pariter eſt certa ex *c. 2. 7. 14. de Converſ. conjug.* & Trid. *loc. cit. can. 6.* Permittitur autem novis conjugibus ſpatium duorum menſium, intra quos non tenentur conſummare Matrimonium, ſed deliberare poſſunt, an non velint ingredi Religionem, etiam unus eorum, & ſic diſſolvere Matrimonium: imò diſſolveretur, etſi poſt duos menſes unus ingrederetur, modò interea Matrimonium neciùm fuiſſet conſummatum. Vota Religioſa, quæ emittuntur in Societate JESU, quamvis ſimplicia ſint & non ſolennia, tamen dirimunt Matrimonium contrahendum; non tamen diſſolvunt contractum, licèt Ratum præcisè ſit. Ita decidit Gregor XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*, loquens ſolùm de nullitate Matrimonii contrahendi, nihil autem de contracti diſſolutione.

5 *Objic.* 1. Quod meum non eſt, ſed jam alteri traditum, tertio tradi validè non poteſt, etiam ſpectato Jure Naturali: ſed Religioſus profeſſus per votum ſolenne non ampliùs habet

bet

bet dominium sui corporis, utpote jam DEO consecrati & totaliter traditi: ergo etiam spectato Jure Naturali non potest suum corpus tradere uxori: ergo Votum solenne Professionis Religiosæ dirimit Matrimonium Jure Naturali. *Confirm.* Qui per Matrimonium carnale se jam tradidit uni uxori, nec de Jure Naturali validè se tradit alteri uxori per novum Matrimonium vivente priori conjuge: ergo nec ille se validè tradit uxori de Jure Naturali, qui per Professionem Religiosam, velut Matrimonium spirituale, se jam tradidit DEO. 2. Ex natura rei licitum est à statu imperfectiore ad perfectiorem transire: ergo etiam à conjugio carnali ad spirituale per Professionem Religiosam: ergo de Jure Naturali quoque, & non solùm Ecclesiastico, post Matrimonium Ratum licet ingredi Religionem. R. ad 1. quod probat nimium, nempe etiam ligatum voto simplici castitatis Jure Naturali non posse validum inire Matrimonium, quia votum simplex Jure Naturali non differt à solenni, sed solùm Jure Ecclesiastico. *Dist. ma.* jam alteri traditum non potest validè tradi tertio traditione ejusdem rationis. *C. ma.* traditione diversæ rationis. *N. ma.* Sic utique servus, qui domino suo obstrictus est titulô servitutis, potest se uxori tradere & obstringere titulô Matrimonii: sic utique ligatus uxoriô vinculô ex Justitia potest cum consensu uxoris, vel propter ejus adulterium, ingredi Religionem, & se DEO obligare ex virtute Religionis. Cùm igitur Professus Religionem se DEO tradiderit solùm traditione & titulô *Religionis*, utique spectato Jure Naturali se postea tradere posset uxori traditione & ti-

tulô *Juſtitiæ*. Ad *Confirm.* non eſt paritas, qui alterum contrahens Matrimonium traderet ſe nō væ uxori titulô Juſtitiæ, quo eodem jam eſt ad ſtrictus primæ. Ad 2. Quod iterum probat mium, nempe etiam Matrimonium conſummatum diſſolvi poſſe per Profeſſionem Religioſam: rem jam uni donatam poſſe poſtea donari Eccl ſiæ, quæ donatio eſt per ſe DEO gratior. *Dist ant.* Ex natura rei licitum id eſt illi, qui adhu ſui juris eſt, liberi, & nondum ligatus. *C. ant.* qu ſui juris non ampliùs eſt, ſed alteri, & ad certu ſtatum jam obligatus. *N. ant. & conſ.*

6 Dico 3. Votum Simplex Caſtitatis, Religi nis ingrediendæ, Ordinum ſacrorum ſuſcipie dorum, & non nubendi, non quidem dirimit Ma trimonium contrahendum, ſed ſolùm impedi h. e. non invalidum facit, ſed illicitum. 2. Spon ſalia tamen contrahenda dirimit, ſeu facit irri 3. Non obſtante, quòd Sponſalibus poſtea con tractis accedat defloratio, & ſponſa voti igna pateretur damnum grave, non reparabile ni per Matrimonium. Pars 1. ſumitur ex *c. un cit. c. 3. 4. 6. h. t.* & ex ratione, quòd utique re alicui promiſſa, maximè DEO, ùt fit per votum licitè tradi alteri nequeat etiam ſpectato Jure Na turali & Divino. Excipe caſum, quo quis voto caſtitatis ligatus contraheret Matrimonium mo do extraordinario, ſcilicet cum pacto & ſub conditione ſervandi perpetuam continentiam, quod juxta nos fieri poteſt. Pars 2. claret; ſi enim valerent Sponſalia poſt ejusmodi votum con tracta, deberent producere obligationem ad il licitum, nempe ad violandam fidem DEO de

tam

tam per votum, vel saltem ad statum, in quo propinquum foret periculum violandi; sed obligatio ad illicitum, vel ad tale periculum, dari nequit, *c. 69. de R. J. in 6.* Pars 3. est controversa, nam oppositum tenent Sanch. Vasq. Pont. Palao &c, nostram resolutionem verò tenent Navar. Vivald. P. Franc. Schmier *de Sponsal. p. 1. c. 3. n. 23.* & sic probo. 1. Sponsalia post votum emissa non obligant ratione sui, utpote nulliter inita, ut dictum; neque ratione defforationis; unde enim huic sceleri concessa est vis firmandi Sponsalia de se irrita? neque ratione damni aliter non reparabilis; hoc enim sibi imputare debet deflorari aut imprægnari se patiens; & cur DEUS propter scelus fornicantium, sponsi & sponsæ, debeat cedere suo jure jam quæsito contra regulam Juris *54. in 6. qui prior est tempore, potior est Jure?* 2. Non licet rem uni donatam iterum furari ad compensanda damna alteri etiam injustè illata: ergo nec licet corpus jam semel DEO dicatum per votum quasi furari tradendum sponsæ defloratæ ad illata illi damna compensanda. 3. Videtur esse res scandali plena, ut quis per flagitium, tam proprium quàm fornicariæ complicis, licèt voti ignaræ, pro libitu se valeat liberare à voto, & ex suo delicto reportare commodum.

Objic. 1. Votum eleemosynæ non stringit ventem, qui postea alteri intulit grave damnum, non reparabile, si summam pro eleemosyna destinatam largiatur pauperibus: ergo à pari. 2. Obligatio Justitiæ est fortior, quàm obligatio Religionis, quam solam parit votum, ac insuper istud ex mera liberalitate est factum, obligatio

autem Juſtitiæ ex contractu oneroſo ſponſalitio naſcitur. 3. DEUS non acceptat votum, quod ſine gravi alterius damno impleri non potest: ergo neque continuat acceptationem voti, quando alteri incipit eſſe graviter damnoſum. ℟. ad 1. *tran. ant. N. conſ. & parit.* quia DEUS per tale votum eleemoſynæ non acquirit jus ad rem certam, per votum verò Caſtitatis & Religionis acquirit jus ad rem certam, nempe ad corpus voventis: qui autem habet jus ad rem certam, præfertur aliis qui ſimile jus non habent, ac inſuper jus, quod habent, tempore poſterius eſt. Ad 2. Obligatio Juſtitiæ, ſaltem ſi præcedat obligatio Religionis, non eſt fortior, imò, ſi adverſetur obligationi Religionis, eſt nulla, cùm Sponſalia post votum inita non valeant. Ad 3. *N. conſ.* Cum enim præſumatur de DEO, quòd cedat ſuo juri propter damnum hominis, præſertim ſi illud ſequatur ex delicto voventis, & ſponſæ damnum patientis?

8 Quæres, quid ſit Juris, ſi prædicta vota ſimplicia non antecedant Matrimonium, aut Sponſalia, de quo caſu hucusque, ſed ſubſequantur, ſeu ſi Matrimonium, vel Sponſalia priùs jam fuerunt contracta, antequam edita vota? ℟. 1. *Matrimonio.* Si hoc fuit contractum antecedenter, vota nullatenus illud dirimunt vel diſſolvunt, ſed habent alios & diverſos effectus. Votum *Caſtitatis* uſum Matrimonii facit illicitum, ita ut vovens non poſſit petere debitum conjugale (quamvis reddere illi permiſſum ſit) item, ſi conjunx maneretur, facit illicitum novum Matrimonium contrahendum. Votum *SS. Ordinum, non nubendi*

uſum

usum Matrimonii non faciunt quidem illicitum (&, si semel est consummatum, neque votum *Religionis*) quia materia voti hìc & nunc jam redditа est impossibilis, & quia sic voventes non promiserunt castitatem, saltem nondum actu; faciunt tamen illicitum novum Matrimonium contrahendum, casu quo prius Matrimonium dissolveretur. R. 2. *De Sponsalibus*: si hæc fuerunt contracta ante hujusmodi votum, manent in suo valore, & votum, utpote invalidè ac in præjudicium alterius emissum, non stringit, ut habet communior & verior ex *c. 5. h. t.* Interim tamen, licèt ex parte voventis non solvantur Sponsalia priùs inita, alteri tamen comparti per hoc data est potestas libera ab iis resiliendi, eò quòd vovens censeatur Sponsalibus ex sua parte renuntiâsse, quod non vovens acceptare potest, si velit. Dein circa votum *Religionis* post Sponsalia emissum nota, quòd obliget ventem illa dissolvere ingrediendò Religionem, ùt eruitur ex *c. 2. & 7. de convers. conjug.* ubi habetur, quòd Sponsalibus, & Matrimonio Rato insit hæc tacita conditio, *nisi statum Religiosum elegero*: ergo vovere Religionem, etiam post Sponsalia, est licitum & validum. *Objic.* Sponsalibus semper inest hæc conditio, *nisi meliorem statum elegero*, v. g. cœlibatum: ergo etiam votum *Ordinis sacri, castitatis*, vel *non nubendi*, Sponsalia priora dissolvit, saltem dat potestatem recedendi à Sponsalibus; nam *promissum non infringit, qui in melius illud commutat. c. 3. de Jurejur.* R. *N. ant.* nec enim inest ex natura rei, quia homo non tenetur perfectiorem statum eligere, nec ex dispositione Juris, quod in

favorem ſolius ſtatûs Religioſi conditionem a nexuit, *niſi ſtatum Religioſum elegero*; non ve ſic favet Ordinibus ſacris, vel cœlibatui. Ad ter tum ajo, eum procedere, ſiquis promiſſum mute in melius ſine injuria tertii: ſed poſt Sponſalia vo vens Ordinem ſacrum, caſtitatem, cœlibatu mutat promiſſum cum injuria tertii, nimirum ſpo ſæ, vel ſponſi.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit, quam polluit p adulterium.

SUMMARIUM.

1. *Impedimentum Criminis unde contrahatur.*
2. *Ut incurratur ex adulterio, ſine conjugicid interveniente, quid requiratur.*
3. *Et quid, ut contrahatur ex conjugicidio.*
4. 5. *An contrahatur Impedimentum Criminis ignorante Legem illud ſtatuentem.*

1 UT conjuges magis abſterreantur ab a ulterio, & conjugicidio, in pœnam tuitur in hoc titulo *Impedimentum C minis* dirimens, vi cujus inter complices deli (non quoad alias perſonas) validum Matrim nium, etiam ſoluto priore, iniri nequit. De ctum, ex quo oritur, eſt duplex, *adulterium*, & *conjugicidium*. Rubrica ſolùm de priori, ſ grum verò de utroque facit mentionem. Sed

nec adulterium solum, nec conjugicidium solum, sine aliis adjunctis & conditionibus, inducit hoc impedimentum. Ut adulterium inducat, requiritur simul 1. vel promissio Matrimonii de futuro facta complici. 2. Vel promissio Matrimonii de præsenti, seu attentatio actualis Matrimonii cum complice. 3. Vel conjugicidium. Igitur in tribus casibus adulterium constituit impedimentum criminis; & quia 4. etiam conjugicidium sine adulterio cum mutua viri & fœminæ in necem conjugis conspiratione, ac intentione Matrimonii inter se ineundi, illud invehit, quadruplici modo contrahitur impedimentum criminis, ut patet ex *t. h. t. & c. 1. de convers. infidel.* Ut hæc planiora fiant,

Dico 1. Ut adulterium sine conjugicidio sit causa impedimenti criminis, requiritur vel Matrimonium cum complice attentatum, vel promissio Matrimonii contrahendi. Colligitur ex *c. 5. 6. & c. fin. h. t.* ibi: *siquis uxore vivente fide data promisit, aliam se ducturum, vel cum ipsa defacto contraxit, si nec antè, nec pòst (legitimâ ejus,* nimirum conjuge, *superstite) cognovit eandem, non est tamen Matrimonium, quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimendum. Cæterùm tolerari non debet, si priùs, vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adulteriô polluisset:* ergo, si simul cognovit, ante vel post datam fidem de futuro vel præsenti, seu si cum alia fœmina adulterium data fide commisit, dirimitur Matrimonium cum tali fœmina post obitum legitimæ uxoris contractum. Porro DD. comuniter ulteriùs requirunt 1. ut adulterium sit perfectum. 2. Ut sit formale 2

le ex utraque parte, id est utrique cognitum, etiam fœminæ, quòd nimirum vir, cum quo peccat, sit conjugatus, & viciſſim. 3. Ut & adulterium & promiſſio contigerit eâdem legitimâ conjuge vivente. 4. Ut promiſſio ſit ſeria, non ficta. 5. Absoluta. 6. Acceptata. 7. Non revocata ante adulterium ſecutum: ſi verò & promiſſio & adulterium jam contigiſſent, ac primùm poſtea revocaretur promiſſio, non ceſſaret impedimentum, utpote jam plenè completum & contractum. 8. Probabilius, ut accedat repromiſſio, quam tamen acceptatio promiſſionis regulariter tacitè involvit. Ratio horum eſt, quia verſamur in materia pœnali, in qua termini debent ſtrictè accipi, & Jura loqui cenſentur de tali promiſſione, quæ aliàs & communiter in perſonis ſolutis requiritur ad Sponſalia.

Objic. Promiſſio Matrimonii vivente priori conjuge eſt nulla & irrita: ſed, quod nullum eſt, nullum producit effectum: ergo nec irritat Matrimonium cum promiſſaria contrahendum. R. *C. ma.* ſi tem ſi promiſſionem anteceſſit vel ſecutum eſt adulterium, *diſt. min.* quod nullum eſt, nullum producit effectum ſibi intrinſecum, ad quem per ſe ordinatur. *C. min.* nullum producit effectum ſibi extrinſecum, ex diſpoſitione Juris intentum & actui de ſe nulli annexum. *N. min.* Jus tali promiſſioni tribuit vim dirimendi Matrimonium. Sed quid? ſi maritus vivente uxore promittat fœminæ Matrimonium ſub expreſſa conditione, ſi in eventum, ſi uxor moreretur, ſed ſine interventu adulterii? R. Quamvis in tali promiſſione ex parte promittentis ordinariè interveniat aliqua

ordi-

ordinatio, atque in foro externo forsan illi non assisteretur, videtur tamen mihi valida esse, eò quòd ex parte objecti non involvat turpitudinem, & executio referatur in tempus habile, quo conditio erit purificata, neque reperiatur in Jure irritata esse; sicut si contrahantur Sponsalia à laborantibus impedimento sub conditione, si Papa dispensaverit. *arg. c. 8. de rer. permut. & l. 62. pr. ff. de hæred. instit.*

Dico 2. Ut conjugicidium causet impedimen- 3
tum criminis, requiritur vel adulterium prævium (rursus perfectum & formale ex utraque parte) *can. 5. caus. 31. q. 1. c. 1. 3. 6. h. t.* opus quidem simul est, ut cædes actu sit secuta, seu machinatio in mortem cum effectu, & quidem animô contrahendi Matrimonium cum complice adulterii; necesse tamen non est, ut ambo adulteri in cædem conspirent, sed sufficit, si alteruter vel physicè, vel moraliter, per se vel per alium cædem patret, etiam altera parte ignara. *c. 1. de convers. infid. c. 6. cit.* Vel seclusô adulteriô requiritur, ut ambo, vir & fœmina, conspirent vel saltem consentiant in cædem, & vel per se, vel per alium actu occîdant innocentem conjugem, & quidem cum intentione contrahendi inter se Matrimonium. *c. 1. & can. 5. citt.* Ex quibus apparet, ad inducendum impedimentum Criminis ex conjugicidio nunquam sufficere, si occisio fiat ex alio motivo, v. g. liberiùs cum quadam peccandi, vel contrahendi Matrimonium cum alia persona, quæ adulterii aut conspirationis in necem, complex non fuit, vel ex vindicta &c.

Quæres, an impedimentum Criminis incur- 4
ratur ab illis, qui ignorârunt, illud à Jure an-

nexum esse suo delicto? R. negativè cum probabili sententia Palud. Major. Leand. à Murcia Zergoll, Dicast. Fernandez apud & cum P. Kirmer *l. IV. Decretal. n. 1014.* Favet Karchne *l. 4. Decretal. art. 4. & 5.* contra Dian. Moja, Layn. Haunold. Sporer, & communem Recentiorum. Prob. 1. Pœna à Jure statuta non incurritur à ignorantibus Jus, ut tradit communis DD. per modum regulæ apud cit. Kirmer *n. 1012. & 1021.* Et Sanch. *l. 9. d. 32. n. 18.* loquens in specie de lege pœnaliter irritante docet, *annullationem actus quando non est ex solennitatis defectu, sed in delinquentis pœnam, non incurri ab ignaro legis:* cujus rei ratio esse potest, quia aliàs delicta inæqualia punirentur pœna æquali; graviùs enim peccat, qui agit contra legem sciens non tantùm prohibitionem, sed etiam annexam pœnam, quàm alius, qui scit prohibitionem tantùm. Atqui impedimentum Criminis est à Jure statutum principaliter ut pœna propter delictum, & Jus, hanc inhabilitatem Matrimonii inter complices delicti statuens, est lex pœnalis, seu pœnaliter inhabilitans, ut iterum est communis, ita ut Palao, Adversarius, *p. 1. tr. 3. d. 2. pu. 7. n. 4.* hoc Jus adducat per modum exempli Legis pœnalis, dicens: *quoties in pœnam delicti imponitur, ut contingit in Lege irritante Matrimonium ob uxoricidii, & adulterii crimen cum promissione futuri Matrimonii.* Et: *ex toto titulo (de eo, qui duxit &c.) constat, irritationem esse pœnam.* Ergo Impedimentum Criminis non incurritur ab iis, qui ignorant à Jure annexum illud esse suo delicto, seu qui ignorant hanc legem pœnaliter inhabilitantem; qui

nempe

nempe non transgrediuntur hanc legem *quà pœnalem*, cùm ut talem non cognoscant. 2. Ignorantia facti excusat ab impedimento Criminis: sic mulier ignorans virum, cum quo peccat, esse conjugatum, illud non incurrit. *c. 1. h. t.* & fatentur Adversarii: ergo & ignorantia Juris excusat. Nec objicias *regulam Juris 13. in 6.* ubi dicitur, ignorantiam facti quidem excusare, non item ignorantiam Juris; quia ista regula non procedit de ignorantia Juris pœnalis; cùm universaliter pœna non incurratur ab ullo ignorante. 3. Irregularitates ex delicto, v. g. homicidio illicito, non incurruntur ab iis, qui ignorant eas esse annexas suo delicto, ut habet probabilis multorum gravium DD. Panorm. Innoc. Nav. Sanch. Conink, Palao &c. (quamvis ego ipsis non assentiar, quia hæ irregularitates non principaliter ut pœnæ sunt statutæ, sicut impedimentum Criminis, sed ut inhabilitates) ergo etiam probabile est, impedimentum Criminis non incurri ab ignorantibus, illud esse annexum suo delicto. 4. Reservatio peccatorum, saltem pœnalis, non datur apud eos, qui ignorant, sua delicta esse reservata, ut passim docent Theologi: ergo &c. 5. Excommunicatio & aliæ censuræ non ligant ignorantes, ut communiter tradunt ex *c. 2. de constit. in 6.* quia sunt pœnæ: ergo &c.

§ *Objic.* 1. Impedimentum affinitatis ex copula illicita, quamvis involvat peccatum, & rationem pœnæ habeat, tamen afficit etiam ignorantes Legem: ergo etiam Impedimentum Criminis. 2. Consuetudo & praxis est optima Juris dubii interpres: sed pro opposita sententia stat praxis & consuetudo tribunalium, maximè

mè Romani: ergo. 3. Noſtra ſententia nec in foro interno poteſt deduci in praxim, cùm, ubi agitur de valore Sacramenti, debeamus tutiorem ſequi: ergo ſaltem practicè non eſt probabilis. R. ad 1. *N. conſ. & parit.* nam impedimentum affinitatis ortæ ex copula illicita non eſt introductum in pœnam delicti, ſaltem principaliter, ut vel indè patet, quòd à Tridentino propterea, quòd interveniat delictum, potiùs reſtrictum ſit, & quidem ad ſecundum gradum, cùm tamen affinitas ortum habens ex copula conjugali & licita dirimat Matrimonium usque ad quartum gradum; ſed eſt introductum tanquam inhabilitas propter ſimilem rationem, propter quam introductum eſt impedimentum affinitatis ex copula licita ortæ, de qua ad *tit. XIV.* infrà. Ad 2. Illa conſuetudo & praxis Tribunalium (ſi tamen ubique recepta ſit) innititur ſententiæ probabili communiori, atque pro foro ſolùm externo procedit, pro quo præſumitur ſcientia Juris manifeſti ac certi, quamdiu ignorantia non probatur: indè tamen non infertur, quòd, qui certus eſt de ſua ignorantia Legis, impedimentum dirimens ſtatuentis in ſuum delictum, ſecurus non ſit in foro interno, pro quo nondum probata eſt conſuetudo contraria, Jus dubium explicans, ſiquis absque diſpenſatione ducat in conjugem, cui vivente propria uxore promiſerat Matrimonium cum interventu adulterii. Ad 3. Probabilitas ſpeculativa noſtræ ſententiæ negari non poteſt propter allata rationum momenta: practica autem infertur manifeſtè ex dictis ad *tit. I. n. 35.*

TITU-

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit lepra, & morbi huic æquivalentes in hac materia.*
2. *Lepra Sponsalibus superveniens est causa resiliendi.*
3. 4. *Non verò dissolvendi Matrimonium Ratum, imò regulariter nec divertendi quoad thorum.*

LEpra, quæ à Paulo Zacchia præstanti Medico-Legista definitur esse cutis asperitas cum pruritu & corporis colliquatione, depascens profundas corporis partes orbiculatim, atque piscium instar squammulas ex sese emittens, non quidem est impedimentum Matrimonii dirimens, imò nec impediens, cùm duo leprosi (imò & sanus & leprosa) validè ac licitè contrahant Matrimonium, ut supponitur *c. 2. h. t.* quia tamen parti sanæ, si superveniat Sponsalibus, resiliendi, & quandoque, si superveniat Matrimonio jam contracto, divertendi à thoro & cohabitatione potestatem tribuit ob periculum infectionis, & fœditatem, intercalariter hìc ponitur ante impedimenta ipsas personas afficientia. Lepræ in hac materia æquiparantur alii quoque morbi contagiosi, uti pestis, lues Venerea, quam vocant morbum Gallicum, & phthisis, quæ ultima tamen periculum infectionis solùm respectu 1

junio-

junioris conjugis à seniori habere dicitur à Paulo Zacchia, non viciſſim: quare & de his intelligenda erunt, quæ de lepra dicemus. De qua igitur

2 Dico 1. Lepra Sponſalibus ſuperveniens (idest eſt de præcedente, at ignorata) præbet juſtam cauſam reſiliendi. *c. fin. h. t.* cùm utique lepra ſuperveniens (vel præcedens ignorata) ſit habenda pro mutatione notabili perſonæ, ita ut, ſi præceſſiſſet & cognita fuiſſet, utique à Sponſalibus abſterrere potuiſſet.

3 Dico 2. Lepra ſuperveniens Matrimonio, etiam Rato tantùm (vel præcedens ignorata) non dissolvit Matrimonium quoad vinculum. 2. Regulariter nec quoad cohabitationem & thorum. Pars prior eſt certa ex *c. 1. h. t. & c. 2. cit.* ibi: *quoniam nemini licet (exceptâ causâ fornicationis) uxorem dimittere; conſtat, quòd, ſive mulier lepra percuſſa fuerit, ſeu alia gravi infirmitate detenta, non eſt à viro propterea ſeparanda, vel etiam dimittenda*; quia nimirum Matrimonium, etiam Ratum, ex natura ſua eſt indiſſolubile. Pars poſterior ex *eod. c.* ubi textus ſic pergit: *Quòdſi virum, ſive uxorem, leproſum fieri contigerit, & infirmus à ſano carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur, eſt ſolvendum: in præcepto nulla in hoc caſu exceptio invenitur.* Sed hoc non immeritò DD. intelligunt contra Schambogen *h. t. n. 5.* de lepra comuni, & non admodum contagioſa; ſi enim Medicorum judiciô lepra ſit talis, ut periculum gravis infectionis poſt ſe trahat, vèl ut gravem horrorem ob fœditatem pariat, ut ſi eſt lepra leonina, ut vocant, & ſi

ciens membra computrescere, item quando præcessit Matrimonium, & ignorata fuit à Parte sana, juxta communem separatio quoad thorum & cohabitationem permittitur; quia nempe pars sana non censetur se obligâsse ad tam grave infectionis periculum, ut salva non sit proprii individui incolumitas, quæ meretur præferri alienis solatiis, nec ad tantam difficultatem, ubi & si in contractu Matrimoniali decepta sit.

Objic. 1. In *c. fin. h. t.* ad quæstionem, an 4
sponsus *compelli debeat ad consummandam maritalem copulam* cum parte in lepram incidente, respondit Papa, *quòd ad eam accipiendam cogi non debet, cùm nondum inter eos Matrimonium fuerit consummatum:* ergo saltem Matrimonium Ratum ex causa lepræ potest dissolvi. 2. In *can. 18. caus. 32. q. 7.* Pontifex dedit marito potestatem ducendi aliam, si uxor, infirmitate correpta, non valeat debitum viro reddere: ergo lepra sufficit ad dissolvendum Matrimonium, saltem Ratum. R. ad 1. *N. conf.* quia in textu illo non est sermo de Matrimonio Rato, sed de Sponsalibus tantùm, quæ ibi dicuntur nondum fuisse *Matrimonium consummatum*, h. e. Sponsalia nondum fuisse executioni data per contractum de præsenti; id quod etiam indicant verba, *ad eam accipiendam* (scilicet in conjugem) *cogi non debet.* Ad 2. quod probaret nimium, nempe non solùm ex causa lepræ, sed etiam cujuscunque infirmitatis, quæ impedit usum Matrimonii, istud dissolvi, & parti sanæ ad alias nuptias digredi licere, ajo, per illam infirmitatem intelligi impotentiam perpetuam ad copulam, quæ præcesserat, atque ideo

Ma-

Matrimonium nunquam valuit. Alii cùm Glos. Barb. & Pont. reſpondent, ibi à Pontifice diſpenſatum fuiſſe (quod nos ipſi ex gravi cauſa permittemus ſuo loco) propter ſupervenientem conjugis infirmitatem, uſui Matrimonii obſtantem: quæ reſponſio videtur eſſe æquè bona, vel melior.

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

SUMMARIUM.

1. *Servi propriè dicti quinam.*
2. 3. *An & quando valeat conjugium cum ſerva vel ancilla initum, vel non valeat, & quo Jure.*

1 *Servi* ſtrictè dicti, de quibus ſolis hìc ſermo eſt (non de adſcriptitiis, originariis, & hominibus propriis, qui abſolutè ſunt liberi, licèt arctiùs, quàm cæteri ſubditi, ſuis dominis adſtricti ſint, & quandam ſervitutis ſpeciem præ ſeferant) ſunt, qui ex Jure Gentium vel Civili contra naturalem libertatem alieno dominio ſubjecti ſunt, ut inſtar aliarum rerum & patrimonii poſſideri, vendi, & alienari poſſint, &, quidquid acquirunt, dominis ſuis acquirant, iísque ad perpetua ſervitia obſtricti ſint. Fiunt tales vel ex nativitate, ſi nimirum nati ſunt ex ſerva vel ancilla ſtrictè dicta, ſeu ex fœmina propriæ ſervituti obnoxia: vel ex captivitate, ſi nimirum in bello

ſto.

sto, cum exteris Nationibus gesto, capti & servati sunt. Inter Christianos non ampliùs dantur, sed servitus propriè dicta hodie in reverentiam Christianæ libertatis, in quam Christus nos asseruit, sublata est, licèt Turcæ, Gentiles, & Pagani, si à Christianis in bello justo capiantur, verè fiant hodiedum servi Christianorum, quamdiu non fuerint baptizati. Conjugium servorum propriè dictorum, item servi cum libera, ac viciſſim, de Jure Civili non habetur pro Matrimonio legitimo, sed vocatur *Contubernium. l. 3. C. de inceſt. nupt.* De Jure Canonico autem dari potest verum Matrimonium inter servum & ancillam, etiam invitô dominô contractum, item inter liberum seu ingenuum cum ancilla, aut inter ancillam & liberum, modò persona libera alterius conditionem seu statum servilem priùs sciverit. *can. 2. 4. 5. cauſ. 29. q. 2. c. 1. 2. & fin. h. t.* quia Jus Canonicum & Ecclesia considerat personas in ordine ad Matrimonium quoad naturam suam, secundùm quam omnes sunt æqualiter liberi. Quamvis nec de Jure Canonico valeat inter liberum & servam, ac viciſſim, si pars libera alterius servitutem ignoraverit tempore contractûs. Unde hoc loco statuitur *Impedimentum Conditionis*, nimirum servilis, & ignoratæ, de quo

Dico. Irritum est Matrimonium, quod homo liber contrahit cum persona conditionis servilis ignoratæ, sed Jure tantùm Ecclesiastico, non Naturali. *c. 2. c. fin. h. t.* Quamvis enim hæc ignorantia & error de se sit tantùm circa qualitatem & statum personæ accidentalem, & non circa substantiam ac individuum personæ, Ec- 2

clesia tamen, tanquam pia Mater, noluit sic errantem indissolubili vinculo constringere propter nimiam inæqualitatem contrahentium, ac præjudicium, quod personæ liberæ, imò & ipsi status Matrimoniali crearetur; eò quòd persona servilis possit perpetuis à Domino laboribus occupari, in remotas mitti provincias, vendi &c. quo pacto usus Matrimonii multùm impeditur, vel omnino tollitur.

3 *Objic.* 1. Servi non habent proprium velle & nolle, ac independenter à consensu Domini. *l. ff. de R. J.* sed ad Matrimonium Jure Naturali requiritur velle proprium, seu voluntas & consensus proprius: ergo independenter à consensu Domini non contrahunt validum Matrimonium Jure Naturali. 2. Error circa qualitatem redundantem in ipsam personam dirimit Matrimonium Jure Naturali, uti docuimus ad *tit. I. §. 4.* sed error circa conditionem servilem est error circa qualitatem redundantem in ipsam personam; ergo servitus afficiat statum personæ, illámque faciat sensu morali aliam: ergo. R. ad 1. *dist. ma.* non habent proprium velle & nolle in iis, quæ sunt Juris Civilis, & in quibus præjudicatur domino quoad servitia personalia, quæ exigit servitus, & quoad lucrum temporale. *C. ant.* in iis, quæ sunt Juris Naturalis, uti est Matrimonium, & in ordine ad actus conjugales, ac generationem prolis. *N. ma.* Usus igitur Matrimonii ita est temperandus, ut servi non notabiliter præjudicent domino in exhibendis debitis servitiis, & vicissim dominus ita occupare debet servos conjuges, ut suo tempore non impediantur ab usu Matrimonii. Ad

N. min.

N. min. sicut ignobilitas sponsæ ignorata, licèt afficiat statum personæ, non redundat in substantiam personæ, ita nec servilis conditio.

TITULUS X.

De Natis ex libero ventre.

SUMMARIUM.

1. 2. *Nati ex libera sunt liberæ conditionis.*
3. *Nati ex patre Nobili sequuntur hujus conditionem.*

NAti ex libero ventre vocantur, qui geniti 1
sunt (in-vel extra Matrimonium) ex matre libera seu ingenua, non serva seu ancilla strictè dicta. Quia verò contingere posset, ut liber duceret servam, & vicissim, gnarus conditionis servilis, quæstio est, cujus conditionis sint liberi, liberæ an servilis.

Dico. Nati ex matre libera sunt liberi, licèt pa- 2
ter sit servus; & sufficit, modò mater fuerit liberæ conditionis aliquo tempore, quo proles vel concepta, vel nata fuit, vel intermedio: sicut econtra nati ex matre ancilla sunt servi, si nempe illa nec tempore conceptionis, nec partûs, nec intermedio fuit liberæ conditionis: adeóque quoad servitutem vel libertatem proles sequuntur conditionem vel statum matris. Ita textus aperti in *pr. Inst. de Ingenuis. §. 4. Inst. de Jure person. l. 5. §. 2. 3. l. 7. l. 24. ff. de statu hom. c. un. h. t.* Ex quibus natum est commune brocardicum, *partus se-*

quitur ventrem, nempe quoad ſervitutem vel in genuitatem. Niſi nimirum aliud haberet loci cuſtudo, ut eſt caſus in *c. 3. de conjug. ſervor.*

3 Quæres, an proles quoad familiam, honores nobilitatem ſequantur patrem vel matrem? R. Patrem, ita ut, ſi pater ſit nobilis, mater plebeja etiam proles ſint nobiles, modò ſint ex juſtis nuptiis: ſic quoque, ſi pater eſt civis vel patricius etiam filius erit talis, licèt mater ſit peregrina &c. Text. & gl. *in l. 19. ff. de ſtat. hom.* Imò de jure mater, ſcilicet uxor, etiam dignitatem ſequitur viri. *l. 8. pr. ff. de Senator. l. 13. C. de dignit. l. 12. Nov. 105. c. 2. pr.* Sed *Objic.* Si proles ſequitur patrem quoad nobilitatem, matrem verò quoad ſervitutem, idem filius poterit ſimul eſſe Nobilis & Servus: ſed hoc eſt abſurdum. R. *N. ma.* vel *diſt.* Simul poterit eſſe nobilis & ſervus, ita tamen, ut nobilitatis ſplendor obfuſcetur, & nihil valeat, quamdiu ſervitus non tollitur. *C. ma.* ita ut ſtante ſervitute nobilitas ſplendeat, & aliquid valeat. *N. ma.* Facta manumiſſione & ſublata ſervitute, quaſi ſublatô velô, incipit ſplendeſcere nobilitas. Perſicut filius naturalis, qui extra Matrimonium à nobili ex matre plebeja procreatus eſt, primùm pro nobili habetur, ſi poſtea parentes inter ſe contrahant Matrimonium, & ipſe legitimus fiat. Dicere etiam filii naturales habentur pro nobilibus, ſi pater ſit nobilis: ergo non opus eſt, ut inter parentes poſtea ſequantur juſtæ nuptiæ. R. *diſt. ma.* habentur pro nobilibus de Conſuetudine, *tranſeat.* de Jure Communi. *N. ant.*

TITV-

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit cognatio spiritualis, & unde oriatur.*
2. *Inter quas personas dirimat Matrimonium.*
3. *An habeat locum, quando Baptismus confertur non solenniter in casu necessitatis.*
4. *An afficiat maritum, qui baptizat vel levat propriam sobolem.*
5. *Ut eam contrahat Patrinus, quid requiratur.*
6. *An contrahat, qui levat per Procuratorem.*

INter impedimenta Matrimonii dirimentia numeratur etiam triplex *cognatio, spiritualis, legalis,* & *carnalis,* ad quam quoque refertur *affinitas,* de quibus tractant sequentes 4. Tituli. *Cognatio spiritualis,* de qua hìc, *est propinquitas personarum, ex collatione & susceptione Sacramentorum Baptismi & Confirmationis resultans, ac Jure Ecclesiastico dirimens Matrimonium inter certas personas.* Sumitur ex *caus. 30. q. 1. & 3. ac t. h. t.* Sicut enim ex generatione carnali oritur aliqua conjunctio arctior inter certas personas, quapropter reverentiam quandam sibi invicem debent, ita ut nequeant decenter Matrimoniò copulari in ordine ad actus conjugales, ita ex generatione spirituali, quæ fit per Baptismum, per 1

quem homo quasi concipitur & animatur in utero Ecclesiæ, atque per Confirmationem, per quam nascitur quasi, & ex utero in lucem progreditur, specialis oritur conjunctio & quasi parentela, inter certas personas aliquam fundans reverentiam erga se invicem, propter quam Ecclesia judicavit indecens esse, ut tales personæ copulentur Matrimoniô. Voluit autem hoc obstaculum Matrimonii oriri solum ex Baptismo & Confirmatione. *c. fin. h. t. in 6.* propter analogiam generationis spiritualis, quæ fit in his duobus Sacramentis, cum generatione naturali. Personæ verò, quas afficit hoc spiritualis cognationis impedimentum, sunt, quæ ad hanc generationem spiritualem concurrunt, utì Baptizans, & Confirmans, item Patrini, qui quasi sunt patres respectù Baptizati & Confirmati &c. de quibus postea. Interim nota, *Patrinum* (& *Patrinam*, vel *Matrinam*) dici, qui tenet, levat, suscipit, vel saltem tangit eum, qui baptizatur vel confirmatur, ac tacitè spondet, se habiturum paternam filius curam spiritualem, instruendo in rebus fidei & Christiana vita. *can. 105. d. 4. de Consecr.* nimirum Parentes, Parochi, vel Ludimagistri hoc fecerint.

2 Dico 1. Impedimentum Cognationis spiritualis hodie afficit tantùm quinque personas, ita ut ex collatione Baptismi solus *baptizans*, & *patrinus* (ad quem refertur & matrina) illud contrahant cum *baptizato*, & baptizati *patre*, ac *matre*; ex collatione Confirmationis autem solus *confirmans*, & *patrinus*, cum *confirmato*, & confirmati *patre*, ac *matre*. Ita restrinxit Trident. *s. 24. c. 2*

c. 2. de Ref. Matrim. Siquidem de Jure Antiquo ampliùs se extendebat, utì ad uxorem baptizantis baptizatique parentes, & dicebatur *compaternitas indirecta*, item ad liberos naturales baptizantis & patrini ac baptizatum, atque vocabatur *fraternitas*. Inter baptizantem tamen & patrinos non ampliùs oritur; inter patrinos ipsos autem ad se invicem nec de Jure Veteri oriebatur cognatio spiritualis, quia nullus reperitur textus.

Quæres, an etiam privatim in casu necessitatis baptizans. 2. Vel tenens baptizatum, seu Patrinus, contrahat impedimentum cognationis spiritualis? R. ad 1. cum communissima affirmativè, partim quia Jura non distinguunt inter baptismum privatum & solennem, in-vel extra necessitatem collatum, partim quia etiam in Baptismo privato, & in necessitate collato, fit generatio spiritualis. R. ad 2. cum distinctione: si teneat solùm materialiter, ut commodiùs administretur Baptismus (ut ordinariè contingit) non contrahit: si verò teneat formaliter, h. e. cum intentione obeundi munus Patrini, probabiliùs contrahit, quia nec quoad patrinum Jura faciunt discrimen inter Baptismum solennem, & privatum in necessitate collatum, & quia assistentia Patrini, quamvis non sit de substantia Baptismi, non tamen est mera solennitas, sed officium ad repræsentandam & perficiendam generationem spiritualem ab Ecclesiæ ordinatum, qua de causa Patrinus etiam aliquo modo fit pater spiritualis respectu baptizati; quod etiam in Baptismo privato locum habet. 3

Dubitabis, an maritus, baptizans vel levans propriam sobolem, contrahat cognationem spi- 4

ritualem, non quidem cum effectu, ut dissolvatur Matrimonium cum sua uxore semel contractum (nam impedimentum dirimens dirimit quidem Matrimonium contrahendum, contractum tamen non dissolvit, si superveniat) sed in ordine ad hoc, ut privetur jure petendi debitum conjugale, aut liberetur ab obligatione illud reddendi? R. 1. quamvis contrahat cognationem spiritualem, impedimentum tamen, quo prohibeatur petere debitum, si id faciat in casu necessitatis, vel ex probabili ignorantia Juris aut facti non contrahit, ut habet communis ex *can. 7. caus. 30. q. 1.* & ex ratione, quòd pœna, qualis est privatio juris debitum conjugale petendi, in his casibus locum non habet propter carentiam culpæ. R. 2. Etsi id faciat extra casum necessitatis, sive scienter sive ignoranter, probabiliùs etiam non cotrahit, ut docent multi cum Suar. & Zerol. contra multos cum Sanch. & Laym. Sumitur enim satis claro textu *c. 2. h. t. & can. 5. q. 1. cit.* accedit ratio, tum quòd nulla pœna sit asserenda sine claro textu Juris; tum quòd conjuges, qui cohabitare debent absque jure petendi debitum, in nimis propinquo periculo incontinentiæ constituerentur. *Objic.* Ex *can. 1. 2. 3. q. cit.* eruitur, quòd conjuges baptizantes vel levantes (saltem extra necessitatem & seclusâ ignorantiâ) à communi thoro removeri debeant. R. licèt de Jure Antiquo statuta fuissent ista separatio quoad thorum, illud tamen correctum esse videtur *c. 2. & can. 5. citt.* ut agnoscit ipse Sanch. adversarius.

5 Dico 2. Ut Patrinus contrahat cognationem spiritualem, & indè resultans impedimentum Ma-

Matrimonii, debet esse 1. Christianus, seu baptizatus. 2. Usu rationis præditus. 3. Baptismus esse validus, & quidem tunc collatus, quando tangit Patrinus; si enim jam præcessit, & solùm supplentur ceremoniæ, & tunc adhibetur Patrinus, non contrahit cognationem. Quæ omnia etiam de Baptizante (& Confirmante) intelligenda sunt. 4. Debet physicè ac immediatè baptizatum (vel confirmatum) tenere, vel de manu baptizantis suscipere, vel saltem propriis manibus tangere, licèt non in corpore nudo immediatè, modò id fiat super vestes, vel in quodam linteo, vel in disco. 5. Habere intentionem faciendi, quod instituit Ecclesia, seu sustinendi munus Patrini. 6. Debet esse unus tantùm, vel in Baptismo ad summum unus & una. 7. Esse priùs designatus ad hoc munus, vel à parentibus, vel aliis, qui Baptismum procurant, vel in horum defectu à Parocho, & in Confirmatione ab Episcopo. Pars 1. Sustinetur communiter ex ratione, quia absurdum foret, aliquem fieri patrem spiritualem, qui tamen ipse necdum est natus spiritualiter, & quia Infideles seu non-baptizati, non-Christiani, non subjacent Legibus Ecclesiasticis, cognationem spiritualem statuentibus. Imò Patrinus in Confirmatione debet & ipse priùs esse Confirmatus. per *can. 102. d. 4. de Consecr.* & *declarat. S. Congreg.* 13. Junii anno 1654. Hæretici tamen, qui nempe baptizati sunt, validè agunt Patrinos, sed regulariter non adhibentur licitè absque gravi causa, vel nisi Praxis indulgeat, ut subinde fit, ubi in eadem civitate immixti Catholicis vivunt Hæretici. Pars 2.

Conſtat per ſe. Pars 3. Exinde, quòd, ubi non contingit verè generatio ſpiritualis, nec locum habere poſſit cognatio ſpiritualis. Pars 4. Eruitur ex verbis, *ſuſcipit*, *accipit*, *levat*, *tenet*, *tangit*, quibus utuntur Jura, & denotatur tactus phyſicus & corporeus, atque ſic declaravit S. Congreg. apud Pignat. *to. 7. conſult. 93. n. 16.* Pars 5. In hoc, quòd aliàs, ſine dicta intentione, non formaliter ageret Patrinum. Pars 6. ex *can. 101 ſeq. d. 4. cit. c. fin. h. t. in 6.* & Trid. *ſ. 24. c. 2. de ref. Matrim.* Igitur tam in Baptiſmo quàm in Confirmatione de Jure Antiquo deberet adhiberi tantùm unus, vel una (an verò in Baptiſmo maſculi poſſit eſſe fœmina matrina, ac viciſſim in Baptiſmo fœmellæ patrinus poſſit eſſe vir, non ſatis determinârunt Jura, & hinc inter DD. controverſum eſt, Gobat ſuadet, ut Parochus baptizans ſe accommodet conſuetudini ſuæ Diœceſis) Trident. tamen *lo. cit.* in Baptiſmo (non in Confirmatione, de hac enim tacet) permittit adhiberi unum, & unam, virum & fœminam ſimul. Pars 7. ex *eod. Trid. lo. cit.* ex quo etiam colligitur quòd, ſi plures, quàm unus & una, à parentibus vel à Parocho deſignati, tangerent baptizatum, omnes quidem deſignati contraherent, ſi tamen ultra deſignatos aliqui ſe intruderent ſponte & tangerent, iſti non contraherent cognationem ſpiritualem; licèt probabiliùs omnes contraherent, quotquot tangerent vel levarent, caſu quo per errorem nullus fuiſſet deſignatus: ſicut etiam de Jure Antiquo omnes, quotquot tetigerant, ſibi lam contraxerant. per *c. fin. h. t. in 6.*

6 Quæres, an quis poſſit conſtituere Procu-

ratorem ad levandum vel suscipiendum aliquem ex Baptismo vel Confirmatione? Et quis tali casu censeatur esse Patrinus, & cognationem spiritualem contrahere? R. ad 1. affirmativè; quia omnis actio, nisi specialiter id prohibeatur, exerceri potest ministeriô procuratoris. *c. 68. c. 72. de R. J. in 6.* Imò in praxi videmus, à Magnatibus ad hoc munus constitui procuratores. R. ad 2. Cognationem spiritualem contrahit Principalis, qui Procuratorem constituit, non Procurator; quia Procurator non suscipit vel levat suo nomine; ergo iste non contrahit: ne ergo necesse sit dicere, in collatione talis Baptismi nullum omnino adesse Patrinum contra prohibitionem Ecclesiæ, quæ sub gravi vetat Baptismum solennem administrari sine omni Patrino, Principalem oportet esse Patrinum, quod enim quis facit per alium, per se ipsum facere censetur. *c. 72. cit.* Verùm

Objic. 1. Ut officium Patrini ritè obeatur, requiritur contactus physicus & corporeus baptizati, vel confirmati: sed Principalis eum non tangit physicè. 2. Si Parochus constituat Procuratorem, qui loco sui baptizet aliquem, non Parochus constituens, sed substitutus contrahit cognationem spiritualem: ergo & substitutus ad levandum. R. ad 1. *dist. ma.* requiritur contactus physicus, vel à Principali vel à Procuratore ponendus *C. ma.* necessariò ponendus ab ipso Principali. *N. ma.* Aliud est de Cognatione Legali; quia hanc per Procuratorem contrahi Jura expressè vetant. Ad 2. *N. Cons. & parit.* quia substitutus ad baptizandum agit Ministrum Christi, sicut quilibet minister Sacramentorum, atque ideo, sicut ipse

Paro-

Parochus, nomine Christi baptizat, non nomine constituentis: econtra substitutus ad levandum præcisè agit nomine substituentis.

TITULUS XII.

De Cognatione Legali.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex sit cognatio Legalis, & unde oriatur.*
2. *An ex sola adoptione perfecta.*
3. *Quas personas afficiat.*

1 *Cognatio Legalis*, sic dicta, quia à Legibus Juris Civilis primò inventa, licèt postea à SS. Canonibus recepta, *est propinquitas personarum ex adoptione proveniens, & ex Jure Ecclesiastico dirimens Matrimonium inter easdem personas.* Proin agitur hìc *de Impedimento Cognationis Legalis*, proveniente ex adoptione, quæ in genere sumpta ex *l. 1. & 11. & c. ff. de adopt.* definitur esse *actus legitimus, quo qui naturâ filius non est, in filium assumitur:* seu, quo persona extranea assumitur in filium vel filiam, neptem vel neptem. Alia est *perfecta*, quæ vocatur *arrogatio*: alia *imperfecta*, quæ dicitur *simplex*, vel *adoptio in specie.* Prior contingit, quando paterfamilias, seu homo sui juris, & extra potestatem patriam constitutus, authoritate vel Rescripto Principis, ita assumitur in filium, ut subjiciatur patriæ potestati assumentis, atque in ejus familiam

am transeat, & hæres necessarius efficiatur non minùs ac filii naturales. *§. 3. Inst. l. 2. C. eod.* Posterior, quando filiusfamilias, seu sub alterius patria potestate existens, authoritate inferioris Magistratûs in filium recipitur ita, ut non transeat in potestatem & familiam adoptantis, jus tamen succedendi ab intestato (non tamen ut hæres necessarius) acquirat. *§. 1. 2. 10. Inst. eod.* Si tamen filiusfamilias ita reciperetur ab avo paterno vel materno, veniret in familiam & patriam potestatem adoptantis: quæ adoptio in specie vocari solet *perfecta*, vel *plena*. Porro omnis adoptans debet esse mas, paterfamilias, major 25. annis, adoptatum ita excedens ætate, ut posset esse illius pater naturalis, item debet esse ex natura sua potens ad generandum, persona autem adoptata esse præsens adoptanti, & intervenire authoritas Principis, vel Magistratûs inferioris, prævia cognitione causæ. *§. 3. 4. 9. 10. Inst. l. 2. 24. 25. ff. l. 1. & fin. C. eod.*

Dico 1. Impedimentum Cognationis Legalis probabiliùs solùm oritur ex adoptione perfecta, quæ dicitur Arrogatio. Communior cum Sanch. contra Mastrium & Reiffenstuel aliósque Scotistas. Prob. Leges Civiles, ubi statuerunt Cognationem Legalem, ferè loquuntur de arrogatione, ut *l. 14. 17. 55. de Rit. Nupt.* scilicet propter subjectionem & potestatem patriam in adoptatum, vel adoptatam &c. & ad cavendum periculum fornicationis, quod alioquin immineret inter personas in eadem familia commorantes, & sub eadem potestate constitutas: sed Jus Canonicum, hanc cognationem pro impedimento Matrimonii

sta-

ſtatuens, ſequitur & approbat Leges Civiles *can. 1. 5. cauſ. 30. q. 3. & c. un. h. t.* & quidem propter easdem duas rationes, quarum neutra verificatur in adoptione imperfecta & ſimplici (niſi ſit facta ab aliquo aſcendente, avo paterno vel materno, ubi tamen jam datur aliunde fortior cognatio, nempe naturalis, & ideo otioſum eſt de hac diſputare) ergo ſolùm oritur ex arrogatione impedimentum cognationis ſpiritualis. Confirmatur: ſecundùm Leges non contrahitur cognatio Legalis inter adoptatum & filios naturales illegitimos adoptantis: ſed hujus rei alia reddi ratio non poteſt, quàm quòd proles illegitimæ non ſint ſub patria poteſtate: ergo cognatio Legalis non contrahitur (etiam ſecundùm SS. Canones) niſi adoptatus tranſeat in patriam poteſtatem adoptantis. *Objic.* Conſanguinitas lineæ collateralis ſeu transverſæ eſt vera conſanguinitas, & dirimit Matrimonium, quamvis ſit minùs perfecta conſanguinitas, quàm conſanguinitas lineæ rectæ: ergo etiam ex adoptione ſimplici, quamvis ſit minùs perfecta, quàm arrogatio, oritur cognatio Legalis dirimens Matrimonium. *R. N. conſ. & parit.* nam pro conſanguinitate lineæ collateralis pugnant clari textus Juris, non item pro cognatione orta ex adoptione ſimplici.

3 Dico 2. Impedimentum Cognationis Legalis datur inter ſequentes perſonas. 1. Inter adoptantem, & filium vel filiam adoptatam, ac adoptati liberos & deſcendentes. Et hæc ſpecies in linea recta vocatur *paternitas.* 2. Inter adoptatum, & liberos, naturales ac legitimos ſimul, adoptantis, inque hujus patria poteſtate conſtitutos.

Et

Et hæc ſpecies in linea collaterali dicitur *fraternitas*. 3. Inter adoptantem & uxorem adoptati, ac viciſſim inter adoptatum & uxorem adoptantis. Et hæc ſpecies nuncupatur *affinitas*. Pars 1. ſumitur ex *ff. 1. & 2. Inſt. de nupt. l. 55. can. 1. & c. un. citt.* Pars 2. ex *ff. 2. Inſt. de nupt. l. 17. & c. un. citt.* Pars 3. ex *l. 14. & can. 1. citt.* atque communi DD. Cœterùm paternitas & affinitas perdurat etiam ſublata adoptione. *arg. ff. 1. cit. c. 8. de conſang.* fraternitas autem tollitur ſoluta adoptione, quæ ſolvitur per emancipationem, ac mortem tum naturalem tum civilem adoptantis. per *l. 17. & c. un. cit.*

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit Conſanguineam Uxoris ſuæ, vel Sponſæ.

SUMMARIUM.

1. *Affinitas ex copula illicita, præſertim cum conſanguinea ſponſæ vel conſanguineo ſponſi habita*
2. *Dirimit Matrimonium non ultra ſecundum gradum.*
3. *Impedit uſum Matrimonii, ſi copula habeatur cum conſanguinea uxoris, vel conſanguineo mariti.*
4. §. *Excuſat tamen ignorantia tam Juris quàm Facti.*

SErmo eſt & ſenſus tam de eo, qui *cognovit* (nempe carnaliter per copulam perfectam) 1

ctam) consanguineam, non propriam ex sua cognatione, sed vel uxoris, vel sponsæ suæ de futuro, quàm de ea, quæ copulam perfectam habuit cum consanguineo, non proprio, sed vel mariti, vel sponsi sui; quia vir & uxor, sponsus & sponsa, sunt correlativa, & utrobique reperitur eadem Juris dispositio, proin quod de viro statutum, & nunc dicemus, etiam de fœmina statutum & intelligendum est. Per hujusmodi copulam illicitam contrahitur affinitas cum consangineis uxoris vel sponsæ, mariti vel sponsi, obstans Matrimonio cum ipsis contrahendo, &, si quidem ea committatur cum consanguinea *uxoris*, vel cum consanguineo *mariti*, simul perpetratur verus incestus, impediens & conjugi illicitam faciens petitionem debiti conjugalis à propria uxore, vel marito. Igitur hoc loco, antequam fiat progressus ad cognationem carnalem, nempe consanguinitatem, & affinitatem ex copula licita oriri solitam, agitur de *Impedimento affinitatis ex copula illicita ortæ*, sive dein copula sit incestuosa, sive adulterina, sive fornicaria &c. nec interest, utrum fœmina consenserit, vel non. Diligenter autem notandum est pro hoc, & aliis materiis deinceps pertractandis, quòd *copula carnalis perfecta*, per quam solam inducitur Affinitas, Schwagerschafft/ (eò quòd per eam una cognatio accedat ad fines alterius. *l. 4. §. 3. ff. de gradibus & affinit.* & sanguis duarum cognationum invicem communicetur & copuletur) sit illa tantùm, per quam vir & fœmina fiunt una caro. *Matth. 19. v. 5. 1. Cor. 6. v. 16.* & quæ de se apta est ad generationem prolis, licèt fortè per accidens, v.g. propter sterilitatem.

tatem, senium &c. impediatur actualis generatio: & in hoc facilè conveniunt omnes: apta autem ad generationem est illa tantùm, in qua membrum virile penetrat vas muliebre, ac intra uterum effundit verum semen. vid. Paulus Zacchias, peritissimus simul Medicus & Jurista, *QQ. Medico-Legal. lib. 9. tit. 10. q. 1. à n. 7.* Sanch. *l. 2. d. 21. de Matrim.* Gobat. *tr. 9. n. 390. Theol. Exper.*

Dico 1. Qui cognoscit consanguineam suæ sponsæ, contrahit impedimentum affinitatis dirimens Matrimonii contrahendi cum consanguineis cognitæ, hodie autem solùm usque ad secundum gradum inclusivè, adeóque cum sua etiam sponsa, ut eam non ampliùs possit ducere. Idem est de eo, qui copulam exercet cum alia, non consanguinea suæ sponsæ, ita ut solùm intra primum & secundum gradum consanguineam cognitæ nequeat ducere: proin in tertio gradu cognitæ junctam sanguine validè ducet. *c. 2. 3. 8. 9. 10. h. t.* Trid. *s. 24. c. 4. de ref. Matrim.* ubi impedimentum affinitatis *ex fornicatione* (sub qua communis intelligit omnem copulam illicitam, nempe etiam incestuosam, sacrilegam, adulterinam &c.) ortæ restrinxit ad gradum secundum; cùm tamen de Jure antiquo affinitas ex copula illicita non minùs ad quartum gradum se extenderit, ac affinitas orta ex copula conjugali & licita. Ratio restringendi fuit, quia affinitas, quam parit copula illicita, plerumque occulta est, atque ideo nimis frequenter contingeret Matrimonia invalida contrahi ob ignorantiam talis impedimenti, si ad quàrtum usque gradum porrigeretur. 2

3 Dico 2. Qui cognoscit consanguineam suæ uxoris (idem tenendum de uxore, consanguineum sui mariti carnaliter cognoscente) non solùm contrahit impedimentum affinitatis dirimens Matrimonii contrahendi cum consanguineis cognitæ usque ad secundum gradum juxta dicta; sed etiam impedimentum impediens ab usu Matrimonii contracti, ita ut debitum conjugale sine peccato gravi à sua uxore petere non possit, si id faciat scienter & liberèe ac sponte. Constat ex *c. 1. 4. 6. 11. h. t.* Dixi 1. *debitum conjugale petere non possit*; siquidem illud reddendi obligationem retinet. *c. 6. & 10. citt.* Addidi 2. *Si id faciat scienter*, propter *c. 1. cit.* quod disertè ponit vocem *scienter*; unde, qui ignorat, fœminam, quacum peccat, esse in primo vel secundo gradu consanguineam suæ uxoris, privationem juris petendi debitum, seu copulam conjugalem, non incurrit: adeóque ignorantia facti secundùm Jus, & juxta communem, excusat ab hac privatione. Addidi 3. *liberè ac sponte* propter *c. 6. cit.* ubi uxor à consanguineo mariti *invita* cognita monendo quidem dicitur, ut non cohabitet marito, non tamen obligatur. Unde juxta Sanch. Pirhing. & alios uxor violentè oppressa, & juxta Laym. Tamburr. Sporer, Illsung &c. per metum gravem inducta ad peccandum cum consanguineo mariti, non privatur jure petendi debitum à marito; cùm haec privatio à Jure Humano sit statuta in pœnam incestûs. Jus Humanum autem non obligat in foro interno, multò minùs punit, sicut ignorantes, ita & coactos & invitos, aut gravi metu impulsos.

Quæ-

Quæres, an ignorantia Juris excuſet ab incur- 4
rènda privatione juris petendi debitum, ſeu an peccans cum conſanguinea uxoris privetur jure petendi debitum, qui ignoravit, hanc privationem ſuo delicto eſſe annexam à Jure? R. probabile eſſe, quòd non privetur. Tambur. Bonac. Perez, Sporer apud P. Kugler *de Matrim. n. 1329.* contra communiorem. Probatur. Privatio hæc juris debitum petendi à Jure Eccleſiaſtico eſt ſtatuta tanquam pœna propter inceſtum, & quidem principaliter habet rationem pœnæ: ſed pœna Juris Eccleſiaſtici non incurritur ab ignorante. *c. 2. de Conſtit. in 6.* quia æquum non eſt, æquali pœna affici illum, qui legem pœnalem quà talem non ſcivit, & eum, qui ſcivit, cùm ignorans legem quà pœnalem non transgrediatur formaliter legem pœnalem quà talem, ſicut tamen transgreditur, qui legem quà pœnalem cognovit. Vid. dicta *ad tit. VII. de eo, qui duxit & c. n. 4.* ergo. *Ma.* probatur tum ex Jure, tum ex ratione: *ex Jure* quidem, quia iſtud innocentem conjugem non privat jure petendi debitum conjugale. *d. c. 6. & 10.* ibi: *cùm affinitas, poſt Matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non exiſtit:* ergo Jus privans jure petendi debitum intendit principaliter vel unicè punire iniquitatem conjugis privando jure petendi debitum: ergo hanc privationem ſtatuit ut pœnam principaliter, vel etiam unicè, non ut inhabilitatem. *Ex ratione* autem, quia, quamvis in ordine ad conſanguineas uxoris copula inceſtuoſa reddat maritum inhabilem ad Matrimonium contrahendum cum conſanguineis uxoris in ſecundo & tertio

gradu, & respectu harum inducat affinitatem, in ordine tamen ad Matrimonium jam contractum, & respectu uxoris, non inducit inhabilitatem, aut affinitatem, quia Matrimonium non dissolvit, & aliàs nec innocens posset petere debitum, & nocens non posset reddere; quod tamen falsum est, & contra Jura manifesta. *c. 6. 10. & 11. h.t.* ergo hæc privatio non habet rationem inhabilitatis, sed pœnæ, vel principaliter vel unicè. Prob. 2. Hæc privatio expressè decreta est à Jure in *scienter* peccantes cum consanguinea uxoris. textus clarus in *c. 1. eod.* ergo ignorantia excusat non solùm ignorantia facti, quod etiam Adversarii fatentur, sed etiam ignorantia Juris, hanc pœnam, vel privationem juris debitum petendi delicto annectentis; nam & iste ignorans rectè dicitur non *scienter* contra Legem hanc pœnalem agere, & eadem reperitur ratio in ignorantia Juris, quæ in ignorantia Facti, nimirum quòd pœna Juris Humani non incurratur ab ignorante. Prob. 3. Iisdem argumentis, quibus probavimus ad *tit. de eo, qui duxit &c.* impedimentum *Criminis* non incurri ab illo, qui laborat ignorantiâ Juris. An has rationes, ita ut nec probabilis sit, pro quali eam trado, hæc sententia, tam facile sit removere, ex contrariæ opinionis fundamentis, ut sibi blanditur, & tamen ad eas non directè respondet P. Böckn *ad h.t. in fine*, aliis judicandum relinquo.

§ *Objic.* 1. Pontifex in *c. penult. & ult. seu c. 11. & 11. h.t.* vult, ut conjunx innocens admoneatur, ut ob affinitatem & rationem publicæ honestatis non petat debitum, & præcisè intuitu ho-

no-

nocentiæ eidem permittit jus petendi, si ei continentia persuaderi facilè non potest: ergo nulla ratione id concedit conjugi Reo. 2. Verosimillimum est, in *cit. c. 10.* notam non fuisse marito, cum consanguinea uxoris peccanti, privationem usûs Matrimonii, & tamen ipsi negatur hic usus: ergo. 3. Talis maritus veram contrahit affinitatem cum sua uxore, & ab incurrenda affinitate ipsum non excusat ignorantia: sed affinibus per se interdicta est copula, à qua regula solus conjunx innocens in Jure exceptus est: ergo. R. ad 1. *N. cons.* vel potiùs *dist.* non concedit conjugi Reo, Legem scienti. *C. cons.* Legem ignoranti. *N. cons.* quia de ignorante abstrahit Jus in *d. c. 10. & 11.* aliunde autem ex Jure constat, quòd ignorans non incurrat pœnam, & quòd in hac materia in specie requiratur ad eam incurrendam scientia. *c. 1. eod.* Ad 2. *transf. ant. N. cons.* Cùm in *cit. c. 10.* res fuerit deducta ad forum externum & ad tribunal Pontificis, utique potuit talis ignorans pro foro externo judicari tanquam privatus jure petendi debitum; cùm ignorantia Juris manifesti non præsumatur: indè tamen non infertur, quòd in foro interno incurrerit & re ipsa pœnam privationis legem invincibiliter ignorans, qua delicto annexa est hæc pœna. Ad 3. *N. ma.* imprimis, quamvis enim talis ignorans contrahat affinitatem cum consanguineis uxoris usque ad secundum gradum, eam tamen non contrahit cum sua uxore, respectu cujus, utpote cum qua Matrimonium jam est contractum & dissolvi nequit, affinitas caret suo effectu principali, nimirum inhabilitate ad Matrimonium: igitur respectu uxo-

ris solùm incurritur pœna privationis juris debitum petendi, quæ tamen non ligat ignorantem, sive sit ignorantia Facti, quod ipsi Adversarii admittunt, sive Juris. Certè, si respectu uxoris fuisset contracta affinitas, nec ignorantia Facti facere posset, ut licitè peteretur debitum: quod tamen nec Adversariis placet. Deinde & *Min.* negatur; etsi enim transmitteretur affinitas inter conjuges, quorum unus post contractum Matrimonium peccat cum alterius consanguinea, negatur tamen, quòd his affinibus prohibita sit copula, & ab hac prohibitione tantùm excipiatur conjunx innocens; hoc enim est formaliter in quæstione, nimirum an non etiam excipiatur pars rea, legem ignorans sub pœna privationis juris jam priùs quæsiti prohibentem.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid sit Consanguinitas: ejus Linea, & Gradus.*
3. *Ex quibus regulis dignosci possit distantia graduum.*
4. *Nomina Consanguineorum cum arbore Consanguinitatis.*
5. *Quæ circa hanc sint notanda: & quo faciliori modo dignoscatur distantia personarum.*
6. *Quousque Consanguinitas dirimat Matrimonium.*
7. 8. *An in aliquo gradu etiam Jure Naturali*

9. 10.

9. 10. *Affinitas quid sit: quid specialiter in ea attendendum & probè notandum, ut sciatur, quinam & quo gradu sint affines.*
11. *Nomina Affinium: & triplex Affinitatis genus.*
12. 13. *Affinitas orta ex copula licita quousque dirimat Matrimonium. Et an in aliquo gradu etiam Jure Naturali.*
14. *Quæ sit pœna incestarum nuptiarum.*

DUplex hìc proponitur impedimentum dirimens Matrimonii, utrumque frequentissimum, nempe *Impedimentum consanguinitatis*, & in eo fundatum *Impedimentum Affinitatis*, nimirum ortæ ex copula licita seu conjugali, qua duæ consanguinitates seu cognationes copulantur, & una quasi ad fines alterius accedit. 1

De Consanguinitate.

Consanguinitas, Bluts-Freundschafft / est *vinculum, seu propinquitas personarum, ab eodem stipite* (h. e. progenitore) *eóque propinquo immediatè vel mediatè descendentium per carnalem generationem.* Quando nimirum plures personæ ex una eadémque persona, non admodum remota, sunt progenitæ, & sic ex eodem sanguine immediatè vel mediatè descendunt, consanguineæ sunt & dicuntur. *Stipes* enim & Principium commune nuncupatur persona, à qua propinquam ducunt originem illæ personæ, de quarum cognatione vel consanguinitate quæritur. *Propinquam* ajo, aliàs enim omnes homines essent consanguinei 2

inter se; cùm omnes descendant à communi genarcho Adamo. Quanta autem debeat esse propinquitas, ut obstet Matrimonio inter personas conjunctas, dicemus infrà. Nihil autem interest, utrùm ille communis stipes sit mas, vel fœmina, pater vel mater, avus vel avia &c. nam in ordine ad impediendum Matrimonium non auteditur discrimen inter *agnatos*, utì vocantur, qui descendunt ex stipite virili & per lineam masculinam, die eines Nahmens/ und Geschlechts/ ac inter *cognatos*, utì appellantur, qui ex fœmina tanquam principio communi & per lineam fœmininam descendunt, die von der Mutter befreundt seynd. Pariter hìc nihil interest, an in-vel extra Matrimonium prognatæ sint tales personæ.

Probè autem, quæ in omni consanguinitate reperitur, consideranda est Linea, & Gradus, per quos distinguuntur consanguinei. *Linea* est ordinata series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes, varios continens gradus. Est duplex, Recta & Obliqua: *Recta* complectitur illas personas, quarum una est ab altera, ita ut rectà, & sine declinatione ad latus alterum, vel ascendatur per gradus directos ad progenitores, patrem vel matrem, avum vel aviam &c. & tunc vocatur linea *Ascendens*, vel descendatur ad progenitos, filium vel filiam, nepotem vel neptem &c. & tunc dicitur *Descendens*. Linea autem *Obliqua*, seu *Transversa*, vel *Collateralis*, complectitur illas personas, quarum nulla originem ducit ab altera, stirpem tamen commu-

nem

nem & radicem habent immediatam vel mediatam, uti sunt frater & soror, duo fratres, patrueles, consobrini &c. quando nimirum deflectitur ad latus alterutrum. Ubi nota, quòd, quamvis hæc linea sit collateralis, si conferatur cum altera, cùm non ingrediatur alteram, sed ad latus excurrat, sit tamen & ipsa, abscisse consideratа & in se, linea recta, quando in ea sunt plures personæ, sic duo fratres, si generent filios &c. singuli constituunt novam lineam rectam. Hæc linea obliqua iterum est duplex, *æqualis*, quando personæ in utraque linea collocatæ distant æqualiter à communi stipite, & in pari gradu, ut frater & soror, patrueles &c. Et *inæqualis*, quando distant inæqualiter, sed una stipiti est propinquior, altera remotior, uti frater, & fratris filia, nepos fratris & filia sororis &c. Denique *Gradus* est intervallum vel distantia unius personæ ab altera in linea consanguinitatis, quæ distantia major vel minor fit per plures vel pauciores generationes numeratas usque ad communem stipitem. Igitur hæc tria, *Stipes, Linea, & Gradus*, specialiter in consanguinitate attendi debent.

Ut autem dignosci queat, quo gradu unus con- 3
sanguineus distet ab altero, tres de Jure Canonico *cauſ. 35. q. 5. §. 1. 2. 3.* exstant regulæ, prima pro linea Recta, altera pro Transversa Æquali, tertia pro Inæquali. Regula lineæ rectæ est hæc: *tot sunt gradus, quot generationes intercedunt:* sive, quod in idem recidit, *tot sunt gradus, quot personæ, unâ demptâ*, nimirum stipite communi: sic in linea descendente filius à parente (patre vel matre) uno distat gradu, nepos duobus, pronepos

tribus, abnepos quatuor: in linea autem ascendente filius à parente distat uno, nepos ab avo (vel avia) duobus, pronepos à proavo tribus, abnepos ab abavo quatuor gradibus. Regula lineæ Transversæ Æqualis est hæc: *quo gradu distant singulæ personæ* (de quarum consanguinitate quæritur) *à communi stipite, eodem distant inter se:* sic duo fratres, vel frater & soror, inter se distant uno, fratrum vel sororum liberi duobus, horum liberi (seu nepotes fratrum vel sororum) tribus gradibus &c. Regula Lineæ Transversæ Inæqualis est ista: *quo gradu remotior persona distat à communi stipite, eodem distant inter se:* sic, quia filia fratris mei distat duobus gradibus à suo avo, qui respectu mei est pater, ac simul respectu mei & ipsius est stipes communis, distamus inter nos duobus gradibus, licèt ego à communi stipite distem tantùm uno; sic pronepos meus & filia sororis meæ distant inter se quatuor gradibus, quia quatuor gradibus pronepos distat à communi stipite, qui est pater meus, licèt filia sororis ab eodem, qui respectu ipsius est avus, solùm distet duobus. Dixi autem *de Jure Canonico*, nam *de Jure Civili* sine ullâ distinctione inter lineas statuitur unica regula, ni[illegible] rum illa, quam pro linea Recta assignavimus: *tot sunt gradus, quot generationes.* vel: *tot sunt gradus, quot sunt personæ, unâ demptâ. t. t. Inst. de grad. cognat. l. 10. §. 9. seqq. ff. de gradib.* Unde de Jure Civili non datur gradus primus in linea Collaterali, & frater ac soror, vel duo fratres sunt duobus distant gradibus inter se, quia sunt duæ personæ dempto patre: patruus à filio fratris tribus, patrueles quatuor, & sic deinceps. In linea autem

autem inæquali nec datur gradus secundus, sed inchoatur, nnmeratio à tertio. Computatio graduum secundùm Jus Canonicum solùm attenditur, quando agitur de Matrimonio inter consanguineos prohibito, at in utroque foro, etiam Civili. *c. fin. h.t.* computatio verò secundùm Jus Civile fit, in utroque etiam foro, consequenter & in Canonico, quando agitur de successionibus hæreditariis ab intestato, de tutelis &c. quia Alex. II. in *can. 2. caus. 35. q. 5.* generaliter approbavit computationem graduum Juris Civilis, & solum Matrimonium excepit: proin, cùm Jus Canonicum pro aliis causis nullibi peculiare quid statuerit, Juri Civili quoad computationem hanc contrariam se accommodat. *arg. c. 1. de N. O. N.* Unde non procedit illud brocardicum: *quodlibet Jus est observandum in suo foro*, Civile in Civili, Ecclesiasticum in Ecclesiastico; quia id solùm procedit, quando quodlibet Jus statuit diversum quid, non verò, quando alterutrum nihil statuit pro aliquo casu.

De reliquo rem tibi non ingratam facere mihi videor, si consanguineorum gradus & nomina Lineæ tam Rectæ quàm Obliquæ tibi ob oculos ponam. Sit ergo 4

Schema Lineæ Rectæ.

Majores, Vor-Eltern.

Ascendens.		Descendens.
4.		1.
Abavus, Ur-Anß-Vatter.		*Filius*, Sohn.
Abavia, Ur-Anß-Mutter.		*Filia*, Tochter.
3.		2.
Proavus, Ur-Anherr.		*Nepos*, Enckhel. Nef.
Proavia, Ur-Anfrau.		*Neptis*, Enckhlin. Nefe.

2. *Avus*,

	2.	3.
	Avus, Anherr. Ahn.	*Pronepos*, Ur-Enckhl.
	Avia, Anfrau. Aehnl.	*Proneptis*, Ur-Enckhlin.
Ascendentis.	1.	4.
	Pater, Vatter.	*Abnepos*, Gug Enckhl.
	Mater, Mutter.	*Abneptis*, Gug-Enckhlin.
	Titius. Titia.	*Posteri*, Nachkömmling.

Descendentis.

Schema Lineæ Obliquæ.

1.

Frater, Bruder.
Soror, Schwester.
Fratres germani, vollbürtige Brüder/ von beyden Banden.
Sorores germanæ, vollbürtige Schwestern/ vom Vatter und Mutter.
Fratres consanguinei, Halb-Brüder/ vom Vatter allein.
Sorores consanguineæ, Halb-Schwestern/ vom Vatter.
Fratres uterini, Halb-Brüder/ von der Mutter.
Sorores uterinæ, Halb-Schwestern/ von der Mutter.
} einbändig

2.

Patruus, Vatters-Bruder.
Amita, Vatters-Schwester. Maimb. Muhm.

Avun-

Avunculus, Mutters Bruder.
Matertera, Mutters Schwester.
Nepos } *ex fratre*, Bruders / oder
Neptis } *vel sorore*. Schwester Kind.
Patrueles, *seu fratrum liberi*. Brüders-Kinder.
Consobrini, *seu sororum liberi*, Schwestern Kinder.
Amitini, *seu fratris & sororis liberi*. Bruders und Schwester Kinder.

3.

Magnus patruus, Groß-Vatters Bruder.
Magna Amita, Groß-Vatters Schwester.
Magnus avunculus, Groß-Mutters Bruder. Oheimb.
Magna materterea, Groß-Mutters Schwester. Groß-Mumb.
Pronepotes } *ex fratre*, Bruders / oder
Proneptes } *vel sorore*. Schwester Enckhl.
Patruelium liberi, Brüderen Kinds-Kinder.
Consobrinorum liberi, Schwestern Kinds-Kinder.
Amitinorum liberi, Bruder und Schwester Kinds-Kinder.
} *hi omnes vocari solent sobrini.*

4.

Magnus propatruus, des Uranherrn Bruder.

Magna

Magna proamita, des Uranherrn Schwester.

Magnus proavunculus, der Uranfrau Bruder.

Magna promatertera, der Uranfrau Schwester.

Abnepotes } *ex fratre*, Bruder/ oder Schwester/
Abneptes } *vel sorore* Enckhels Kinder.

Patruelium nepotes, *neptes*, Brüders Kinds Enckhlen.

Consobrinorum nepotes, *neptes*, Schwestern Kinds-Encklen.

Amitinorum nepotes, *neptes*, Bruders und Schwestern Kinds Enckhlen.

Forsan majorem tibi lucem hac in re afferet *Arbor Consanguinitatis*, quam, ut reperitur in Jure Canonico post *cauſ. 35. q. 5.* in hac pagella tibi subjicio.

NB. Huc pertinet Arbor Consanguinitatis.

§ Circa hanc Arborem nota 1. lineam, per medium ductam, esse *Rectam*, ex utroque verò latere derivari *Transversas* seu *Collaterales*, & quidem ex parte dextera, in qua ponitur frater, collocari consanguineos mares, & per sexum masculinum conjunctas fœminas; ex sinistra autem, in qua ponitur soror, consanguineas fœminas, & per fœmineum sexum conjunctos mares. 2. In medio Lineæ Rectæ conspici cellulam, quam quidem aliqui relinquunt

ARBOR CONSANGUINITATIS.

Ascendentes.



Descendentes.

quunt vacuam, alii autem in ea collocant certum individuum, de cujus consanguinitate cum aliis quæritur, quod nos appellamas *Proteum*, eò quòd diversas gerere personas possit, jam maris, jam fœminæ, jam patris, jam filii, jam nepotis &c. neutiquam verò ad hanc cellulam pertinet communis stipes; nam stipes est illius cellulæ persona, in qua Proteus, & altera persona, de qua quæritur, conveniunt, seu coincidunt proximè, si in lineis ascendatur. 3. Si alteram personam, de qua dubitas, an & in quo gradu sit conjuncta cum Proteo, in nulla ex cellulis præfixæ Arboris reperias, cogita, eam non esse consanguineam Proteo intra quartum gradum juxta computationem Canonicam; solæ enim, & omnes, intra quartum gradum conjunctæ personæ ibi inveniuntur. 4. Per numerum superiorem in cellulis positum denotari gradum Canonicum, per inferiorem verò gradum Civilem, seu juxta computationem Juris Civilis. 5. Si proin scire cupias, in quo consanguinitatis gradu distent inter se duæ personæ, colloca unam ex iis in cellula vacua, in qua posuimus Proteum, dein attende, an sint in linea *Recta*, & applica regulam pro linea recta traditam, numerandô generationes, vel personas unâ demptâ: vel an sint in linea *transversa*, & tunc ex cellula, ubi posuimus Proteum, tu autem unam ex iis personis, de quarum cognatione dubitas, ac simul ex cellula, in qua reperitur altera persona, ascende usque ad cellulam, in qua reperitur stipes, seu commune utriusque principium proximum, in quo coincidunt ambæ personæ: si hæ æqualiter, seu paribus gradibus distent, ab hoc principio, ap-

plica

plica regulam pro linea æquali: si inæqualiter, & una remotiùs distet, quàm altera, regulam pro linea inæquali traditam, & prodibit distantia graduum, quibus distant inter se. v. g. pone te in cellula Protei, & patrui tui filium in sua cellula, atque ascende ex utraque cellula priùs ad patrem tuum, dein ad avum, deinde à filio patrui tui ad suum patrem, tum ad ejusdem filii avum, qui respectu utriusque est proximum principium commune, à quo tam tu quàm ille distatis quilibet duobus gradibus æqualiter, consequenter & vos distabitis duobus gradibus. Rursus te pone in cellula Protei, & in alia materteram, dein ab hac ascende ad progenitorem hujus immediatum seu patrem, à te autem ascende ad patrem tuum, dein ad avum tuum, in quo coincidetis tanquam in communi principio, ac patebit, quòd inæqualiter ab isto sitis remoti, tu in secundo, illa in primo gradu, proin distabitis inter vos secundo gradu inæquali.

Faciliùs fortè deprehendet distantiam, si fortè te consulant sponsi, an & in quo gradu sint consanguinei, si procedas hoc modo: scribe in tabula vel in charta infra medium ex una parte sponsum, & ex altera sponsam: supra sponsum scribe parentem ipsius, & supra sponsam hujus parentem, tum supra quemlibet ulteriores ascendentes seu progenitores, ac tamdiu utrinque procede sursum, donec devenias ad talem personam, à qua tanquam communi principio originem ducunt; & postmodum juxta regulas lineæ transversæ, æqualis vel inæqualis (nam in linea recta fere nulla est difficultas) numera gradus, quibus & spon-

sponsus & sponsa distat à communi hoc principio: si non reperiatur tale principium, cogita, non esse consanguineos. Præstat autem sic annotare & scribere, cùm aliàs facilè quis confundi, & turbatâ memoriâ decipi posset. His præmissis

Dico 1. Consanguinitas in Linea Recta spectato Jure Positivo Humano dirimit Matrimonium in infinitum. 2. In Linea autem Obliqua solùm usque ad quartum gradum inclusivè. 6

Pars prior sumitur ex *§. 1. Inst. de Nupt. l. 53. ff. de Rit. Nupt.* ubi expressè reperiuntur voces: *usque in infinitum*; quam dispositionem Juris Civilis receperunt expressè SS. Canones, nimirum Calixtus I. in *can. 2. caus. 35. q. 2.* & Nicolaus I. *In Responsis ad consulta Bulgarorum c. 39.* Ratio est reverentia progenitoribus debita. Ut adeò, si Adamus hodie resurgeret, spectato Jure Humano nullam in toto Mundo posset ducere conjugem sine dispensatione. Pars posterior ex *c. non debet 8. h. t.* ubi correctum est Jus antiquum, quo *can. 1. 7. 16. 19. q. 2. cit.* usque ad septimum gradum dirimebat. Nec interest, licèt consanguinitas ortum habeat ex copula illicita; quia & per hanc communicatur idem sanguis. Quamvis verò Tridentinum *s. 24. c. 4. de ref. Matr.* restrinxerit affinitatem ex copula illicita ortam ad secundum gradum, de consanguinitate tamen orta ex tali copula nullam prorsus facit mentionem, & ideo, utpote dispositio Juris correctoria, ad consanguinitatem extendi non debet. Est quoque dispar ratio; nam frequentior est & minùs nota affinitas ex copula illicita, quàm consanguinitas, quia affinitas oritur ex

sola copula, consanguinitas verò non nisi ex actuali generatione. *Objic.* In *c. 8. cit.* ubi restringitur impedimentum consanguinitatis ad 4. gradum, non fit distinctio inter Lineam Rectam & Obliquam : ergo etiam consanguinitas in Linea Recta solùm ad 4. gradum dirimit. R. N. *ant.* quia Concil. Lateran. ex quo desumptum est *d. c. 8.* agebat solùm de consanguineis Transversæ lineæ, imò & *d. c.* assignat rationes, quæ solùm in Linea Obliqua procedunt, nimirum has; quia nec sine dispendio animarum, nec sine magna difficultate, observari potest prohibitio Matrimonii ultra 4. gradum ; quæ rationes in Linea Recta non pugnant ; nam moraliter nunquam erit periculum, imò nec possibile, ut quis consanguineam in Linea Recta ultra 4. gradum ducat in Matrimonium, v. g. filiam abnepotis sui, quia nemo tamdiu vivit: neque magna difficultas est scire vel deprehendere gradus in Linea Recta, sicut tamen est in Linea Obliqua. Cùm igitur detur diversa ratio in Linea Obliqua & Recta, atque dispositio *c. 8. cit.* sit correctoria Juris, extendi non debet ab illa ad istam, vel intelligi de utraque.

7 Dico 2. Consanguinitas in primo gradu Lineæ Rectæ, v. g. inter patrem & filiam, dirimit Matrimonium Jure Naturali. 2. Non autem in gradu secundo, vel ulteriori, probabiliùs, utì nec consanguinitas lineæ transversæ, etiam in primo gradu, nempe inter fratrem & sororem. Pars 1. Est communis omnium Christianorum, imò & Infidelium, adeóque optimè probatur ex communi sensu omnium bene moratorum hominum, atque

inna-

Innato omnibus instinctu; nam *pro certis habemus ea, in quæ communi opinione consensum est*, ait Quintil. Ratio intrinseca nullitatis Matrimonii non tam facilè datur: forsan optima est, quòd conjunctio Matrimonialis, quæ parit magnam familiaritatem, & aliquam inter conjuges æqualitatem, repugnet auctoritati, quam Natura dat parentibus immediatis in liberos; & quòd credibile non sit, Deum & Naturam dedisse hominibus potestatem transferendi jus & dominium corporum in ordine ad usum, qui perpetuò turpis est, rectæ rationi, verecundiæ, ac reverentiæ parentibus debitæ &c. contrarius: sed talis est usus Matrimonii inter parentes & liberos: ergo. Interim tamen DEUS absolutè posset id concedere juxta communem propter absolutum dominium, quod habet in corpora humana, ita ut juri Divino jus & auctoritas parentum in liberos deberet cedere. Proin Jure Naturali solùm conditionato, *nisi Deus det potestatem*, primus gradus Lineæ Rectæ dirimit Matrimonium. Pars 2. Quam cum S. Thoma tenent Sanch. Pont. Fagn. Gobat, Clericatus &c. contra plurimos & graviſſimos DD. quorũ aliqui ad gradum quartum, alii ad septimum, alii adhuc ulteriùs extendunt Jus Naturale Matrimonia in linea recta dirimens, optimè probatur negativè, quia non sufficienter probatur, Matrimonia ultra primum gradum irrita esse de Jure Naturali, licèt facilè probetur ea esse illicita. Accedit & hæc ratio, quòd ultra primum gradum non videatur deberi tanta reverentia & subjectio progenitoribus & ascendentibus, quanta debetur imediatis parentibus; nec à remotioribus tanta fieri sanguinis ejusdem

communicatio, & tam certa, ſicut ab immedi-
tis. Adde, quòd aſcendentes ultra primum gra-
dum non ſint principium eſſentiale deſcenden-
tium, ſed ſolùm accidentale; cùm per accidens
ſit, patrem habuiſſe alium patrem &c. nam Abel
filius Adæ non habuit avum, ſeu patrem patris
ſui Adæ. Partis 3. Quam rurſus cum S. Thom.
ſuſtinent multi, utì Scotus, Nav. Gonzal. com.
Bellar. Sanch. Reiffenſtuel. P. Friderich &c. op-
ma probatio eſt iterum negativa; ſiquidem au-
ctoritas DD. pro utraque ſententia eſt ferè æqua-
lis, & neutra Pars pro ſe affert rationes convin-
centes, quæ non patiantur commodam reſpon-
ſionem, loquendo de nullitate Matrimonii inter
perſonas arctè conjunctas in linea transverſa, non
verò de licentia, cùm utique tale Matrimonium
eſſet illicitum Jure Naturali.

8 *Objic.* 1. In *l. ult. ff. de Rit. Nupt.* dicitur, quòd
*Jure Gentium inceſtum committat, qui ex gra-
aſcendentium vel deſcendentium uxorem duxer-
ergo in Linea Recta in infinitum dirimitur Matri-
monium Jure Naturali, quod ibi per Jus Gen-
tium intelligitur. 2. Innegabile eſt, quòd ſit tur-
pitudo & indecentia Naturalis, ſi avus ducat ne-
ptem, vel frater ſororem: ergo ſaltem in ſecun-
do gradu Lineæ Rectæ, & in primo gradu Trans-
verſæ, conſanguinitas dirimit Matrimonium. 3.
Et hujusmodi Matrimonia omnes moratæ Gentes
ſemper deteſtatæ ſunt ut abominanda, utique Na-
turali lumine ita edoctæ: ergo. Neque 4. Pon-
tifex unquam legitur in his Matrimoniis diſpen-
ſe: ergo cenſendum eſt, illum non potuiſſe, ex
quòd obſtet Jus Naturale. §. Frater & ſoror, avus

&

& neptis, descendunt ex eodem sanguine, & principio, sicut pater & filia: ergo, sicut inter hos Jure Naturali nequit subsistere Matrimonium, ita nec inter illos potest. 6. In *c. gaudemus 8. de divort.* Innoc. III. decernit, infideles conversos, si in infidelitate contraxerunt Matrimonium in secundo vel ulteriori gradu consanguinitatis, non esse separandos: ergo insinuat, separandos esse, qui in primo consanguinitatis gradu, etiam Lineæ Obliquæ, contraxissent: ergo inter fratrem & sororem agnovit irritum esse Matrimonium. R. ad 1. *N. conf.* nam Jus Gentium utique differt à Naturali, præsertim illud cum isto confundi non debet in hac materia odiosa, ubi agitur de Lege Naturali irritante. Dein textus non addit voces, *in infinitum.* Ad 2. & 3. *N. conf.* exinde enim plùs non infertur, quàm talia Matrimonia esse illicita, & Jure Naturali prohibita, non autem invalida esse & irritata. Ad 4. *Transf. ant.* quia Papam, nempe Martinum V. & alios dispensâsse in Matrimonio fratris cum sorore refert Cajet. Sylv. S. Antonin. & Gonzal. *N. conf.* non enim ex parte Pontificis potestas, sed ex parte contrahentium deficit justa causa, evacuans turpitudinem, quæ reperitur in Matrimonio inter personas tam arctè conjunctas. Ad 5. Ex eodem quidem sanguine descendunt immediatè frater & soror, attamen unus non est principium alterius, fundans specialem reverentiam vel subjectionem unius ad alterum: Avus & neptis habent quidem idem principium, at non immediatum & essentiale, sed mediatum, & accidentale. Ad 6. *N. conf.* qui unum negat, non hoc ipso alterum affirmat, nisi alterum sit con-

tradictorium: sed primus gradus non *contradictoriè* opponitur secundo. Pontifex ibi abstraxit à gradu lineæ transversæ, de quo acriter in utramque partem disputabant, & hodiedum disputant DD.

De Affinitate.

9 *Affinitas*, Schwagerschafft/ quæ simulacrum est consanguinitatis, dicitur esse *propinquitas personarum ex carnali copula* (nimirum perfecta) *proveniens.* Addunt aliqui, *omni carens parentela*, quibus verbis indicatur clariùs differentia à consanguinitate; hæc enim non oritur præcisè ex copula (sicut tamen affinitas ex eadem oritur, licèt indè proles non sit concepta vel nata) sed necessarium est, ut communicetur sanguis per generationem, & sic oriatur *parentela.* Quando igitur vir & fœmina diversarum cognationum exercent copulam inter se, per quam fiunt una caro, & sic unius cognationis sanguis attingit (etsi non communicetur per generationem) sanguinem alterius cognationis, & sic quasi ad fines alterius accedit, oritur affinitas, ità ut vir exercens copulam fiat affinis non fœminæ, cum qua rem habet, sed consanguineis fœminæ, ac vicissim fœmina fiat affinis non viro, cum quo commiscetur, sed consanguineis viri: vir autem & fœmina inter se non fiunt affines, sed velut radix & stipes fundant affinitatem per hoc, quòd per suam commixtionem sanguis suorum consanguineorum mediantibus ipsis attingatur, & sanguis unius consanguinitatis ingrediatur quasi fines alterius cognationis.

10 Unde ulteriùs notandum, quòd ad discer-

ne-

nendam affinium inter se distantiam attendi rursus debeant *stipes*, qui non unus, sed duplex est, scilicet mas & fœmina, inter quos copula intercessit: dein *linea*, quæ rursus duplex est, *Recta* tam *Ascendens* quàm Descendens, in qua existunt copulam habentium consanguinei in linea *Recta*, atque parentum vel liberorum aut similibus nominibus exprimuntur, ac *Transversa*, in qua existunt copulam habentium consanguinei in linea *Transversa*, ut in sequenti schemate videbimus: denique attendendus est *gradus*, seu distantia unius personæ ab altera in ratione affinitatis; quamvis enim affinitas per se non habeat gradus proprios. *l. 4. §. 5. ff. de gradib. & affin.* utpote qui consistunt in generationibus, quas affinitas non requirit, habet tamen alienos nempe consanguinitatis, & ab hac mutuatos. Unde, ut sciatur, quoto gradu affinitatis distet una persona ab altera, communiter hæc unica ex *can. 3. caus. 35. q. 5. & c. 5. h. t.* traditur regula, *in eo gradu aliquis est affinis uxori* (vel alteri fœminæ per copulam carnalem cognitæ) *in quo est consanguineus marito:* ac vice versa: *in eo gradu aliquis affinis est marito, in quo est consanguineus uxori:* sic quia nepos ex fratre est consanguineus marito in secundo gradu, etiam in secundo gradu est affinis uxori sui patrui. Probè autem notandum, quòd maritus vel vir solus fiat affinis cum consanguineis uxoris vel mulieris cognitæ: & viciſſim, quòd uxor vel mulier sola fiat affinis cum consanguineis mariti vel viri eam cognoscentis: non autem indè affines inter se efficiuntur consanguinei mariti, & consanguinei uxoris. *c. 5. cit.*

Ut autem clariùs capias, quo gradu maritus à consanguineis uxoris, & uxor à consanguineis mariti distet, tuas manus adhibe, & in iis duas cognationes per affinitatem seu copulam carnalem connexas concipe: per pollicem dexterum intelligevirum, per sinistrum fœminam, tanquam principa & stipites affinitatis per copulam carnalem inductæ, per reliquos autem dexteræ manûs digitos, diversimode distantes à pollice, tibi repræsenta consanguineos viri: idem tibi finge, nempe consanguineos fœminæ, in quatuor digitis manûs sinistræ. Jam, sicut in his duabus manibus in plano positis, si pollex dexter colligatur & uniatur cum pollice sinistro, omnibus dexteræ digitis pollex sinister fit propinquus, & vicissim dexter digitis sinistræ, cum diversa tamen distantia, eâ nimirum, qua singuli digiti distant à pollice: pari modo, si vir per copulam jungatur fœminæ, appropinquat omnibus fœminæ consanguineis per affinitatem, & vicissim fœmina omnibus consanguineis viri, juxta illam gradûs distantiam, ac lineam, in qua conjuncti sunt viro sui consanguinei, & fœminæ vicissim sui. Diligentissimè autem tene menti, quòd ille duntaxat, qui aliquam carnaliter cognoscit, contrahat affinitatem cum consanguineis cognitæ, ac vice versa, quòd tantùm illa, quæ cognoscitur à viro, efficiatur affinis cum consanguineis viri; nullatenus verò consanguinei viri carnaliter cognoscentis & carnaliter cognitæ fiant affines inter se, v. g. pater, frater, nepos &c. viri, & mater, soror, neptis &c. fœminæ: hoc (iterum moneo) diligentissimè nota; quia hujus doctrinæ igno-

ran-

ignorantia, ut sæpius adverti, plures discipulos, imò & Parochos, confundit & in errores inducit. Atque hæc est ratio, quòd duo fratres possint in conjuges ducere duas sorores alterius cognationis: pater & filius matrem & filiam alterius cognationis: privignus filiam suæ novercæ: item quòd possint superstites conjuges fratis & sororis demortuorum copulari Matrimoniô inter se &c.

Schema Affinitatis.

In Linea Recta primi gradûs.

In ascendenti.

Socer (uxoris vel mariti pater) Schwächer: Schwiger-Vatter.

Socrus (uxoris vel mariti mater) Schwiger: Schwiger-Mutter.

Vitricus (vir matris) Stieff-Vatter.

Noverca (uxor patris) Stieff-Mutter.

In descendenti.

Gener (maritus filiæ) Tochter-Mann: Aidam. 11

Nurus (uxor filii) Sohns-Weib: Schnur.

Privignus (filius ex alio conjuge) Stieff-Sohn.

Privigna (filia ex alio conjuge) Stieff-Tochter.

In Linea Obliqua primi gradûs.

Levir (mariti frater) des Manns Bruder: Schwager.

Glos (mariti soror) des Manns Schwester: Geschwey.

Uxorius (uxoris frater) deß Weibs Bruder.

Fratria (fratris uxor) deß Bruders Weib.

Sororius (ſororis maritus) der Schweſter Mann.

Congeneri (duarum ſororum mariti) zweyer Schweſter Männer.

Janitrices (duorum fratrum uxores) zweyer Brüder Eheweiber.

Hi omnes ſunt affines in primo gradu: reliqui enim in ulterioribus gradibus ferè non habent ſpecialia nomina, ſed exprimi ſolent voce *Affinium*. Cæterùm de Jure antiquo erat *triplex genus* affinitatis. *Primum* fundabatur in una tantùm copula, ſeu in una perſona, quæ habuit copulam cum alia, vi cujus maritus fit affinis cum omnibus conſanguineis uxoris, & viciſſim uxor cum omnibus conſanguineis mariti. *Secundum in duabus*. In exemplo: Cajus frater tuus habuit copulam cum Bertha, & Cajus moritur, Bertha verò copulatur Titio, tu factus es affinis Titio; quia prius eras affinis Berthæ. *Tertium* in tribus: ut ecce! ponamus, quòd etiam Bertha ſit mortua, & ſuperſtes Titius cognoſcat carnaliter Cajam, etiam cum hac tu (& conſanguinei tui) factus es affinis Cajæ, quia priùs eras ſecundo genere affinis Titio mediante Berthâ. Ex quo patet, quòd in ſecundo & tertio exemplo affinitas pariat affinitatem. Sed hoc non ampliùs procedit, & tam ſecundum quàm tertium affinitatis genus juxta communem DD. *in c. 8. h. t.* ſublatum eſt, ut adeò remanſerit duntaxat primum genus affinitatis, de quo ſuperiùs dicta procedunt.

12 Dico 1. Affinitas in Linea Recta, ortum habens ex copula licita ſeu conjugali, dirimit Jure Po-

Positivo Humano Matrimonium probabiliùs in infinitum. 2. In Linea autem Obliqua hodie ad quartum gradum inclusivè, sicut de Consanguinitate dictum. Pars 1. sumitur ex *l. 4. §. 7. ff. de gradib. l. 14. §. 4. ff. de rit. nupt.* quam dispositionem Juris Civilis, sine limite Matrimoniis affinium in Linea Recta obstantis, quia Jus Canonicum nullibi correxit, tacitè censetur approbare. *arg. c. 1. de N. O. N.* Pars 2. clarè habetur *c. non debet. 8. h. t.* ubi recessum est à Jure Antiquo *can. 7. caus. 35. q. 2. & 3.* vi cujus ad 7. gradum extendebatur impedimentum affinitatis. Dixi autem 1. *ortum habens ex copula licita*; siquidem, ut ad *tit. XIII. de eo, qui cognovit &c.* docuimus, ortam ex copula illicita affinitatem magis adhuc restrinxit Trid. *s. 24. c. 4. de ref. Matr.* scilicet ad 2. gradum. Dixi 2. *Jure Positivo Humano.* An verò Jure Divino vel Naturali in aliquo gradu affinitas dirimat Matrimonium, quæstionis est. Ad quam

Dico 2. Affinitas nulla, etiam in primo gradu 13
Lineæ Rectæ, probabiliùs dirimit Matrimonium Jure Naturali & Divino. Sanch. citans S. Thomam *2. 2. q. 154. a. 9. ad 3.* Pont. Mastr. & hoc teste communiter Scotistæ, & apud Dian. communiter Thomistæ &c. contra Sylv. Less. Tanner. P. Friderich, P. Reiffenstuel &c. Ratio; quia non sufficienter probatur nullitas Matrimonii ex Jure Naturali inducta etiam pro primo gradu Lineæ Rectæ; siquidem inter has personas nec datur superioritas & subjectio naturalis, nec ratio principii & principiati, nec specialis reverentia vel amicitia, imò major sæpe aversio, v. g. inter novercam

cam & privignum, quàm inter extraneos. Confirmatur: affinitas ortum habens ex copula illicita nec in primo gradu Lineæ Rectæ dirimit Matrimonium Jure Naturali, v. g. si filius ducat concubinam sui patris, quod ipsimet Adversarii passim fatentur, utì Laym. Lugo, P. Friderich &c. & patet exinde, quòd Sacra Pœnitentiaria non rarò dispensare soleat in hoc gradu, præsertim quoad usum Matrimonii ab his personis jam contracti, quando hæc affinitas est occulta: ergo neque dirimit affinitas proveniens ex copula licita; cùm, stando in Jure Naturali, eadem fiat conjunctio per copulam illicitam ac licitam, eò quòd per eam æquè duo fiant una caro, & una cognatio ingrediatur fines alterius.

Objic. 1. Noverca & privignus, socer & nurus &c. parentum & liberorum loco veniunt. *§. 6. 7. Inst. de Nupt.* ergo eadem ferè novercæ & socero debetur reverentia, quæ parentibus à liberis: sed inter hos Jus Naturale dirimit Matrimonium: ergo. 2. Matrimonium inter affines in primo gradu Lineæ Rectæ gravissimam continet indecentiam: ergo. 3. Affinitas est vinculum naturale, independenter à Jure Ecclesiastico vel Civili consurgens: ergo. 4. *Levit. 20. v. 11. seqq.* concubitus cum noverca vel nuru recensetur eodem contextu cum præposterа libidine & bestialitate: ergo Jure Naturali est turpis. *§. 1. Cor. 5.* dicit S. Paulus: *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat:* ergo novercam ducere in uxorem horrent omnes Gentes, etiam illæ, apud quas aliud Jus non est, nisi

Na-

Naturale. R. Ad 1. Parentum & liberorum loco veniunt non propriè, sed per analogiam, & quoad nomen potiùs, quàm quoad rem. Ad 2. Quamvis contineat graviſſimam indecentiam, ac propterea ſit illicitum, tamen non tantam continet, quantam Matrimonium inter veros & naturales parentes ac liberos, quæ Matrimonium reddere poſſit nullum de Jure Naturali. Ad 3. Etiam in primo gradu Lineæ Obliquæ (& in remotioribus gradibus) affinitas eſt vinculum aliquo modo naturale, & tamen nec juxta ullum Doctorem Catholicum, quod ſcio, Matrimonium in primo etiam gradu Lineæ Obliquæ irritum eſt Jure Naturali, & evincitur ex *c. fin. de divort.* ab exemplo S. Patriarchæ Jacobi duas ſorores, Rachelem & Liam, ſibi jungentis, & ex pluribus Pontificum diſpenſationibus, inter quas celebris eſt Julii II. poſtmodum à Clem. VII. approbata, conſultis priùs præcipuis Chriſtiani Orbis Univerſitatibus, per quam Henrico VIII. Angliæ Regi data eſt poteſtas ducendi Catharinam Arragoniam, relictam fratris ſui Arturi conjugem. Neque obſtat dictum S. Jo. Bapt. Herodem ſic objurgantis: *non licet tibi habere uxorem fratris tui. Marc. 6.* quia Herodes duxit uxorem fratris ſui adhuc viventis. Itaque hoc vinculum affinitatis naturale facit quidem Matrimonium ſecluſa diſpenſatione illicitum, non verò invalidum Jure Naturali. Ad 4. Ibi ſermo eſt de concubitu cum noverca extra Matrimonium: vel ſolùm indicatur, tale Matrimonium ob indecentiam graviter prohiberi, non verò illud irritum eſſe Jure Naturali. Ad 5. S. Paulus juxta communem interpre-

tationem in contextu *c. 7. seq. in fine* fundatam loquitur de casu, quo quis uxorem patris, adhuc viventis, sibi jungere voluit.

14 Quæres, quæ sit pœna incestarum nuptiarum, seu illorum, qui contrahunt, vel contrahere potiùs attentant, Matrimonium in gradu consanguinitatis vel affinitatis prohibito? R. De Jure Canonico est excommunicatio latæ sententiæ, *Clem. un. h. t.* De Jure Civili autem, si in Linea Recta conjuncti, vel frater cum sorore, ejúsque filia vel nepte, contrahunt Matrimonium, olim decreta erat publicatio bonorum & exilium, atque, si persona fuit vilis, etiam verberatio. *Nov. 12. c. 1.* & indè deducta *Auth. incestas nuptias. C. de incestis nupt.* junctô *§. 1. seqq. Inst. de Nupt.* De Jure Novo Jesephi I. Imper. *in Ordinat. Crim. art. 19. §. 21.* incestus inter parentes & liberos, inter cognatos in primo ac secundo gradu, & inter affines in primo gradu Lineæ Rectæ pœna gladii dicitur esse statuta.

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coëundi.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Impotentia: quinam Frigidi, & Maleficiati.*
2. 3. *Qualis Impotentia dirimat Matrimonium, & quo Jure.*

4. Qua-

4. *Qualiter ob Impotentiam dissolvi possit Matrimonium.*
5. *Quomodo illa probari debeat ac possit.*
6. *Quid Juris, si post dissolutum ob Impotentiam Matrimonium appareat, conjuges fuisse potentes.*

AGitur hìc de *Impedimento Impotentiæ*, quæ definitur esse *vitium vel naturale vel accidentale, impediens coitum;* siquidem impotentia *generandi*, & sterilitas, cujusmodi datur in senibus, vel aliunde sterilibus, ad coëundum tamen potentibus, non est impedimentum Matrimonii, sed solùm impotentia *coëundi*, seu inhabilitas ad commixtionem carnalem maris & fœminæ, h. e. ad copulam perfectam, qua vir & mulier una caro efficiuntur: qua impotentia laborant *Frigidi*, h. e. masculi, qui ob defectum caloris nativi vas fœmineum penetrare nequeunt, & *Maleficiati*, qui vel ex maleficiô seu ope dæmonis, vel ex malitia hominum, naturali medio id efficientium, sunt inhabiles effecti ad copulam, sive viri sint sive fœminæ. Impotentia coëundi dividitur 1. in *Naturalem*, quæ ortum habet ex defectu ipsius naturæ, ut siquis non habeat membra ad copulam necessaria, aut habeat improportionata, vel fœmina ita sit arcta, ut à viro nullatenus penetrari vel semen recipere valeat: & in *Accidentalem*, quæ próvenit ex accidenti, v. g. ex castratione, qua quis utroque testiculo est mutilatus, quia verum semen non habet, aut ex maleficio dæmonis, vel arte hominis, morbo gravi &c. 2. In *Absolutam*, quæ datur respectu omnium virorum, aut fœminarum: & in *Respectivam*, quæ

non

non respectu omnium, sed solùm unius vel plurium personarum datur: sic arctitudo fœminæ potest esse solùm respectu unius vel alterius viri, aut maleficium respectu unius tantùm viri. 3. In *Perpetuam*, quæ nec per artem & media naturalia, nec per spiritualia, orationes, benedictiones &c. nec sine miraculo, aut peccato, aut mortis periculo tolli potest: & in *Temporalem*, quæ sine peccato, periculo vitæ, miraculo, per media naturalia vel spiritualia aufferibilis est. 4. *Antecedentem*, quæ jam datur ante Matrimonialem contractum, & in *Supervenientem*, quæ primùm post illum oritur.

Dico 1. Sola impotentia coëundi perpetua & 2 antecedens, sive dein sit naturalis vel accidentalis, sive absoluta vel respectiva, dirimit Matrimonium non solùm Jure Positivo, sed etiam Naturali & Divino. Text. & DD. in *c. 1. seqq. & c. 6. h. t.* Ratio est, quia ad essentiam Matrimonii spectat tradere jus, saltem radicale, ad usum corporis & copulam conjugalem juxta communem omnium sensum, fundatum in illo *Gen. 2. Erunt duo in carne una*: sed tale jus tradi non potest, ubi corpora ad copulam antecedenter & perpetuò sunt inhabilia: ergo.

Objic. 1. Finis principalis Matrimonii est gene- 3 ratio prolis: sed iste finis cessat in illis, qui laborant impotentiâ generandi, uti sunt spadones &c. ergo etiam impotentia generandi, & non tantùm impotentia coëundi, est impedimentum dirimens Matrimonii. 2. Matrimonium non facit concubitus, sed consensus: ergo non obstante impotentia ad concubitum subsistet Matrimonium. 3. Matrimonium inter perpetuo impo-

impotentes parit aliquam obligationem, ut nempe cum tali impotentia contrahentes debeant cohabitare tanquam fratres & sorores. *c. 4. & 5. h. t.* atque inter illos dicitur dari *retinaculum conjugale. can. 2. cauſ. 33. q. 1.* ergo valet tale Matrimonium. 4. Potentia ad copulam eſt de ſubſtantia Matrimonii, uti videmur dicere: ergo, ſi impotentia ſuperveniat, perit & diſſolvitur Matrimonium jam contractum. R. ad 1. *diſt. min.* iſte finis ceſſat per accidens. *C. mi.* per ſe *N. min.* Si vir ſeniô jam ita eſſet debilitatus, ut nec arte Medica adjutus poſſet ſemen vel ſaltem partem ſeminis, ut ut ſterilis, in vas fœminæ immittere, vel vetula ita eſſet diſpoſita, ut nec partem ſeminis virilis recipere valeret (ſi retinere non poſſet, nihil obſtaret) tunc etiam dicimus inhabiles eſſe ad Matrimonium. Ad 2. Matrimonium non quidem facit concubitus, facit tamen conſenſus, quo traditur jus, ſaltem radicale & remotum, corporum phyſicè habilium ad copulam. Ad 3. *N. ant.* licèt enim *c. 4. & c. 5. h. t.* permittatur cohabitatio inſtar fratrum & ſororum, non tamen præcipitur, ſaltem ſi cum ignorantia impotentiæ contraxerunt, imò multi cum Sanch. valde probabiliter nec ſcienter contrahentes ad taliter cohabitandum obligant. In *can. 2. cit.* per retinaculum conjugale intelligitur vinculum putativum, quia dicitur in poteſtate contrahentium eſſe illud diſſolvere: verum autem vinculum Matrimoniale diſſolvere in poteſtate hominis non eſt. Ad 4. *diſt. ant.* eſt de ſubſtantia Matrimonii in fieri. *C. ant.* in facto eſſe, & poſtquam validè jam contractum eſt Matrimonium. *N. ant. & conſ.* Nullum impedimentum

dirimens, quod supérvenit Matrimonio, istud dis-
solvit, quamvis quodlibet dirimat contrahendum.

4 Dico 2. Quamvis conjuges deprehensô impo-
tentiæ impedimentô possint reclamare, & sepa-
rationem petere, nisi velint cohabitare instar fra-
tris & sororis. 2. Et quidem quocunque tem-
pore voluerint. 3. Propria tamen auctoritate se-
parationem instituere nequeunt, sed opus est au-
ctoritate Judicis Ecclesiastici. 4. Et prævia pro-
batione legitima impotentiæ. Pars 1. constat ex
c. 5. h. t. Pars 2. ex *c. 6. & fin. eod.* his tamen con-
trariari videtur *c. 1. eod.* & ibi Glossa, ubi fœmi-
na, primùm post sesqui annum allégans impo-
tentiam viri, dicitur non ampliùs audienda, licèt
audiri deberet, si statim, nempe post unum vel
alterum mensem allegaret. Sed hæc antilogia evi-
tatur dicendo, quòd, quando uterque conjugum
fatetur vel allégat impotentiam, semper id possit:
si verò unus tantùm allégat, alter negat, tunc sta-
tim debet allegare, si indicia impotentiæ sint du-
bia: si verò hæc sint certa, aut valde verisimilia,
tunc semper audiri debet. Pars 3. ex *c. 3. de di-
vort.* propter periculum scandali, & peccati, ne te-
mere dissolutô Matrimoniô aliud contrahatur in-
validè, & sic in perpetuis vivatur adulteriis. Un-
de nec utrique conjugi, impotentiam allegantiac
fatenti, etiam sub juramento, creditur, quia pos-
set contingere, ut mutuæ cohabitationis pertæsi
prætenderent falsò impotentiam. Pars 4. ex *c. 1.
cit.* & ex primùm adducta ratione. Adde, quòd
pro Matrimonio semel contracto stet præsumptio
Juris, item possessio, ac insuper causa Matrimonii sit
favorabilis: proin ad illud dissolvendum re-

qui-

quiritur probatio impotentiæ plena & concludens.

§ Quæres, quomodo probari possit ac debeat impotentia, ut Judex declaret, Matrimonium, semel contractum, non valere, & separare valeat conjuges putatitios? R. 1. Per inspectionem corporum (si aliunde sciri nequeat) faciendam apud viros à Medicis & Chirurgis, saltem duobus, fide dignis, & in arte expertis; apud fœminas verò ab obstetricibus, vel aliis honestis matronis, saltem duabus, fide dignis, & in arte vel opere nuptiali expertis. Text. & DD. in *c. 6. & fin. citt. c. 4. c. penult. de probat.* Neque his viris aut fœminis creditur, nisi sub juramento affirmantibus vel negantibus impotentiam. per *c. 51. de testib.* R. 2. Si per inspectionem innotescant indicia *certa* impotentiæ, Matrimonium statim pro nullo declarandum est. R. 3. Si deprehendantur indicia *valde verisimilia*, h. e. quasi moraliter certa, ita ut pro potentia non militet probabilis ratio, tunc conjugibus est deferendum juramentum *scientiæ*, quo asserant se copulam habere non posse, & simul septimæ manui consanguineorum, h. e. septem consanguineis (vel in horum defectu septem vicinis, aut, si tot haberi nequeant, saltem duobus vel tribus) juramentum *credulitatis*, quo affirment, se omnino credere, quòd conjuges verum jurent. Et tunc Matrimonium rursus statim est pronuntiandum nullum, *c. 5. h. t.* Sanch. *l. 7. d. 107. n. 4. &c.* & alii. R. 4. Si ex inspectione, vel alia probatione, detegantur indicia solùm probabilia, & sic impotentia sit verè dubia, tunc non statim dissolvendum est Matrimonium, sed in-

jungendum conjugibus integrum triennium, i copula attentata continuandum, ad explora dam potentiam vel impotentiam: quo elapso si necdum habeatur certitudo, uterque tamen affe rat impotentiam, rursus & conjugibus & sepo mæ manui deferendum est juramentum, de qu suprà: præstitô autem utroque juramentô Matri monium est annullandum. Text. & DD. in *c. 5. & c. fin. citt.* Quòd si verò una tantùm pars elapso triennio neget juratò, toto tempore, licèt conc ti sint, saltem aliquoties intra hebdomadem, co pulam perficere se potuisse, altera autem affir met copulam, credendum est affirmanti, & pro valore Matrimonii pronuntiandum. per *c. fin. de sent. & re jud. c. 65. de R. J. in 6.* quia prævalet favor Matrimonii, & possessio. Nec *objicias*, si fœmina neget copulam, & per inspectionem ma tronarum deprehendatur adhuc esse virgo, inte erui certitudinem impotentiæ, consequenter fœ minæ copulam neganti potiùs credendum, & pro nuntiandum contra Matrimonium; quia oculus obstetricum potest falli. *c. penult. de probat.* Et Pau lus Zacchias præstantissimus Medicus negat, certò deprehendi posse virginitatem ex inspectione.

6 Dico 3. Casu quo Matrimonium ob impo tentiam, legitimè probatam in Judicio, est disso lutum, postea verò apparet, conjuges fuisse po tentes, eò quòd fortè fornicentur, vel in alio Matrimonio, postea contracto, prolem generen &c. regulariter restaurandum est, dissoluto alte ro, quod fortè secutum est. Communis & ce ta ex *c. 5. & 6. h. t.* Neque sententia contra Ma trimonium lata unquam transit in rem judica tam.

tam. *c. 7. de sent. & re jud.* Dixi *regulariter*; nam restaurandum non est 1. si impotentia per peccatum, aut per miraculum, est sublata, quia tunc fuit perpetua. 2. Si fuit respectiva, nempe respectu prioris conjugis, non verò respectu aliorum vel aliarum. 3. Si pars separata Religionem professa sit, suppositô nempe, quòd Matrimonium revera nunquam consummatum fuerit.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1. *Per Interdictum Ecclesiæ quid hìc intelligatur.*
2. *Quinam Matrimonium interdicere possint.*
3. *Tempore feriato non interdicitur à Jure ipsum Matrimonium, sed nuptiæ tantùm.*
4. *Quinam possint dispensare in Impedimentis Impedientibus.*
5. 6. *Quinam & in quibus Impedimentis Dirimentibus.*
7. *A quo tribunali Romano petenda sit dispensatio.*
8. 9. *Quid eam petentibus, & exequentibus observandum sit.*
10. *Nullitas Matrimonii vel est ex defectu consensûs, vel ex alio Impedimento.*
11. *Quomodo restaurari possit, si fuit nul-*

lum ob aliud, quàm consensûs, Impedimentum.

12. 13. *Quomodo, si ob defectum consensûs ex parte unius tantùm: an necesse sit hoc tale nullitatem aperire alteri Parti.*

1 PEr *Interdictum* Ecclesiæ generaliter acceptum intelligi quidem potest omne impedimentum Matrimonii tàm dirimens quàm impediens ab Ecclesiâ introductum: specialiter tamen acceptum sola denotat impedimenta *impedientia*, quæ sunt *sacratum tempus: vetitum: sponsalia: votum*, ut *n. 30.* docuimus ad *tit. I.* de Voto ad *tit. VI.* de Sponsalibus autem, quatenus sunt impedimentum impediens, ad *tit. IV.* abundè dictum: supersunt *sacratum tempus*, & *vetitum*, quod ultimum est præsertè *interdictum Ecclesiæ*, prout est hujus loci, & definitur esse *specialis prohibitio, qua Superior Ecclesiasticus ob justam causam certis personis vetat, ne Matrimonium contrahant*, v. g. quia dubium est vel suspicio latentis impedimenti, vel gravis scandali, aut inimicitiarum &c. *Tempus sacratum*, seu *feriatum*, hic dicitur illud, quo solennes celebrari nuptiæ prohibentur ab Ecclesiâ; quod tempus hodie à Trident. *s. 24. c. 10. de ref. Matrim.* restrictum est ad Adventum Domini & ad Quadragesimam; ita ut ab *Adventu* usque in diem *Epiphaniæ*, seu festum Trium Regum, & à *die Cinerum* usque ad *Octavam Paschæ*, seu Dominicam *in Albis* inclusivè, non liceat celebare solennes nuptias. Cœterùm quia subinde contingit, ut in impedimentis Matrimonii tam dirimentibus, quàm impedientibus dispensari debeat, nullum

verò

verò titulus de hac re existit, hoc loco etiam de *Dispensatione* in Impedimentis Matrimonii quædam differemus, utì & de *Revalidatione* seu Restauratione Matrimonii forsan nulliter contracti.

Dico 1. Interdicere Matrimonium specialiter certis personis potest non solùm Papa, Episcopus, & hujus Vicarius Generalis, de quibus nemo dubitat, sed etiam Parochus ex justa causa, imò, si suspicio detur de latente impedimento, debet. 2. Si tamen tali prohibitione, etiam Pontificis, non obstante contraherent Matrimonium, graviter quidem peccarent, gravique subjacerent pœnæ, illud tamen valeret. Utraque pars sumitur ex *c. 1. & 2. h. t. c. fin. de cland. desp.* At *Objic.* 1. Causas Matrimoniales tractare & cognoscere spectat ad Episcopum, & Judicem pro foro externo jurisdictione instructum. *c. 1. de consang.* sed Parocho non competit jurisdictio pro foro externo. 2. In *c. 2. & 4. de sponsa duor.* Matrimonium habetur pro irrito, si super Sponsalibus cum alia persona priùs initis mota est lis, & Matrimonium propterea ab Episcopo interdictum: ergo. 3. In *c. 13. de desponſ. impub.* Matrimonium contra interdictum Pontificis initum decernitur esse irritum: ergo saltem prohibitio Papæ facit Matrimonium nullum. R. ad 1. Indè plùs non evincitur, quàm Parochum non posse *Judicialiter* ac instar *Judicis* prohibere Matrimonium, non verò extrajudicialiter & instar Pastoris, cui incumbit animarum cura. Ad 2. Ibi est sermo non *de Sponsalibus de futuro*, sed *de præsenti*. Ad 3. Ibi Pontifex clausulam irritantem expressè adjecit, quod quidem

dem ipse solus potest, sed ordinariè non so-
let.

3 Dico 2. Non ipsum Matrimonium, seu contra-
ctus Matrimonialis, prohibetur prædicto tempo-
re feriato, sed tantùm nuptiæ, h.e. solennis be-
nedictio, solennis traductio sponsæ in domum
sponsi, externa pompa, publica vanæ lætitiæ signa,
choreæ, convivia. *can. 8. seqq. caus. 33. q. 4. c. 4.*
de feriis. quia ista tantùm repugnant sanctitati
prædictorum temporum, ubi Ecclesia specialiter
vacari vult devotionis & pietatis operibus. *Obj.*
Etiam ipsum Matrimonium sine dictis solennitati-
bus, imò & celebratum diebus Veneris aut Sab-
bathi communiter censetur esse illicitum: ergo &
ipsum Matrimonium est prohibitum tempore fe-
riato, & non in hoc tantùm, sed etiam in diebus
Veneris ac Sabbathi celebratum. R. *dist. cons.* vi
Consuetudinis, ut passim videtur esse recepta sub
opinione obligationis. *transeat.* vi Juris scripti
N. cons.

De Dispensatione in Impedimentis Matrimonii.

4 Dico 3. In Impedimentis Impedientibus, quæ
sunt Juris Humani & Ecclesiastici, uti *Sacratum tem-*
pus, & *Vetitum*, possunt dispensare Episcopi, Vi-
carii Generales, & quicunque jurisdictionem quasi-
Episcopalem in aliquo territorio obtinent. 2. In
iis autem, quæ sunt Juris Divini & Naturalis, ut
sunt Sponsalia, & votum reservatum, quale est vo-
tum Castitatis perfectæ & Religionis ingrediendæ,
ex justa causa solus Pontifex regulariter. Pau-

prior

prior sumitur ex *c. 2. de eo, qui cognovit.* & ex generali consuetudine. Pars posterior ex *c. 16. Matth.* & communi sensu DD. item quoad Sponsalia exinde, quòd Papa possit dispensare, ut suo loco videbimus, in Sponsalibus de præsenti seu in Matrimonio Rato, à fortiori proin in Sponsalibus de futuro: quoad dicta Vota, soli Pontifici in *Extrav. 5. de Pœnit. & Remiss. int. com.* reservata, ex hoc, quòd inferior nihil possit in Lege Superioris. Addidi 1. *ex justa causa*, quæ in omni dispensatione est necessaria, & quidem, si Superior dispenset in lege sua, ad licentiam, si in lege Superioris, ut si Papa dispenset in Lege Divina vel Naturali, etiam ad valorem dispensationis. Causa autem dispensandi in Sponsalibus, ubi alicui jam quæsitum est jus, ferè debet esse publica, v. g. si gravia incommoda timerentur ex Matrimonio &c. in Voto autem castitatis periculum valde magnum incontinentiæ, majus bonum communitatis, quod speratur ex nuptiis &c. Addidi 2. *Quale est votum castitatis perfectæ*, nimirum *integræ ac perpetuæ*, quo quis abstinere se ab omni actione & delectatione Venerea tam licita, ut est in conjugio, quàm illicita, & quidem in perpetuum, DEO promittit; quod votum simul debet esse *perfectè editum*, nempe cum plena advertentia, liberè, sponte, absolutè, ac ex amore castitatis; siquid ex his desit, votum non est reservatum Pontifici, quamvis cæteroquin valeat. Addidi 3. *regulariter*; nam in casu extraordinario, ubi hæc duo concurrunt (magnum v. g. periculum incontinentiæ, scandali, damni &c. ex mora longiore ex una, & ex altera parte difficilis recursus ad

Papam) passim DD. etiam Episcopo tribuunt potestatem dispensandi, quam sententiam doceri & practicari scit Pontifex, neque reclamat: ergo consentit. Notant tamen, rarò dari tantam necessitatem, ut non possit Matrimonium differri, donec per litteras recurratur Romam.

§ Dico 4. In Impedimentis Dirimentibus Juris Naturalis, uti est Error, Ligamen, Ætas, Impotentia, & Consanguinitas in primo gradu Lineæ Rectæ, nec Summus Pontifex dispensandi potestatem habet. 2. Bene tamen in omnibus, quæ sunt Juris Ecclesiastici. 3. Nullus tamen inferior Pontifice, nisi ab hoc ipsi vel expressè vel tacitè concessum sit. Pars 1. constat ex *c. 16. de Majorit.* & quia inferior nihil potest in lege Superioris. Pars 2. ex *c. 8. de consang. c. 24. pr. de sent. Excomm. in 6.* & ex ratione, quia Lex Ecclesiastica totam suam vim habet, ac dependet à libera voluntate Legislatoris Papæ. In quibusdam tamen Impedimentis nunquam dispensat, ut in gradibus Lineæ Rectæ, & in primo Lineæ Transversæ, ut frater & soror contrahant Matrimonium: in aliis non nisi difficillimè, ut in conjugicidio publico, in impedimento disparis cultûs: in aliis sæpe & facilè, ut in tertio vel quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis, in impedimento publicæ honestatis, item quando Matrimonium in facie Ecclesiæ cum impedimento jam fuit contractum. Pars 3. ex *c. 16. cit. & Clem. 2. pr. de Elect.* cùm in lege & voluntate Superioris nihil possit inferior, nisi in casu extraordinario urgentissimæ necessitatis, de quo *n. præced.* & impedimentum sit occultum, & tale, in quo soleat dispensari: ex quòd

quòd Pontifex in tali casu ex epijkia censetur id permittere. Interim tamen solet Papa Episcopis in nostra Germania iudulgere privilegium, singulis quinquenniis vel quadrienniis de novo petendum, ut dispensent 1. cum Hæreticis ad perseverandum in Matrimonio, quod jam contraxerunt etiam in secundo gradu consanguinitatis. 2. Cum pauperibus in gradu 3. aut 4. simplici & mixto consanguinitatis vel affinitatis, etiam ad contrahendum Matrimonium. Per *gradum mixtum* intelligitur inæqualis distantia duorum à communi stipite, quo in casu licèt aliàs regula sit, quòd eô gradu distent inter se, quo distat remotior; eam tamen in dispensationibus Curia Romana non observare dicitur, sed rationem habet etiam proximioris gradûs. ita ut fratrem v. g. & fratris filium non simpliciter in secundo gradu esse censeat, sed in secundo attingente primum. 3. Cum quibusvis in impedimento publicæ honestatis ex Sponsalibus proveniente. 4. In impedimento criminis, ubi machinatio in mortem non intervénit. 5. In impedimento cognationis spiritualis, præter levantem & levatum. Sed in his casibus debent Episcopi dispensationem dare omnino gratis, & in scriptis, ac in iis exprimere, quòd dispensent *ex potestate delegata*, ac addere clausulam, *si mulier non sit rapta.*

Objic. 1. Diximus, quòd Papa dispensare possit in voto castitatis perfectæ, non obstante, quòd sit Impedimentum Impediens Matrimonii Jure Naturali ac Divino: ergo etiam poterit in Impedimentis Dirimentibus Juris Naturalis: 2. Papa probabiliùs pollet potestate dispensandi in Matri- 6

tri-

trimonio Rato: ergo in Impedimento Ligaminis Dirimente, quod tamen est Juris Naturalis. 3. Non potest dici, an ad hoc, ut Papa dispenset in Impedimentis Dirimentibus Juris Ecclesiastici, requiratur causa vel non, & qualis? ergo. R. ad 1. *N. cons.* quia ad dispensandum in votis accepit Papa à DEO & Christo potestatem dispensandi, ut docet nos usus & continua praxis Ecclesiæ, non verò id constat de Impedimentis Dirimentibus Juris Naturalis. Dein votum dependet à determinatione libera voluntatis humanæ, & hinc, si Papa in eo dispensat, directè tollit legem ab homine libera voluntate sibi positam, in quam habet potestatem, ac solùm indirectè & consecutivè, dispensando in voto, tollit Legem Divinam & Naturalem, quæ sublatâ lege ab homine sibi impositâ in consequentiam & per se cessat. Ad 2. Est eadem responsio; nam ex usu Ecclesiæ etiam discimus, Papæ concessum esse à DEO dispensare in Matrimonio Rato, & hoc Impedimentum etiam dependet à libera voluntate hominis Matrimonium Ratum contrahentis. Ad 3. *N. ant.* & dico, ut Pontifex licitè agat, requiri justam causam, non ut validè. Justæ autem causæ censentur esse. 1. Evitatio peccati, scandali, infamiæ, damni, gravium inimicitiarum. 2. Defectus dotis competentis ad nubendum non consanguineo vel non affini in loco proprio originis. 3. Ætas fœminæ nunquam nuptæ, si nempe 24 ætatis annum egressa hactenus virum, non consanguineum aut non affinem, reperire non potuit. 4. Angustia loci, si nimirum in vicinia non adsit vir paris conditionis non consanguineus &c.

5. Con-

5. Conservatio præcellentis aut illustris familiæ in eadem stirpe, & conservatio divitiarum in Magnatum familia. 6. Excellentia meritorum in Ecclesiam. Item prærogativa dignitatis personarum, ut si sint Principes; vel etiam prærogativa Nobilitatis &c. De reliquo

7 Notandum adhuc 1. duplex pro concedendis dispensationibus à Pontifice erectum esse tribunal Romæ. Primum vocatur *Sacra Pœnitentiaría*, quæ dispensat pro foro interno tantùm, & in impedimentis occultis duntaxat, tam ad contrahendum Matrimonium, quàm ad permanendum in contracto, exceptô impedimentô consanguinitatis, in quo non dispensat ad contrahendum, sed solùm ad permanendum in contracto, & quidem in tertio tantùm vel quarto gradu. Si ab hoc tribunali petatur dispensatio, non exprimuntur vera nomina dispensandorum, sed solùm ficta, v. g. *Titius, Bertha* &c. aut per litteras *A. B. C.* &c. Neque ullæ petuntur vel solvuntur expensæ, aut taxa. Alterum appellatur *Datariá*, à qua dispensatur pro foro externo, vera dispensandorum nomina cum Diœcesi sunt exprimenda, & expensæ cum taxa pecuniaria, subinde non modica, solvendæ, nisi expediatur dispensatio in *forma pauperum*, de qua vid. Reiffenstuel *in appendice ad lib. IV.* Ad *Datariam*, quæ etiam *Officium minoris gratiæ* dicitur, pertinet quoque *Cancellaria*, & *Perfectura Brevium*.

8 Notandum 2. Oratoribus, seu dispensationem petentibus, incumbere, ut fideliter exprimant, imprimis omnes circumstantias facti, nihil addendo falsi, per quod dispensans moveri, & nihil reticendo

do veri, per quod absterreri à dispensando posset, si sciret: dein causam rationabilem dispensandi; quæ consideratur duplex, *finalis*, quæ movet ex toto animum dispensantis, aliàs non dispensaturi: ac *impulsiva*, quæ solùm est motivum impellens & juvans animum concedentis gratiam, quam quidem concederet absque illa, non tamen tam facilè ac promptè. Si causa finalis & movens non existat tempore dispensationis, hæc est invalida.

9 Notandum 3. Circa executionem obtentæ dispensationis: ubi executor quoad omnia attendere ac præ oculis habere debet tenorem litterarum Apostolicarum, ac prævia extrajudiciali informatione capta de veritate precum & causæ juxta eundem, & juxta præscriptas clausulas, facere executionem, nisi velit dispensationem nullitatis periculo exponere, & se peccatô obstringere: neque quidquam, etiam sponte oblatum, licitè accipit intuitu dispensationis. Si dispenset *Datariâ*, executio solet committi Episcopo, vel potiùs Vicario Generali, Diœcesis illius, in qua sunt Oratores, &, si in diversa existant, ubi degit Oratrix. Si *Pœnitentiariâ*, committitur dispensatio vel Parocho, vel Confessario, quem oratores, vel oratrix elegerit, qui tamen necessariò debet esse Theologiæ aut SS. Canonum Doctor (nisi petens dispensationem sibi, licèt Doctor non sit, litteras aperiendi & exequendi licentiam impetraverit) item debet esse approbatus ab Ordinario Oratricis, vel saltem in illa diœcesi, in qua fit executio. Si Doctor non sit, sufficit, si ad hujusmodi litteras aperiendas sit privilegiatus, utì sunt PP. Societatis JESU, & qui cum illis communicant in privilegiis. Denique

nique debet ab oratrice, vel latrice, specialiter esse electus: sic enim solet fieri exterior litterarum inscriptio: *Discreto viro N. Confessario, Theologiæ Magistro (vel Decretorum Doctori) ex approbatis ab Ordinario, per latricem pœnitentem eligendo.* Et hinc, postquam accepit litteras, in quibus continetur mandatum dispensandi, debet illas adhuc clausas consignare oratrici (vel oratori) dicendo, nunc esse in ipsius arbitrio, qualem Confessarium pro executione eligere velit, modò is habeat dictas qualitates. Dein, si ipse fuerit electus, debet eam monere de necessitate confitendi, tum in ipsa confessione pœnitentem priùs examinare, an preces veritate nitantur &c. dein absolvere, ac statim dispensationem subjungere, ac postmodum litteras S. Pœnitentiariæ dilacerare, vel alio modo, v. g. amotô sigillô, destruere, ut ad probandum pro foro externo nihil omnino valeant; quia pro solo foro interno concessa est dispensatio à Pœnitentiaria.

De Revalidatione Matrimonii nulliter contracti.

Nulliter contrahi potest Matrimonium ex du- 10
plici capite. 1. Propter defectum consensûs, quem una pars vel non habuit, contrahendo fictè, vel non sufficientem, contrahendo ex metu gravi injustè incusso &c. 2. Propter aliquod impedimentum aliud, puta consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis &c. Jam quæstio est gravis, an, si Pars conscia talis defectûs, vel impedimenti (in quo opus est prævia dispensatione) restaurare &

con-

convalidare velit Matrimonium, ponendo novum consensum, necesse sit, ut altera Pars de nullitate certior fieri, & novum quoque consensum ponere debeat. Dein an opus sit, ut novus consensus ponatur coram Parocho & testibus, si prius coram his, licèt invalidè ob latens impedimentum, fuerit contractum.

11 Dico 5. Si Matrimonium fuit nulliter contractum ob aliud impedimentum, quàm sit præcisè defectus consensûs ex parte unius, necessarium est, ut alteri Patri manifestetur nullitas Matrimonii, ut ab utraque Parte ponatur novus consensus. Communissima cum S. Thoma & Scoto. Ratio est, quia ex neutra Parte validus fuit positus consensus, eò quòd personæ propter impedimentum, quod utramque afficit, fuerint omnino inhabiles sicut ad Matrimonium, ita & ad consensum in Matrimonium: ergo utramque oportet de novo consentire: sed consensus, quo convalidari debet Matrimonium, dari nequit, nisi utraque pars velit: ergo utraque Pars scire debet nullitatem; cùm errantis & ignorantis non sit consensus. *l. 8. l. 9. C. de J. & F. J.* Nec ratificari valet, quod ex nulla sui parte exstitit. Confirmatur ex Stylo Curiæ Romanæ; quando enim Pœnitentiaria dispensat ad remanendum in Matrimonio nulliter contracto, addere solet hæc verba, *muliere* (viro) *de nullitate prioris consensûs certiorata, sed ità cautè, ut latoris delictum nunquam detegatur.* In hoc autem sæpe est magna difficultas: si impedimentum non habet ortum ex delicto, & bene inter conjuges putatitios convenit, arduum non est: at si ex

reve-

revelatione nullitatis timendum est periculum divortii, desertionis liberorum, scandali, aut diffamationis, quam contrahit manifestans nullitatem, quæ fortè fundatur in suo delicto, v.g. in affinitate ex copula illicita priùs habita cum consanguineo conjugis, cautè & circumspectè procedendum est, v.g. dicendo ad Partem nullitatis ignaram: *mi vir (uxor) puto me tempore contractûs non habuisse verum & sufficientem consensum* (quod omnino verum est) *vis ergo eum renovare, sicut ego eundem nunc renovo*: si Pars altera respondeat, *volo, placet* &c. res est salva, quia virtualiter certificata est de nullitate, licèt non de causa nullitatis, quod non requiritur. Vel manifestari nullitas potest conditionatè de præterito vel præsenti, sic: *si Matrimonium nostrum ex aliqua causa fuisset nullum, aut esset nullum, vísne illud convalidare, & de novo consentire, sicut ego de novo consentio, ut consequamur gratias actuales, quas adeò necessarias conjugibus Matrimonii Sacramentum confert:* si reponat, *volo* &c. rursus convalidatum est Matrimonium. Imò, si etiam ex tali manifestatione, & modo tendendi, timerentur gravissima incommoda, separationis, diffamationis, scandali &c. licebit sequi sententiam probabilem gravium DD. Sot. Henriq. Sanch. Dicast. Gobat, Syri Placent &c. qui docent sufficere, si omissa revelatione nullitatis post impetratam dispensationem obtineatur ab ignorante novus consensus per hoc, quòd maritali affectu petatur & reddatur debitum conjugale.

Dico 6. Si Matrimonium fuit nulliter con- 12

tractum ob defectum consensûs, quem una Pars non posuit sufficientem, probabiliùs necesse non est nullitatem aperire alteri Parti, sed sufficit, si illa sola ponat novum & verum consensum. Ita cum S. Th. Navar. Sanch. Conink, Laym. Pirhing, alii multi, contra Felin. Scot. Pont. Palao, Krimer &c. quibus novissimè accessit P. Placidus Böckn, valde abundans in suo sensu, *lib. IV. tit. III. §. 3.* Probatur 1. in hoc casu unus verè ac liberè consensit, atque validè, cùm nullum Matrimonii impedimentum fuerit inter contrahentes, & ambo fuerint per se habiles ad Matrimonium: ergo iste consensus durat, saltem virtualiter & moraliter, sicut in aliis contractibus, quamdiu non revocatur, & altera Pars habetur & tractatur instar conjugis. per *c. fin. de Procurat. in 6.* ergo, si postmodum accedat consensus illius Partis, quæ priùs verè non consensit, vel non sufficienter, habetur consensus mutuus; nec enim necesse est, ut consensus in Matrimonium, sicut in aliis contractibus, ab utraque Parte ponatur physicè simul, sed sufficit, si ex intervallo sequatur consensus alterius Partis, & interea non sit revocatus à comparte positus consensus. 2. In *c. 21. de Sponsal.* habetur, quòd puella, quam vitricus invitam & renitentem matrimonialiter copulavit viro, longiori cohabitatione Matrimonium convalidaverit tacitè in illud consentiendô, licèt vir de nullitate non sit monitus, nec novum consensum posuerit. Simile quid habetur *c. fin. de conjug. servor.* ubi Matrimonium, quod quis ignoranter cum ancilla contraxit, & sic nulliter propter defectum consensûs in errore conditionis servilis fundatum,

di-

dicitur restaurari, si postmodum consensit cognita conditione servili: ergo, ubi Matrimonium fuit nullum ex defectu consensûs solùm unius, convalescit per consensum novum unius.

Objic. 1. Quando unus contrahentium fictè vel per errorem substantialem, vel per metum consensit in Matrimonium, & sic ratione defectûs consensûs ex parte unius illud fuit nullum, etiam alterius consensus fuit nullus & invalidus: ergo ex utraque Parte debet poni novus consensus. *ant.* manifestè demonstrat P. Böckn, ut ipse ait, hoc modo: consentiens procedit ex errore, & frustratur objectô sui consensûs; nam consensus conjugalis essentialiter respicit consensum alterius Partis, quo acceptat jus in corpus sibi traditum, & viciſſim tradit: ergo, si altera Pars non verè & sufficienter consentit, consentiens procedit ex errore, & ejus consensus destituitur objecto: ergo nullus & invalidus redditur: ergo debet de novo poni cognitâ nullitate Matrimonii. 2. Qui cum simulante contraxit, non amisit libertatem suam & potestatem alias eligendi nuptias: ergo eam non censetur abdicare, & ratificare Matrimonium, quamdiu ignorat, illam sibi competere; nihil enim volitum, nisi cognitum, & ignorans nec approbat nec ratificat. *arg. l. 35. ff. de Pact. & l. 10. C. de donat.* Accedit 3. Contrahens Matrimonium non aliter consentit, nisi sub conditione, si & Pars altera consentit, vel consensit: ergo deficiente hac conditione deficit & consensus illius. 4. Illa duo *cc.* quæ allegavimus in probatione nostra secunda, non sunt ad rem; nam ibi hypothesis est de marito, qui jam aliunde

13

ſcivit, conſenſum metu extortum non ſufficere, & de uxore ancilla, quæ pariter ſcivit ſuam conditionem, conſequenter nullitatem Matrimonii: quo in caſu utique ſufficit, ſolam Partem metu adactam, vel errore inductam, iterare conſenſum, ſi advertat, Partem alteram ceſſante metu & errore ſibi ultro convivere, & ſic tacitè conſentire.

℟. ad 1. *N. ant.* Ad demonſtrationem manifeſtam *diſt. ant.* procedit ex errore, & fruſtatur objectô ſui conſensûs, hìc & nunc. *C. ant.* pro tempore, quo altera Pars ex intervallo verum & ſufficientem ponit conſenſum, quo acceptat traditionem, & viciſſim tradit jus in ſuum corpus, altera autem Pars interea ſuum conſenſum non revocavit. *N. ant.* & retorq. in aliis contractibus bilateralibus, qui perfici poſſunt, licet conſenſus alterius Partis ex longiori intervallo ſequatur, non obſtante, quòd per errorem creditum ſit eum ſtatim initio interveniſſe. Idem eſt de acceptatione donationis. Conſenſus igitur conjugalis eſſentialiter quidem reſpicit conſenſum alterius Partis, vel mox, vel ex intervallo ponendum, non verò ponendum ſtatim. Ad 2. Non quidem amiſit libertatem eligendi alias nuptias, quamdiu priores per conſenſum alterius Partis non fuerunt convalidatæ, bene tamen poſtquam per conſenſum ex intervallo ſecutum fuerunt ratificatæ. Ad 3. *N. ant.* hæc enim conditio de præſenti vel præterito nec ex natura rei, ut patet in aliis contractibus, nec ex diſpoſitione Juris ulla ineſt contractui Matrimoniali, nec ex voluntate contrahentis, qui ponitur hanc conditionem non addidiſſe, & ejus exiſtentiæ ſa-

um consensum non alligâsse: sufficit ergo ad valorem consensûs ab una Parte positi, si alterius consensus ex pòst sequatur, quem utique aliquando ponendum respicit velut conditionem, sine qua non perficitur, contractus Matrimonialis, imò exigit tanquam essentiale constitutivum. Qui ex parte sua verum ponit consensum, absolutè ponit & validè, cùm sit persona habilis, & non alligat vel restringit ad actualem consensum simul ac statim positum ab altera Parte, licèt non consentiret, si sciret, alteram nunc non consentire; nec enim attenditur, quid aliquis esset facturus sub hypothesi scientiæ & secluso errore, sed quid actu faciat, & velit: sicut putans se ducere virginem, cùm tamen non sit, validè consentit, licèt eam non duceret, si sciret, non esse virginem. Et in hoc, & quoad consensum absolutum, est paritas, non in eo, quod virginitas sit qualitas accidentalis, consensus autem sit requisitum substantiale. Imò nec de essentia Matrimonii est simultas consensûs utriusque. Ad 4. negatur imprimis, quòd maritus sciverit, metum à tertio esse incussum puellæ: dein, etsi hoc sciviſſet, & ancilla sciverit suam conditionem servilem, unde probatur, quòd sciverint, Matrimonium propterea esse nullum? Denique sive sciverint nullitatem Matrimonii sive non, Jura in *citt. cc.* plus non requirunt, quàmut metum passa, & errore inductus, renovent consensum, nihil dicendo de altera Parte, cujus consensum supponunt perdurare.

Dico 3. Si Matrimonium fuit nulliter con- 14
tractum in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho & testibus, & conjuges illud de novo contrahere, ac

restaurare velint, non opus est, ut id faciant coram Parocho & testibus, nisi impedimentum sit notorium, vel ita saltem publicum, ut plenè pro foro externo probari posset, & periculum sit, ne plenè probetur. Communis cum Sanch. & Layn. contra Pont. & Barb. quia dispositio Trid. præsentiam Parochi &c. requirens non comprehendit hunc casum, utpote fundata in periculo recedendi à Matrimonio validè contracto, & ad alias nuptias convolandi: quod periculum in tali casu per se & universaliter cessat; cùm satis Ecclesiæ ex libro Parochi constet Matrimonium esse contractum, & conjuges nequeant recedere ab invicem nisi manifestè probata nullitate, quam tamen probare non intendunt, sed in conjugio perseverare. Dein præsentia Parochi & testium semel adhibita moraliter perseverat, & inducit præsumptionem, ac fidem facit in foro externo de Matrimonio ritè contracto. Confirmatur ex eo, quòd, quando S. Pœnitentiaría mandat dispensare in Matrimonio occulto, expresè moneat, ut secretè ad vitanda scandala fiat restauratio: Dataria verò, quæ dispensat in impedimento publico, præcipit, ut fiat *in facie Ecclesiæ*. Dices; Parochus & testes, qui fuerunt adhibiti, non possunt testari de Matrimonio *validè* contracto, nisi iterum adhibeantur. R. Sufficit, quod testari possint de apparenter validè contracto. Ad testem non pertinet deponere de veritate in se, quatenus dependet ab occultis, sed de re, prout per signa externa appáret.

TITU-

TITULUS XVII.

Qui Filii sint Legitimi.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit legitimitas, & legitimatio prolium.*
2. 3. 4. *Quinam liberi censeantur legitimi, vel illegitimi, nempe naturales, spurii, orti ex damnato coitu &c.*
5. *Naturales legitimantur plenè per subsequens Matrimonium, etiam mediatum, modò sit validum: imò legitimari etiam possunt per Rescriptum.*
6. *Quinam, & à quibus legitimari valeant per Rescriptum.*
7. 8. *An, quando, & quomodo Pontifex legitimare possit in ordine ad effectus temporales, v. g. ad successionem hæreditariam.*
9. *Quis sit Judex in causa legitimitatis.*

FInis & effectus præcipuus Matrimonii est procreatio liberorum, qui propter Matrimonium vocantur *Legitimi:* his opponuntur *Illegitimi*, quos nimirum Jura Positiva privant variis favoribus, v. g. statûs paterni, officiorum, dignitatum, successionis in bonis parentum, Ordinum &c. tanquam maculatos ob natalium defectum, scilicet in æstimatione morali propter maculam paterni peccati: quia tamen isti possunt *legitimari*, seu natalibus restitui, ita ut in ordine ad 1

certos effectus habeantur pro legitimè natis, etiam de *legitimatione*, quæ fit vel per subsequens Matrimonium, vel per Rescriptum Principis, aut alterius à Principe potestatem obtinentis, agendum est.

2 Dico 1. Filii (idem est de filiabus. per *l. 116. & 201. ff. de. V.S.*) *Legitimi* hoc loco dicuntur non tantùm, qui ex justis nuptiis, seu Matrimonio verè & re ipsa valido nati sunt, ut tenent omnes ex *l. 6. ff. de his, qui sui vel alieni. & c. 2. h. t.* sed etiam qui ex Matrimonio putatitiè valido procreati sunt, modò una saltem pars tempore contractûs Matrimonialis fuerit in bona fide, nimirum in probabili ignorantia impedimenti dirimentis, & denuntiationes sint præmissæ, ac nemo interdixerit Matrimonium. Communis ex *c. 2. 9. 11. 14. h. t. c. 3. §. siquis de clandest. desponſ.* & ex ratione, quia semper favendum est proli, quantùm fieri potest. *l. 11. C. de natur. lib.* atque attendendum illud tempus, quod proli utilius est. *l. 7. §. de stat. hom.* Unde à contrario pro *Illegitimis* habentur, si uterque contrahens fuit conscius impedimenti, vel affectavit ignorantiam non indagando, licèt ipsis subortum fuerit dubium: si convenerunt clandestinè, vel denuntiationibus absque dispensatione omissis, vel contra interdictum Ecclesiæ. *c. 2. c. 3. citt.* Si *objicias*, liberos ex Matrimonio putatitio natos revera ex fornicatione provenire, consequenter pro fornicariis, & non pro legitimis habendos esse. R. Esse vel dici legitimè natum non est effectus Juris Naturalis, sed Legis humanæ, quæ pro legitimis recipit & agnoscit etiam natos ex Matrimonio putatitiè valido.

Quæ-

Quæres, an proles habenda sit pro legitima, si utrique parenti post contractum bona fide Matrimonium superveniat scientia impedimenti, adeóque mala fides? 2. Si proles jam fuit concepta ante contractum Matrimonium, nata tamen post illud? 3. Si proles sit nata post mortem mariti? 4. Si constet, quòd uxor sæpe commiserit adulterium? R. ad 1. negativè, si concepta sit post malam utriusque fidem, & nata, antequam per dispensationem fuerit sublatum impedimentum; quamvìs pro foro externo, ubi de mala fide forsan non constat, habeatur pro legitima. Ad 2. affirmativè, si inter illas personas, ex quibus concepta est, secutum sit postea Matrimonium. Ad 3. iterum affirmativè, modò tempus nativitatis concordare possit cum tempore conceptionis; quod juxta communem extenditur usque ad undecimi mensis initium saltem, ab obitu mariti computatum, licèt aliàs novem menses à conceptione ad nativitatem prolis sint tempus ordinarium: sicut vice versa etiam septimo mense post initum Matrimonium edita habetur adhuc pro concepta ex marito. Ad 4. rursus affirmativè, nempe in favorem prolis. per *l. 11. cit.* nisi nimirum accedat alia ratio, ex qua manifestè constet, toto tempore intra conceptionem & nativitatem prolis maritum cum sua conjuge copulam carnalem habere non potuisse, ut si fuit absens, aut graviter infirmus. *l. 6. ff. de his, qui sui vel alieni juris.* Cæterùm, quos hìc vocamus *legitimos*, seu *legitimè natos*, sæpe vocantur *naturales & legitimi simul*, ad distinctionem liberorum *adoptivorum*, qui secundùm Jura simpliciter *legitimi* dicuntur, licèt naturales non sint.

4 Dico 2. Illegitimi viciſſim exiſtunt, qui procreati ſunt non ex juſtis nuptiis, ſive non ex Matrimonio verè vel putatitiè valido. Colligitur ex dictis. Sunt in multiplici claſſe, cum aliquo tamen diſcrimine inter Jus Civile & Canonicum. De *Jure Civili* 1. ſunt *naturales*, qui nati ſunt ex fœmina ſoluta, domi inſtar concubinæ detenta. 2. *Spurii*, qui quidem ex ſoluta, non tamen inſtar uxoris ut concubina domi detenta, ſed ex alia, vg. meretrice, paſſim ſe proſtituente, ita ut de patre non conſtet, vel is honeſtè demonſtrari nequeat, nati ſunt, quapropter & *vulgò quæſiti* nominantur, & ſunt quaſi ſine patre. 3. *Orti ex damnato coitu*, quem nimirum ſpecialiter damnant & puniunt Leges Civiles (nam fornicationem ſimplicem, & concubinatum, non puniunt) utì ſunt *adulterini*, ſeu ex adulterio nati, *ſacrilegi*, qui habent unum, vel ambos parentes, voto ſolenni caſtitatis ligatos, qualiter ligati ſunt Religioſi & Moniales, *inceſtuoſi*, quorum parentes conſanguinitate vel affinitate in linea collaterali erant conjuncti, ac *nefarii*, quorum parentes erant vel conſanguinei in linea recta, vel affines, qui ſibi parentum ac liberorum loco ſunt, ut vitricus & privigna, privignus & noverca. De *Jure Canonico* autem *naturales* dicuntur, qui ortum habent ex parentibus ſolutis, inter quos tamen vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio potuiſſet validum Matrimonium conſiſtere, propter abſentiam impedimenti dirimentis, edeóque etiam ſpurii in ſenſu Juris Civilis. per *c. 6. h. t.* quia Jus Canonicum attendit habilitatem ad Matrimonium, neque in puncto facit diſcrimen inter for-

fornicationem & concubinatum, cùm & illam, & hunc (imò hunc magis) prohibeat *can. 4. & 9. caus. 32. q. 4.* Reliqui verò omnes, qui ex parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec intermedio validum poterat Matrimonium consistere propter impedimentum dirimens, adeóque non ex solutis, sed aliquô impedimento ligatis, geniti sunt, de Jure Canonico dicuntur *Spurii*, sive dein sint adulterini, sacrilegi, incestuosi, nefarii &c.

§

Dico 3. Naturales (juxta sensum Juris Canonici accepti, modò sint tales, de quorum patre constare potest) legitimantur plenè pro utroque foro per subsequens Matrimonium, tam mediatum, quàm immediatum, validum tamen, quod postea eorum parentes contrahunt. 2. Imò & legitimari possunt per Rescriptum Principis, vel alterius ad id potestatem habentis. Pars 1. habetur *c. 1. & 6. h. t.* Extenditur etiam ad natos ex concubina. *l. 5. 10. & 11. C. de natural. lib. & Nov. 74. pr.* Sed quoad natos ex fornicatione tantùm, & vulgò quæsitos, adeóque spurios in sensu Juris Civilis, etiam observatur Jus Canonicum in foro Civili, ita ut per Matrimonium legitimentur. Dixi 1. *Naturales*; nam spurii, juxta Juris Canonici sensum dicti, per subsequens Matrimonium non legitimantur. per *c. 6. & l. 10. citt.* probabiliùs tamen legitimari existimo illos spurios, qui nati sunt post obtentam dispensationem in impedimento, item si parentes, vel saltem unus, ignorârunt impedimentum dirimens tempore copulæ, v. g. consanguinitatem suam, vel alterum complicem esse in conjugio actuali: adeóque etiam proles incestuosa &

ad-

adulterina per subsequens fortè Matrimonium inter suos parentes legitimatur; scilicet ob favorem tum prolis, tum Matrimonii; rectè enim propter hanc causam attenditur tempus nativitatis. *l. 11. cit.* & meliùs dicitur, incestum & adulterium debere esse *formale*, & non merè *materiale*, ut proles incestuosa vel adulterina censeatur. Dixi 2. *Legitimantur plenè*, h. e. ita restituuntur natalibus, ut consequantur omnia jura, privilegia, & habilitates, quibus gaudent legitimè nati, wohlbürtige/ Ehrlich gebohrne Kinder/ exceptâ solâ Dignitate Cardinalitiâ, ad quam inhabiles esse voluit Sixtus V. in *Constit.* Postquam *de anno 1590.* item exceptis dignitatibus & officiis, à quibus per speciale statutum vel consuetudinem excluduntur. Dixi 3. *per Matrimonium subsequens*, quod nempe parentes prole jam nata contrahunt; si enim post illud primum nasceretur, per se jam esset legitima. Dixi 4. *Tam mediatum, quàm immediatum*; proin nihil refert, an Titius, qui ex Bertha per fornicationem genuit filium, hanc postea ducat in uxorem brevi vel quantumcunque longo tempore, nec an priùs aliam duxerit, & eâ mortuâ primùm Bertham. Dixi 5. *Validum tamen*; quia, quando Jura tribuunt Matrimonio vim legitimandi, loquuntur de Matrimonio simpliciter, consequenter de vero & valido, non putatitio, licèt bona fide contracto; nam verba, nisi Jus vel ratio aliud exigat, sunt accipienda in proprio sensu: &, quod nullum est, nullum producit effectum, ut habet cõmune brocardicum. Oppositam tamen sententiam graves tenent DD. cum Suar. & Sanch. qui

Obji-

Objiciunt. Proles consetur legitima, quæ nascitur ex Matrimonio putatitio: ergo etiam censenda est legitimata per Matrimonium putatitium; quia ratio, quæ pugnat pro legitimitate, etiam pugnat pro legitimatione, nimirum favor prolis: sicut ergo in priori casu Jus fingit & retrótrahit Matrimonium verum ad tempus conceptionis prolis propter bonam fidem contrahentium in favorem prolis, ita & in posteriori rectè censetur retrótrahi fictione Juris propter bonam fidem in favorem prolis. R. *N. cons.* quia illud prius est clarè expressum in Jure, non posterius: & si hoc posterius admitteretur, duplex daretur fictio, una, qua fingitur, Matrimonium subsequens esse validum, altera, qua fingeretur, illud antecessisse conceptionem vel nativitatem prolis: sed de Jure non datur fictio fictionis; & nulla fictio asseri debet sine claro textu Juris: atqui ex nullo textu appáret, quòd Jus fingat Matrimonium putatitium, quo deberet proles legitimari, esse validum, sicut tamen fingit, Matrimonium bona fide contractum, ex quo per copulam licitam generatur & pro legitima habetur proles, valere: unde & dispar est ratio; nam in posteriori casu proles supponitur per copulam formaliter illicitam esse concepta & nata.

Pars 2. Constat indè, quòd proles etiam spuriæ per Rescriptum legitimari possint, consequenter & à fortiori naturales; quia, cui majus concessum est, etiam minus in eodem genere censetur esse concessum. *c. 27. de Decim.* Et quis neget naturalibus liberis, quod spuriis, quos Jura magis aversantur, indulgetur? Dein legitimatio per subsequens Matrimonium est remedium ordi-

ordinarium: quod præ extraordinario & subsidiario, quale est legitimatio per Rescriptum, adhibere oportet. *Nov. 74. c. 1. Nov. 89. c. 9.* Unde in supplicatione pro legitimatione per Rescriptum exprimi debet, an per subsequens Matrimonium legitimatio fieri possit, vel non. Covarruv. de *Matrim. p. 2. c. 8. §. 9. n. 6.* Si enim possit, non facilè obtinetur per Rescriptum Pincipis legitimatio. Quòd autem legitimatio per Rescriptum non sit tam plena, & in ordine ad omnes effectus, sicut legitimatio per subsequens Matrimonium, patet ex eo, quia sic legitimantes vel non possunt, vel non solent legitimare quoad omnes effectus, utì clarescet ex dicendis. Quare

6 Dico 4. Quamvìs Princeps Summus, & qui ab eo ad id potestatem acceperunt, legitimare possit. 2. Etiam spurios & ex damnato coitu ortos. 3. Non tamen, nisi sibi subditos, & respectu rerum sibi subditarum. 4. Ac prævià supplicatione patris, vel instantiâ illegitimi. 5. Etiam cedente, saltem ordinariè, consensu liberorum vel fratrum legitimorum, si adsint, & legitimatio sit ad successionem. 6. Nec se talis legitimatio extendit ad alios effectus, quàm quos exprimit legitimans, & quos tribuendi potestatem habet: nam Princeps Sæcularis legitimare non potest, nisi in ordine ad sæcularia, & pro foro Civili, v. g. ad successionem hæreditariam, ad opificia, officia, & dignitates sæculares, ad consequendam nobilitatem & familiam patris: Ecclesiasticus autem solùm ad spiritualia, & pro foro Canonico, v. g. ad Ordines, Officia, Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas, saltem regulariter & directè. In

DD.

DD. communiter ex *c. 13. h. t. l. 3. ff. de natal. restit. Nov. 74. c. 1. & 2. Nov. 89. c. 9. 10. & 11.* & ex ratione, quia talis legitimatio est actus jurisdictionis voluntariæ. Ex quibus apparet, legitimationem per subsequens Matrimonium in multis differre à legitimatione per Rescriptum Principis, cùm in illa non alia requiratur conditio, quàm ut inter parentes subsequatur Matrimonium validum, eáque sit longè plenior & universalior, extendens se ad omnes effectus, tam Civiles quàm Canonicos. Cæterùm quamvis de Jure Communi potestas legitimandi per Rescriptum competat soli Principi supremo, Superiorem pro suo foro non recognoscenti, licèt & ipse non in plus legitimare censeatur, quàm exprimat, maximè in ordine ad successionem in præsentia liberorum vel fratrum legitimorum, non obstante, quòd spectata plenitudine potestatis absolutè possit; ordinariè tamen non soleat (quare & hæc circumstantia in petitione exprimi debet, uti & qualitas illegitimitatis) de consuetudine tamen competit etiam Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii at non nisi pro suis territoriis, item concedi solet & aliis in foro Civili, qui vocari solent *Comites Palatini* (quo modo & nostræ Facultati Juridicæ Ingolstadiensi concessit Ferdinandus II.) at limitatè tantùm, v. g. ad opificia, & officia minora, non verò legitimandi filios Nobilium & ad consequendam nobilitatem, ad successionem in feudis, vel aliis bonis in præsentia legitimorum &c. proin inspiciendus est tenor privilegii. In foro autem Canonico Papa indulget privilegium legitimandi Legatis Apostolicis, & quandoque etiam Proto-Notariis.

Quæ-

7 Quæres, an Summus Pontifex nunquam legitimare extra ſuum territorium temporale valeat in ordine ad effectus temporales, v. g. ad ſucceſſionem hæreditariam? Antequam reſpondeam, diſtinguo duos caſus, primus eſt, ſi inter parentes illegitimè nati nunquam coaluit Matrimonium: alter, ſi inter parentes contractum eſt Matrimonium, at invalidum propter impedimentum Juris Eccleſiaſtici, v. g. conſanguinitatis. Jam ℟. ad 1. caſum, regulariter & directè non poteſt propter defectum jurisdictionis; poteſt tamen extraordinariè & indirectè, quando cauſa valde ardua, periculum Religionis Catholicæ concernens, v. g. ſi in integro regno vel provincia periclitaretur Religio, niſi filius Principis illegitimus habilitaretur ad ſucceſſionem in tali provincia. Catholici DD. comuniter tum propter textum in *c. 13. h. t. v. verùm etiam.* tum propter generalem poteſtatem Pontifici à Chriſto datam ſolvendi & ligandi, ac oves Chriſti paſcendi in ordine ad ſalutem æternam. *Matth. 16. & Jo. 21.* ℟. ad 2. caſum: ſi velit Pontifex diſpenſare *in radice Matrimonii*, ut loquuntur, idque exprimat, tollendo nimirum retro impedimentum dirimens, h. e. non ſolùm pro *nunc*, ſeu pro tempore, quo diſpenſat in impedimento, ſed etiam *pro tunc*, ſeu pro tempore, quo Matrimonium fuit contractum, ita ut fictione Juris declaret, nullum tempore contracti Matrimonii adfuiſſe impedimentum, omnino poteſt. Ita paſſim Catholici cum Sanchez *de Matrim. l. 8. d. 7.* & Rota Romana in recent. *p. 2. deciſ. 287. & p. 17. deciſ. 377. n. 56. ſeqq.* contra Nav. & Perez. Probatur: illegitimus prolis pro utroque foro deſcendit ex illegitimi-

tate

tate Matrimonii: sed in potestate Pontificis est legitimare Matrimonium, seu reddere validum, ubi solum adest impedimentum Juris Ecclesiastici, & quidem etiam retro, ut fictione Juris censeatur initio contractum sine tali impedimento, ut patet ex *Clem. un. de Immunit. Eccles.* item ex communi regula, quòd id à Jure fingi possit, quod potest vel potuit esse. Barb. & Tabor in *locis commun. l. 6. c. 13. axiom. 2. limit. 3. & axiom. 5. inf.* quo casu idem operatur fictio, quod operaretur veritas. *axiom. 5. cit.* ergo Pontifex potest ad effectus utriusque fori, etiam Civilis, saltem indirectè, legitimare; si dispensare velit in radice Matrimonii, idque satis exprimat; quod facere censetur, *si prolem declaret legitimam ex tunc:* vel dicat, *habeatur legitima ex tunc:* vel, ut aliqui volunt, si sciens, prolem ex Matrimonio invalido susceptam esse, dispensèt, ut parentes in eo permanere possint. *Confirmatur:* sicut Pontifex, constituendo impedimentum dirimens, efficere potest indirectè, ut proles, ex tali Matrimonio nata, sit etiam illegitima quoad temporalia, ita & contrarium efficere poterit tollendo impedimentum, & dispensationem retrotrahendo, ut proles sit legitima etiam quoad temporalia. Sanch. *d. 7. cit. n. 1.* cum Molina.

Objic. 1. Factum infectum fieri nequit: ergo, si 8
Matrimonium ab initio fuit nullum & invalidum, Papa dispensando nequit contrarium efficere. 2. Papa non potest prolem ex fornicatione natam, quando nec invalidum præcessit Matrimonium, legitimare ad effectus civiles: ergo neque, quando præcessit Matrimonium invalidum, quia nul-

lum præceſſiſſe Matrimonium, & invalidum, pa-
ria ſunt. 3. Teſte Nav. *conſ. 2. h. t.* Gregorius XIII.
reſpondit, ſe non poſſe diſpenſare in radice Ma-
trimonii. R. ad 1. quod probaret nimium, nem-
pe prolem, ſemel illegitimè natam, nec per ſub-
ſequens Matrimonium legitimari, quod eſt con-
tra clarum textum in *c. 6. h. t.* & contra omnes
diſt. antec. factum non poteſt fieri infectum phy-
ſicè & in veritate. *C. ant.* moraliter & fictione ju-
ris. *N. ant.* & *conſ.* nam hoc poſterius fieri poſſe
conſtat etiam ex Jure Civili. *§. 5. Inſt. quib. mod.*
jus pat. pot. ſolv. l. 12. §. 5. l. 16. ff. de captiv. & post.
lim. reverſ. Ad 2. *N. conſ. & parit.* In priori casu,
ubi nullum præceſſit Matrimonium, nihil dare-
circa quod poſſet exercere ſuam jurisdictionem
Papa, & in re ſibi non ſubjecta diſponeret tribue-
do effectum à ſolo Jure Civili dependentem, ac-
eóque ad effectum civilem legitimaret directè
quod ipſi nullo Jure eſt conceſſum, atque ideo ad
præced. negavimus Pontifici poteſtatem legitiman-
di ad effectus civiles directè & ordinariè. At in
poſteriori exercet jurisdictionem circa Matri-
monium ſuæ jurisdictioni ſubjectum, & circa
legem propriam, qua ſtatuit impedimentum diri-
mens, illam revocando, quoad perſonas invalidè
contrahentes, retro & pro tempore initi Matrimo-
nii: qua lege & impedimento retro ſublatis cen-
ſat illegitimitas etiam pro foro Civili. Ad 3. Ego
in mea editione non reperi hoc Navarri teſtimo-
nium: ſi id alicubi habeat Navar. non de poſi-
ſtatis Pontificiæ, ſed de ſufficientis cauſæ defectu
intelligendum eſt.

6 Dico 5. Judex competens in cauſa natalium &
legi-

legitimitatis est Ecclesiasticus privativè, sivè dein principaliter sive incidenter ea deducatur in Judicium. Communis & certa ex *c. 5. & 7. h. t.* quia decisio dependet à valore vero vel putatitio Matrimonii, quod est unum ex 7. Sacramentis, adeóque causa spiritualis.

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

SUMMARIUM.

1, 2. *Quinam, & quo ordine, accusare seu impugnare possint Matrimonium.*
3. *Conjugibus Impedimentum allegantibus an credendum.*
4. *Quis sit Judex in causis Matrimonii, & annexis.*

Accusare non sumitur hìc strictè pro accusatione criminali, sed pro *impugnare*, quod fieri potest 1. ad impediendum Matrimonium, necdum contractum, quod omnibus permissum, imò præceptum est, qui nôrunt aliquod impedimentum inter contrahere volentes: de quo tamen hìc non agitur. 2. Ad semel contractum rursus dissolvendum vel quoad ipsum vinculum. 3. Vel quoad thorum & cohabitationem. 1

Dico 1. In ordine ad dissolvendum Matrimonium totaliter & quoad vinculum accusare (& contra illud testificari) regulariter possunt omnes 2

non ſuſpectæ fidei, ſine ulla præfinitione tempo-
ris, ſervato tamen aliquo ordine. 2. Niſi impe-
dimentum, propter quod impugnatur Matri-
monium, ſit impotentia, vel defectus conſen-
ſûs unius; tunc enim ad ſolos pertinet conjuges
Pars 1. ſumitur ex *c. 3. & fin. h. t.* De Jure Ca-
cis omnes quidem extranei, & non conſanguinei,
ab accuſando videntur arceri. *l. 30. C. ad L. Ju.*
de adult. non tamen de Jure Canonico in *citt. l.*
Dixi 1. *Quoad vinculum*; nam in ordine ad divor-
tium quoad thorum & menſam ſolus conjunx, h
quidem innocens. per *c. 4. de adult. & c. 5. d*
procurat. Dixi 2. *teſtificari*; modò non ſint abſen-
tes, & teſtimonium ferre (vel accuſare) non pe
litteras velint. *c. 2. h. t.* Dixi 3. *regulariter*; qu
enim tempore denuntiationum Matrimonio pr
miſſarum tacuit, non admittitur ad accuſandu
per ſe ipſum. *c. fin. cit.* niſi probet, ſe tunc igno-
râſſe impedimentum, & dolô non agere. Dixi 4.
Sine ulla præfinitione temporis; adeóque etiam
poſt 30. vel 40. annos, cùm agatur de vitando
peccato: qua de cauſa nec ſententia pro vel con-
tra valorem Matrimonii lata unquam tranſit in re
judicatam. Dixi 4. *Servato tamen aliquo ordine*;
nam poſt maritum præ cæteris admittendi ſunt pa
rentes conjugum, tum proximiores conſanguinei
præſertim ſi objiciatur impedimentum conſangui
nitatis vel affinitatis &c. *c. 3. cit.* quia præ cæte-
ris majorem cenſentur habere notitiam, & ipſo-
rum intereſt magìs quandoque. Pars 2. fundatur
in *c. 4. & 5. de frigid.* ubi permittitur conjugibus
impotentiâ laborantibus cohabitare inſtar fratris
& ſororis, ſi velint: item in *c. 4. h. t. c. 2. & fin.*

de

de conjug. servor. & in hac ratione, quia illi, qui priùs debitum consensum ratione erroris, metûs, simulationis non posuit, integrum manet de novo consentire, suóque favori, vel actioni renuntiare: si igitur impedimentum sit tale, quod solum favorem respiciat conjugum, his solis permittitur meritò impugnare Matrimonium, nisi forsan ex metu reclamare non audeant ipsi.

3 Quæres, an in Judicio credendum sit conjugibus, si unus vel uterque asserat, seu confiteatur, inter se dari impedimentum dirimens, vel non dari? R. Si petant Matrimonium dissolvi, & alio modo non probent impedimentum, non est ipsis credendum propter periculum collusionis. *c. 5. de eo, qui cognovit.* Si verò non petant dissolutionem, sed dispensationem in impedimento, oportet ipsis credi.

4 Dico 2. In Causis Matrimonii, eíque connexis, nempe Sponsalibus, impedimentis, conjugum juribus & obligationibus, sive principaliter sive incidenter in Judicium deducantur, Judex competens est Ecclesiasticus privativè, nimirum Episcopus, ejus Vicarius vel Generalis vel Specialis, Capitulum Sede vacante. Trid. *s. 24. can. 12. de Sacram. Matrim. & c. 20. de ref. cit. sess. junct. Clem. 2. de Jud. c. 1. de frigid. c. 11. & 14. de Majorit.* Sed *Objic.* Causa dotis, alimentorum, hæreditariæ successionis, est causa Matrimonio connexa, & tamen pertinet ad forum sæculare: ergo & Sponsalia, Matrimonii impedimenta &c. R. *N. cons. & parit.* quia illæ causæ manent merè temporales, licèt aliquo modo, extrinsecè, vel per accidens respiciant Matrimonium:

econtra Sponsalia, impedimenta &c. respiciunt Matrimonium per se, & intrinsecè.

TITULUS XIX.

De Divortiis.

SUMMARIUM.

1. *Divortium quid, & quotuplex.*
2. 3. *Matrimonium Christianorum consummatum est indissolubile quoad vinculum.*
4. 5. *Ratum verò solvi potest non solùm per Professionem Religiosam, sed etiam per dispensationem Pontificis.*
6. *Nulliter contractum debet dissolvi, & quomodo.*
7. 8. *Divortium perpetuum quoad thorum & cohabitationem manente vinculo, institui propter adulterium potest; quando, & quomodo.*
9. *Divortium verò temporale etiam ob alias causas.*
11. *A quo ex conjugibus separatis alendi sint liberi.*

1 DIvortium est legitima mariti & uxoris separatio. Si hæc fiat quoad vinculum Matrimoniale, vocatur *dissolutio*: si precisè quoad thorum & mensam, zu Beth und Tisch / vel quoad cohabitationem, dicitur *divortium* specificè, aliúdque est *perpetuum*, & aliud *temporale*.

2 Dico 1. Matrimonium Christianorum secundum validè contractum, & consummatum (nempe per

per copulam carnalem perfectam) in novo testamento est indissolubile quoad vinculum, licèt unus conjugum commiserit adulterium, adeóque per solam mortem dissolvi potest. Est de fide ex Trid. *24. can. 5. 7. de Sacr. Matr.* & textibus Scripturæ sacræ: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam à viro ducit, mœchatur. Luc. 16. v. 18.* Similia habentur *Marc. 10. Matth. 19. v. 6. & 9.* Item *1. Cor. 7. v. 10. 11.* quos textus Ecclesia intelligendos declarat de Matrimonio consummato. Accedit, quòd juxta *c. 5. Eph.* & communem interpretationem Matrimonium consummatum significet conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanæ, quæ conjunctio est indissolubilis; & quòd Christus in novo Testamento sustulerit *libellum repudii*, seu licentiam repudiandi uxorem propter adulterium, olim Judæis concessam. *Matth. 5. v. 32. & c. 19. v. 8. 9.* Proin innegabile est, tale Matrimonium in novo Testamento pro omni casu esse saltem Jure Divino (si non Naturali) insolubile quoad vinculum, consequenter nulla auctoritate humana, etiam Pontificia, dissolvi posse. Extendit se assertio non solùm ad Matrimonia Hæreticorum, qui sunt Christiani, sed etiam Infidelium, seu non baptizatorum, excepto unico casu, quo unus infidelium se convertit ad Fidem Catholicam, alter autem ei cohabitare non vult, vel non sine injuria Creatoris, ut habet communis interpretatio textûs S. Pauli in *1. Cor. 7. v. 15.*

Objic. 1. & principaliter: Christus *Matth. 5.* 3
dixit: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, ex-*

ceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Idem repetit *Matth. 19.* inquiens: *quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ergo à contrario, qui ob causam fornicationis, seu adulterii, dimittit uxorem, & aliam ducit vel dimissam ducit, non adulterat, non mœchatur: ergo Matrimonium dissolvitur propter fornicationem uxoris quoad vinculum; quia Pharisæi interrogabant Christum de omnimoda dissolutione Matrimonii. Hos duos textus valdè urgent Hæretici. 2. In *l. 1. 2. & c. ff. de divort. & l. 8. C. de repud.* passim permittitur dissolutio Matrimonii quoad vinculum vel mutuo consensu, vel per libellum repudii, ex variis causis dato: ergo. 3. Hæretici intendunt contrahere Matrimonium non in ratione Sacramenti, sed tantùm in ratione contractûs Civilis, adeóque solubiliter juxta suæ Sectæ principia, & morem loci; atque ideo passim permittunt dissolvi Matrimonia, & quidem non solùm propter fornicationem, sed etiam propter absentiam, & inobedientiam conjugis in reddendo debito conjugali, aut propter mutationem Religionis &c. ergo. R. ad 1. Verba Christi accipiunt explicationem tum ex verbis recitatis *Luc. 16.* & *Marci 10.* ubi sine ulla exceptione fornicationis prohibetur dimissio uxoris ita, ut alia, vel dimissa ab alio duci non possit validè, consequenter dissolutio quoad vinculum prohibetur: tum ex *1. Cor. 7.* ubi S. Paulus ait: *iis, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere* (En! absolutè loquitur) *quòdsi discesserit* (nempe ex justa cau-

causa adulterii à viro comissi, propter quam licet instituere divortium quoad thorum) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari*: ergo nec propter causam fornicationis licet aliud inire Matrimonium: tum ex universali Ecclesiæ & SS. PP. interpretatione: tum ex ipso ordine verborum observato à Christo; non enim post verba, *qui dimiserit uxorem propter fornicationem, vel ex causa fornicationis*, posuit verbum *adulterat, mœchatur*, sed post verba, *dimissam duxerit, aliam duxerit*: ergo indicavit, licere propter fornicationem dimittere uxorem, scilicet quoad thorum, at non aliam ducere, aut dimissam ducere sine adulterio, consequenter manere adhuc vinculum Matrimoniale; aliàs enim ducens aliam non adulteraret, non mœcharetur. Imò *Matth. 5. & 19.* Christus clarè sustulit libellum repudii, Judæis permissum *propter duritiam cordis* eorum, *ab initio enim non erat sic*, addens verba: *dictum est antiquis: quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem* &c. Ergo Christus aliud ordinavit, quàm Moyses, & reduxit Matrimonium ad statum primævum, ubi à DEO ita institutum est, ut, *quod DEUS conjunxit, homo non separet.* Judæi duo interrogabant Christum, unum, *an liceat dimittere uxores*, alterum, *an propter quamcunque causam*, intelligendo de omnimoda dissolutione? Respondit Christus ad utrumque, concedendo dimissionem propter unicam causam fornicationis, at negando licentiam ducendi aliam, & sic permisit divortium quoad thorum, at non dissolutionem omnimodam Ma-

trimonii seu quoad vinculum. Ad 2. Jus Civile in materia spirituali, qualis est Matrimonium, post quam à Christo elevatum est ad rationem Sacramenti, nihil potuit disponere. Dein Jus receptius in *Nov. 117. c. 8.* videtur correxisse antiquas Leges, & solùm propter causas ibi expressas indulgere conjugem *domo expellere*, adeóque separationem quoad thorum, & lucrari dotem, vel donationem propter nuptias concedere. Ad 3. Hæretici, nisi explicitè & prorsus malitiosè velint contrahere Matrimonium aliter, quàm Christus instituit, quod non est præsumendum, censetur contrahere Matrimonium eo modo, quo Christus contrahi voluit, adeóque in ratione Sacramenti & insolubiliter: quæ intentio generalis prævalet erroneæ persuasioni, qua putant, Matrimonium non esse Sacramentum, & esse solubile. Dein Matrimonium non est insolubile ratione Sacramenti, aliàs & Matrimonium Ratum esset insolubile, sed ratione significationis ipsi inditæ à Christo *Eph. 5.* quia significat indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia.

4 Dico 2. Matrimonium Ratum, seu validè quidem contractum, at per copulam carnalem non consummatum, etiam quoad vinculum dissolvi potest per Professionem Religiosam unius conjugum ita ut alter aliud validè & licitè ineat. 2. Imò longè probabiliùs etiam per dispensationem Pontificis. Pars 1. iterum est de fide, definita in Conc. Trid. *s. 24. can. 6. de Sacram. Matr.* & jam ante declarata *c. 2. & 7. de convers. conjug.* Pars 2. quam sustinent Canonistæ ferè omnes excepto Pontiô & P. Reiffenstuel *h. t. n. 3.* imò Theolo-

rū

recentiores passim contra plerosque antiquos, *prob. 1.* solidè sic: Professione Religiosa dissolvitur Matrimonii Rati vinculum: ergo & dispensatione Pontificis dissolvi potest, tum quia Professio Religiosa hanc vim obtinet ex Jure Ecclesiastico, adeóque auctoritate Pontificis, à quo leges Ecclesiasticæ & definitiones totam suam vim consequuntur, tum quia Pontifex per dispensationem tollere potest vinculum ipsius Professionis Religiosæ: ergo etiam vinculum Matrimonii Rati, juxta notum axioma: *si vinco vincentem te, multò magis vinco te. arg. l. 14. §. 3. ff. de divers. & tempor. præscript.* Dein prob. 2. ab actu ad potentiam; nam actu jam sæpius dispensârunt Pontifices in Matrimonio Rato, uti Gregor. VII. Adrian. IV. Martin. V. Eugen. IV. Paul. III. Jul. III. Pius IV. Pius V. Gregor. XIII. qui uno die undecies dispensâsse refertur à Clericato *de Sacram. Matrim. decis. 15. n. 27. seqq.* Clem. VIII. Paul. V. Urb. VIII. Innoc. X. & novissimè anno 1720. Clemens XI. asserere autem tot & tantos Pontifices in re tanti momenti errâsse prorsus temerarium & periculosum esse videtur.

Objic. 1. Matrimonium Ratum Jure Naturali, vel saltem Divino, est contractus insolubilis: ergo nihil in eo potest auctoritas humana, *quod DEUS conjunxit, homo non separet. Matth. 19. 2.* Matrimonium Ratum non differt substantialiter à consummato, nam *nuptias non concubitus, sed consensus facit. l. 30. ff. de R. J.* Sed in consummato dispensare nequit Papa: ergo. 3. Innoc. III. in *c. 14. de convers. conjug.* dicit, Matrimonium *de præsenti* contractum viventibus personis *in nullo casu posse* dissol-

dissolvi, nisi fortè secus fieret ex revelatione Divina. 4. Innoc. VIII. & Adrian. VI. ingenuè fassi sunt, se dispensare non posse: ergo. R. Retorquendo imprimis hæc omnia in Professione Religiosa, & actuali tot Pontificum dispensatione. In forma ad 1. *dist. antec.* Est insolubilis Jure Naturali, aut saltem Divino, conditionato tantùm, nisi nempe DEUS, in cujus dominio sunt corpora humana, & eorum jura quæsita, dederit Pontifici tanquam suo in terris Vicario potestatem dissolvendi. *C. ant.* absoluto. *N. ant.* Ad 2. *N. Cons. & parit.* nam absoluta indissolubilitas Matrimonii consummati fundatur in significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia, vel unionis hypostaticæ cum natura humana, quæ conjunctio est insolubilis: econtra conjunctio Christi cum anima fideli per gratiam & charitatem, quam conjunctionem significat Matrimonium Ratum, est solubilis, videlicet per peccatum mortale. Ad 3. Innoc. III. id ibi non dicit assertivè, sed per modum rationis dubitandi, præmittens, *etsi possit videri;* quâ tamen nihil motus ipsemet statuit Professione Religiosa, adeóque in aliquo casu sine speciali revelatione DEI, posse dissolvi Matrimonium Ratum. Vel dic, Pontificem insinuare duntaxat voluisse, quòd per mutuum conjugum dissensum dissolvi nequeat. Ad 4. fassi sunt, se dispensare non posse ob defectum causæ, quæ ipsis non videbatur sufficiens. *transeat* (necdum enim satis probata est hæc confessio) ob defectum potestatis. *N. ant. & cons.*

6 Hucusque locuti sumus de Matrimonio valido: si enim invalidè esset contractum, sive Ratum sive Consummatum, necessariò deberet fieri dissolutio;

tio, vel separatio conjugum (si nollent impetrata dispensatione illud restaurare, vel cohabitare instar fratris & sororis) quam tamen publicè & sine authoritate Judicis Ecclesiastici, probatô plenè impedimentô nullitatem declarantis, facere prohibentur ipsi conjuges, licèt, postquam impedimentum ipsis innotuit, occultè teneantur à thoro separationem instituere

Dico 3. Divortium, idque perpetuum (manente vinculo Matrimonii) ita ut aliud contrahi non possit, regulariter instituere licet conjugi innocenti propter alterius, viri aut fœminæ, ut ut invitæ vel reconciliationem petentis, fornicationem seu adulterium, h. e. propter copulam carnalem perfectam cum alio aut alia habitam, satisque cognitam. Ita omnes tum ex Jure Naturali, quod non adstringit innocentem alteri, fidem violanti, & fœdus, quo conjuges debent esse *duo in carne una Gen.* 2. rumpenti, tum ex Divino Christi Domini *Matth. 5. & 19.* tum ex Ecclesiastico *c. 4. 5. 8. h. t.* Dixi 1. *instituere*, nempe propria auctoritate, si tamen publicè vellet divertere, vel nocentem domo expellere, deberet adulterium esse notorium publicè, vel, si esset occultum, coram Judice Ecclesiastico probari, & divortium peti. *c. 4. h. t. c. 9. de Sponsal.* Dixi 2. *Innocenti:* nam pars adulterii rea non potest divertere, si toleretur, imò, licèt dimissa sit, semper tenetur redire ad consortium Matrimoniale, quandocunque innocens petierit. Dixi 3. *Satis cognitam*, h. e. saltem moraliter certam, vel publicè, vel privatim, vel per legitimam probationem in Judicio; ad quam probationem vel certitudinom efficiendam, 7

dam, cùm adulteria perpetrari soleant in occulto, atque ideo difficilis sint probationis, sufficiunt præsumptiones violentæ, in indiciis delicto valde vicinis & ordinariè conjunctis fundatæ, ut si uxor aliàs suspecta, deprehendatur sola cum solo, de nocte, & in loco ad peccandum apto. Imò notant DD. in *c. 12. de Præsumpt.* cum Covarr. & Farinac. *Prax. Crim. de delict. carn.* quòd oscula, tactus impudici &c. quamvis se solis non æquiparentur adulterio ad divortium sufficienti, in quibusdam tamen circumstantiis possint fundare violentam præsumptionem adulterii, & sufficere, si non ad condemnationem criminalem, saltem ad divortium. Dixi 4.

Regulariter; nam nec ob adulterium semper conceditur divortium, utì 1. si adulterium non fuit formale, h. e. non scienter vel non liberè commissum, ut si maritus cum alia, quam bona fide credebat suam esse conjugem, concubuit: si uxor justis ex causis putavit, maritum suum jam esse demortuum, & alteri nupsit: si per violentiam fuit oppressa &c. an verò hoc etiam procedat, si per metum gravem fuit adacta, disputatur: mihi spectato rigore probabilior videtur affirmativa; quia talis metus non tollit peccatum coram DEO, ut insuper jus divertendi, utpote non solùm Jure Ecclesiastico, à quo observando excusare posset metus, sed etiam Jure Divino & Naturali est concessum: rectè tamen ex charitate non dimittitur uxor talem metum passa. 2. Si adulterium & illata indè injuria ab innocente adulterii consensu fuit remissa vel expressè, vel tacitè, petendo aut reddendo debitum conjugale amplexando, osculando,

lando, aut alia familiaritatis vel amoris signa specialia exhibendo, v. g. per jocos, lusum &c. 3. Si una pars alteri dedit causam adulterii saltem indirectè, v. g. diu denegando debitum conjugale, consentiendo, vel non impediendo, cùm facilè posset, adulterium, illud suadendo &c. 4. Si postea etiam priùs innocens labatur in adulterium, & fornicetur apertè vel occultè, quia paria delicta mutuâ compensatione tolluntur. *c. 4. 5. & 8. h. t. t. fin. de adult.* Id quod probabiliùs etiam procedit, si divortium priùs per sententiam Judicis fuisset factum. Covarruv. uterque Barbos. Gonzal. Clariss. P. Böckn *ad h. t. n. 28.* me citato, contra Panormit. Sanch. Guttier. & Laym. quia, sicut ipsum adulterium & Jura, ita & sententia Judicis, non absolutè tribuit jus divertendi, sed solum conditionatè, nisi nempe & innocens postea simile delictum committat, & pariter violet fidem conjugalem, fiátque nocens & reus.

Objic. 1. Si adulterium præbeat causam instituendi divortium perpetuum, seu per totam vitam, ita ut nunquam teneatur innocens recipere nocentem, licèt supplicet, & reconciliari seriò petat, utì communissimè docent Auctores, licebit utrique conjugi mutare statum, & ingredi Religionem: sed hoc videtur falsum; cùm sic ponatur impedimentum, ut ipsis nec liceat unquam utì Matrimoniô, & cohabitare, quod videtur repugnare Matrimonii naturæ: ergo. 2. In *c. 3. de adult.* habetur, *quòd si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet iste, sed non sæpe, recipere peccatricem.* ergo. 3. Christus solummodo viris dedit potestatem dimit-

8

mittendi uxores propter fornicationem. *Matth. 5. & 19.* ergo uxoribus id non licet. 4. Separatio conjugum non potest fieri propria auctoritate & sine judicio Ecclesiæ. *c. 3. h. t.* ergo innocens non potest propria auctoritate divortium instituere, cùm in propria causa sibi jus diceret. Ad 1. Utrique non licet, sed solùm innocenti, hoc ipso quòd perpetuò possit nocentem excludere à thoro, ut plerique docent, & meritò. Nocenti verò, quia semper paratus esse debet ad revertendum, si exigatur, non licèt ponere impedimentum, quamdiu spes supereſt reconciliationis, aut non impetrat licentiam ab innocente mutandi statum. Ad 2. Per illud *debet* non intelligitur debitum *necessitatis*, sed *honestatis*, vel, si uxor certo incontinentiæ periculo exponatur, & vir per reconciliationem nullum immineat grave incommodum, etiam *charitatis*. Ad 3. Christus fuit solùm interrogatus de viris: cùm verò eadem ratio violatæ fidei conjugalis pugnet pro fœminis, etiam his licet se separare à viris quoad thorum, quod etiam satis expressit S. Paulus *1. Cor. 7.* & *c. 2. 4. 5. h. t.* atque DD. omnes agnoscunt. Ad 4. Distinguitur inter separationem quoad vinculum propter impedimentum dirimens, de quo loquitur *c. 3. cit.* & hæc necessariò fit auctoritate Judicis Ecclesiastici; atque inter separationem quoad thorum, quam pro foro interno licet propria auctoritate instituere, imò & pro externo, si adulterium est publicè notorium. *c. 4. h. t. & c. 9. de Sponsal.*

9 Dico 4. Divortium temporale, nimirum quamdiu durat causa, quoad thorum & cohabitationem

bitationem licet instituere innocenti ex sequentibus causis. 1. Ob adulterium spirituale, seu lapsum unius in hæresim, vel apostasiam à tota fide Christiana, *c. 6. & 7. h. t.* 2. Ob periculum animæ. *can. 5. caus. 28. q. 1. & c. 2. h. t.* ut si unus conjugum compartem vehementer instiget ad grave peccatum v. g. sodomiam, apostasiam, veneficium, furtum &c. non tamen, si conjunx sit quidem sceleratus, compartem tamen non incitet, ad scelera. 3. Ob periculum vitæ, vel corporis, ut si unus struat insidias vitæ alterius, si meritò timeat infectionem ex contagioso alterius morbo, v. g. lepra, lue Venerea &c. 4. Ob sævitiem v. g. mariti, nimis crudeliter tractantis vel verberantis conjugem. per *c. 8. & 13. de restit. spol.* si periculum sit in mora, statim propria auctoritate fugere potest uxor, ut nempe evadat in tempore periculum, si nempe ex circumstantiis vel minis haud vanè metuit immoderata verbera, percussionem sanguinolentam, vulnus, vel mutilationem &c. præsertim si fœmina sit nobilis, debilis, aut aliàs morigera; nec tenetur redire, nisi vir credatur esse placatus, aut sufficienter caveat de non offendendo vel lædendo per fidejussores, pignora, vel saltem per juramentum: si tamen propter improbitatem viri non satis confidi possit ejus juramento, hæc cautio non censetur idonea, & uxor marito restitui non debet, uti nec, si fidejussoria, vel pignoratitia credatur non suffectura. Et hæc cautiones adhiberi debent etiam in casu, quo uxor nondum fugit, querelas tamen apud Judicem deponit de sævitia viri, & suo periculo, idque satis probat. Poterit etiam Judex alio freno coërcere

cere insolentiam viri. §. Probabiliter etiam ob valde molestam cohabitationem, v. g. propter perpetua jurgia, discordias, rixas, ex unius inveterata improbitate non facilè cessaturas. Dic cum Sanch. *de Matrim. l. 10. d. 18. n. 11.* quia indè periclitatur salus animæ & corporis. Sed opus est auctoritate Judicis Ecclesiastici, sicut in præcedentibus causis, ubi in mora non est periculum, & causa non notoria, scilicet ad evitandum scandalum. *Objic.* Christus *Matth. 5. & 19.* propter solam fornicationem, seu carnis adulterium, permisit divortium. Idem videtur statuere *can. 22. caus. 32. q. 5.* ergo propter alias causas non est licitum. R. Christus & *can.* cit. loquuntur solùm de divortio perpetuo: per hos autem non excluserunt divortia temporalia ex aliis causis instituenda.

10 Quæres, apud quem ex conjugibus divortio separatis, & cujus sumptibus, alendi sint liberi? R. 1. Apud eum, & expensis illius, qui seclusâ delictô & divortiô tenebatur ad expensas educationis. R. tamen 2. In pœnam delicti per sententiam Judicis auferendæ sunt proles à delinquente, & apud insontem educandæ, nutriendæ autem expensis delinquentis, modò tantas habeat facultates, licèt seclusô delictô non fuisset obligatus. *Auth. Pater C. divortio facto. Nov. 117. n. 7.* Vid. latiùs Sanchez *d. l. 10. d. 20.*

TITU.

TITULUS XX.

De Donationibus inter Virum & Uxorem, & de Dote post divortium restituenda.

SUMMARIUM.

1. *Donatio inter virum & uxorem: dos: & contra-dos quid.*
2. *Donatio inter conjuges an & quomodo sit invalida.*
3. *Dos, & contra-dos, soluto quoad vinculum Matrimonio cui cedat.*
4. *Uti & bona paraphernalia, communia, acquæstus, Morgengeba, & dotalitium.*
5. *Dotem, vel donationem propter nuptias, institutô propter adulterium divortiô, lucratur Pars innocens regulariter.*

1. *Donatio inter virum & uxorem* vocatur, quando vel vir uxori, vel uxor viro, durante Matrimonio aliquid dat cum animo transferendi dominium. Si id fiat ex mera liberalitate, dicitur *gratuita*, & est propriè dicta donatio: si ex alia causa, v. g. remunerationis meritorum, gratitudinis ob beneficia, mortis &c. appellatur *remuneratoria, antidoralis, mortis causâ* &c. & in sensu stricto donatio non est. *Dos*, objectivè sumpta, Heurath-Gut/ Braut-Schatz/ est pecunia vel alia res pretiô æstimabilis, quam uxor viro ad sustinenda Matrimonii onera, nempe

ad alendam uxorem, liberos, & familiam, affec
Communis ex *l. 10. ff. & l. 20. C. de jur. dot.* S
res illa jam fuit tradita, vocatur dos *constitut*
si provenit à patre, qui ante omnes tenetur dotar
filiam, avo, vel alio ex ascendentibus paterni
nuncupatur *profectitia*, si ex bonis maternis, v
ipsius uxoris, vel extranei, *adventitia:* si consis
in parata pecunia, vel in alia re certô pretiô tan
ta, vocatur *æstimata:* si in re immobili, certô pr
tiô non taxata, *inæstimata*. Dotis in pecunia re
re fungibili consistentis, & æstimatæ æstimatio
venditionem faciente (quæ hoc operatur, ut solu
tô Matrimoniô pretium restituatur, non res ind
viduo) dominium plenum est penes maritum: in
æstimatæ autem (vel æstimatæ quidem, at no
æstimatione venditionem faciente) dominium na
turale est penes uxorem. *l. 30. C. de Jur. dotium*
civile autem dominium, quod consistit in admi
stratione bonorum dotalium, jure vindicandi, &
facultate percipiendi fructus (salvâ tamen bon
rum substantiâ, & inalienabilitate) penes ma
tum. Doti correspondet contrados, seu dona
propter nuptias, Widerlag/ & est id, quod m
ritus, vel alius ejus nomine, promittit vel consti
tuit uxori in compensationem & securitatem do
tis, atque de Jure Communi deberet exæquare
dotem. *Auth. æqualitas C. de pact. conv. Nov. 9*
6. 1. 2. Nov. 119. c. 1. Debet tamen attendi co
suetudo locorum, vi cujus opifices sæpe aliud pr
contradote non constituunt quàm artem vel pe
tiam suam. Regulatur ferè in omnibus, sicu
dos ejúsque dominium civile, at sine usufructu
si consistat in re immobili, pertinet ad uxorem

per

per §. 3. *Inst. de donat. l. ult. C. de donat. ante nupt.*

Dico 1. Donatio propriè dicta notabilis inter 2
conjuges, non Principes, non collata in tempus mortis, qua donans fit pauperior, & donatarius locupletior, de Jure Communi est invalida in tantum, ut semper pro libitu revocari possit, licèt non revocata in vivis confirmetur per mortem, & evadat irrevocabilis. Ita plerique ex *l. 1. 2. 3. 5. 7. 9. 11. 15. 25. 31. 33. 40. 42. & c. ff. h. t. & c. fin. eod.* Quæ confirmatio per mortem retrotrahitur ad tempus donationis factæ. per *l. 25. cit.* ita ut fructus rei donatæ & traditæ ab eo tempore cedant conjugi donatario. Si tamen res donata excederet 500. solidos, quoad excessum, si donatio esset facta sine insinuatione apud Judicem, non confirmaretur per mortem. *Objic.* 1. Si maritus repudiat hæreditatem vel legatum in gratiam conjugis, ut huic obveniat: item si uxori remittit usuras dotis promissæ, non tamen traditæ, repudiatio & remissio valet irrevocabiliter. *l. 5. cit. §. 13. 14. & l. 54. ff. h. t.* Sed talis repudiatio (vel remissio) est donatio, quia transfert maritus in conjugem jus & dominium legati, utpote quod statim post mortem legantis absque traditione fit legatarii: dein *l. 3. §. fin. ac l. 4. ff. eod.* dicitur de marito, qui rem sibi donandam donari jubet uxori, quòd idem faciat, *ac si rem acceptatam, & suam factam, uxori dedisset.* 2. In *l. Papinianus 23. ff. eod.* habetur, quod hæres mariti nequeat conveniri super eo, quod maritus promisit per stipulationem, & sic verbaliter donavit uxori, licèt *durante voluntate decesserit:* ergo per mortem

conjugis non confirmatur donatio, saltem verba-
lis, quam traditio non est secuta. ℞. ad 1. *N. cons.*
quia maritus nondum est factus dominus hæredi-
tatis, vel legati, vel usurarum dotis promissæ, &
sic repudiando vel remittendo non fit pauperior;
nam etiam legati dominium non acquiritur com-
pletè ac absolutè per mortem legantis, sed solùm
inchoativè & conditionatè, si legatum accepterit
priùs. Illa jussio, de qua loquitur *l. 3. & 4. cit.*
involvit virtualiter duos actus, quorum uno ta-
citè acceptatur donatio pro se, & altero transfer-
tur in uxorem, & sic res vel jus jam absolutè ac-
quisitum amittitur, atque jubens fit pauperior.
Ad 2. Illa *l. 23.* est correcta per *Nov. 162. c. 1.*
pr. & §. 1.

3 Dico 2. Solutô Matrimoniô quoad vinculum,
nempe per mortem unius, vel per ingressum in
Religionem, vel propter detectum impedimen-
tum dirimens, dos redit ad uxorem, vel, si ipsa mor-
tua sit, ejus hæredes, imprimis ad liberos, si forte
reliquit (salvô tamen beneficiô competentiæ ex
bonis dotalibus viro competente) ècontra dona-
tio propter nuptias ad maritum, &, si is mor-
tuus sit, ad ejus hæredes, imprimis liberos; nisi
nimirum obstent vel aliud exigant pacta dotalia
vel consuetudo, aut statutum loci. Communis
ex *c. 1. c. fin. h. t. l. 11. seqq. ff. l. 2. 7. & fin. C. So-*
lutô Matrim. Auth. æqualitas C. de pact. conven-
tam super dote &c. cùm sine Matrimonio dos, &
donatio propter nuptias, esse non possint. *c. 2.*
h. t. §. 12. Inst. de nupt. Dixi 1. *Propter detectum*
impedimentum; si nempe illud latuit etiam con-
juges; si enim scienter & mala fide contraxisset

Ma-

Matrimonium, dos & donatio propter nuptias cederet fisco in pœnam. *l. 4. C. de incest. nupt.* nisi minorennes contraxissent, & post legitimam ætatem statim recessissent ab invicem. Dixi 2. *Salvô tamen beneficiô competentiæ* &c. vi cujus vir, & ejus liberi, non tenentur in restituenda dote ad plus, quàm salva sustentatione necessaria possunt. *l. 12. l. 14. ff. solut. Matrim.* quo modo compensatur viro privilegium, & hypotheca, quam uxor (ejúsque hæredes) habet in omnibus mariti bonis quoad sua dotalia. *l. 30. C. de jur. dot.* Sed fortè *Objic.* Dos profectitia revertitur ad dotantem (& adventitia ad constituentem) *l. 4. C. solut. Matr. & l. un. §. 13. C. de rei uxor. act.* ergo non redit ad uxorem. R. Olim quidem dos *profectitia*, quæ fuit à patre constituta filiæ nondum emancipatæ, revertebatur ad patrem, sed hodie, postquam per elocationem in Matrimonium emancipantur filiæ vi consuetudinis, cessat dos profectitia, & redit ad uxorem. *Adventitia* autem solùm tunc revertitur ad dotantem, quando is expressè hoc stipulatus est, ut habetur *§. 13. l. cit.*

Quæres, an etiam bona paraphernalia, Morgengeba, dotalitium, bona communia, & acquæstus, sint restituenda uxori solutô Matrimoniô? 4
Antequam respondeam, explico hos terminos; *paraphernalia* (das zugebrachte Gut) seu ultradotalia, sunt illa bona, quæ uxor habet ultra vel extra dotem: si marito tradidit administranda cum usufructu, in utriusque & familiæ utilitatem convertendo, & à se revocabili, sine titulo dotis, vocantur simpliciter *Paraphernalia. l. 8. & fin. C. de pact. conv.* si autem ea, & usumfructum, sibi uxor

reservavit cum administratione, *Receptitia* dicitur. *Morgengeba*, seu *Morgenatica*, dona *Matutinale*, Morgengab / est id, quod marito (plerumque Nobilis) altero die nuptiarum uxori conjugi propter creditam sibi pudicitiam, vel remunerationem delibatæ virginitatis: & de hoc dono sæpe convenitur (etiam apud plebejos) per pacta ante initum Matrimonium. *Dotalitium*, Wittumb/ Leib-Zucht/ Leib-Geding/ Witth-Sitz / licet quandoque in alia significatione accipiatur, est ususfructus, quem maritus in eventum mortis suæ constituit in bonis suis uxori in compensationem dotis vel ad meliorem sustentationem. *Bona communia* appellantur, quæ stante Matrimonio utrique conjugi junctim obvenerunt, vel ex donatione, hæreditate, legato &c. intuitu utriusque, vel per negotiationem utriusque pecunia aut bonis exercitam, vel communi & ferè æquali industria, labore, studio, parsimoniâ utriusque, uti fit apud quosdam opifices & mercatores. *Lucri quæstus*, Errungenes Gut/ sunt lucra constante Matrimonio acquisita, sive unius seu utriusque conjugis industriâ, labore, negotiatione &c. communi opera sunt acquisita, ferè coincidunt cum bonis communibus. Jam §. 1. Paraphernalia tam specificè sumpta, quàm Receptitia, uti & Morgengeba, certè restitui debent uxori, ejusque hæredibus, quia pleno jure ad uxorem pertinent. §. 2. Etiam dotalitium ei debetur, sed ita, ut dotem repetere ab hæredibus mariti prohibeatur, si dotalitiô frui velit, nisi aliud per pacta sit conventum, vi quorum, vel statuti, pro dotalitio tubinde uxori cedit donatio propter nuptias

Dis

die Widerlag. N. 3. Ex bonis communibus media pars cedit uxori ejúsque hæredibus. *c. 2. h.t.* Idem tenendum de *Acquæstubus* communi vel negotiatione, vel industria, donatione aut hæreditate junctim ab utroque acquisitis, ut suadet par ratio, æquitas, & multorum locorum consuetudo; quamvis pacta dotalia, statutum, vel consuetudo particularis loci aliud exigere possint. Si tamen unius tantùm operâ, vel unius negotiatione & pecuniis, vel hæreditate &c. uni tantùm relictâ acquisiti sint, N. 4. illos pertinere omnes ad talem conjugem, etsi uxor fuerit, quæ proin de illis liberè disponere potest, vel ejus hæredes: quamquam in dubio de Jure stet præsumptio, omnes acquæstus & lucra constante Matrimonio acquisita esse à marito, & ad hunc pertinere. *l. 51. ff. h.t.* Nisi nempe aliud habeat consuetudo, vel statutum loci. Quid in Bavaria de his acquæstubus statutum sit, maximè quando unus conjugum decedit sine liberis, vid. *Statuta Bavar.* Landt-Recht *tit. 1. art. 1. 4. 10.*

§ Dico 3. Solutô Matrimoniô tantùm quoad thorum & cohabitationem, seu factô divortiô, propter unius adulterium, innocens non solùm recuperat dotem, vel donationem propter nuptias, quam attulit, sed etiam lucratur nocentis dotem vel donationem propter nuptias, at non nisi per sententiam Judicis, nisi adessent liberi partis adulteræ sive ex hoc sive ex alio Matrimonio. Text. & DD. in *c. 1. & 4. h.t. l. 8. §. 4. 5. C. de repud. Nov. 117. c. 8. 9.* Dixi 1. *Dos*; non autem amittuntur paraphernalia; hæc enim in *d. c. 4.* per vocem *dotalitium* non intelliguntur, sed vel dona-

tio propter nuptias, vel pretium & æstimatio dotis: de Jure Bavarico uxor adultera amittit etiam Morgengebam, & alia donata à virò, item medietatem acquæstuum, si aliàs ipsi deberetur. Dixi 2. *At non nisi per sententiam*; quia amissio dotis &c. est pœna: pœna autem privativa non incurritur ante sententiam. Id concedo, quòd pars innocens possit retinere dotem, quæ ipsi tradita est, absque sententia Judicis, séque tueri exceptione adulterii adversùs adulteram, fors repetentem. Dixi 3. *nisi adessent liberi:* in horum enim existentia proprietas dotis, vel donationis propter nuptias, cederet liberis, innocenti autem solùm ususfructus. *Nov. cit. c. 8. §. 2.* Dixi 4. *Propter adulterium*; si enim absque delicto unius fieret divortium, procedunt ea, quæ in antecedenti Assertione diximus. per *c. 1. h. t.* & communem DD. Cæterùm si dos vel donatio propter nuptias non esset constituta, caperetur omnium bonorum pars quarta ab innocente. *l. penult. §. 1. & 2. C. de Repud.*

TITULUS XXI.

De Secundis Nuptiis.

SUMMARIUM.

1. *Secundæ nuptiæ quid: & quæ illorum pœna.*
2. *Secundæ nuptiæ sunt licitæ;*
3. *Modo satis constet de morte prioris conjugis.*
4. *An, & quæ pœnæ secundarum nuptiarum sint abrogatæ.*
5. *An secundæ nuptiæ sint benedicendæ.*

Per

PEr *secundas nuptias* intelligitur non modò 1
Matrimonium secundò, sed etiam tertiô, quartò, & toties, quoties per mortem solvitur, contractum. Jus Civile secundas nuptias, præsertim in fœminis, odit, & propterea in binubas statuit varias pœnas, maxime si intra annum luctûs nuberent alteri viro: quas inter aliquæ in odium secundarum nuptiarum statutæ sunt, & propriè rationem pœnæ habent, utì infamia, incapactitas ad omnem hæreditatem vel legatum capiendum ab alio, quàm à viro: amissio omnium bonorum titulô lucrativô à priori marito acquisitorum, quæ proin viri demortui consanguineis cedunt: & negata potestas marito novo aliquid relinquendi ultra tertiam bonorum suorũ partem. Aliæ autem spectant favorem liberorum, siqui adsunt ex priore Matrimonio, secus, evanescunt, & propriè propteres pœnæ non sunt, & aliquæ, nimirum tres primæ, quas recensebimus, maritum æquè, ac uxorem, ad secunda vota transeuntem afficiunt. Sunt autem sequentes. 1. Transiens ad secunda vota, sive intra sive post annum luctûs, amittit proprietatem, quæ reservatur liberis prioris Matrimonii, omnium bonorum à priore conjuge acquisitorum titulô lucrativô, quamvis ipsi maneat eorum ususfructus ad dies vitæ. *l. 3. C. h. t.* Idem est de bonis, quæ obtinuit succedendo ab intestàto liberis, si eadem ex bonis defuncti marii profecta sunt. *Nov. 22. c. 46. §. 2.* Deiu 2. prohibetur vel per actum inter vivos, vel per ultimam voluntatem, plus, quàm portionem filialem, einen Kinds-Theil / conferre in novum maritum, & quidem, si partes inæquales liberis prioris Ma-

trimonii obtingerent, non potest marito nisi minimam statuere. *l. 6. C. h. t.* 3. Siquid donasset liberis primi thori, non posset revocare ex causa ingratitudinis. *Nov. cit. c. 35.* ubi tamen excipitur duplex casus, nempe insidiarum in vitam, & impiæ injectionis manum in parentem. 4. Amittit tutelam vel curatelam liberorum prioris Matrimonii. *Nov. 94. c. 2. & c. 67. de appellat.* Item jus educandi dictos liberos. *l. 1. C. ubi pupilli educari.* nisi nempe aliud habeat consuetudo, vel exigant circumstantiæ. per *l. cit.*

2. Dico 1. Secundæ nuptiæ omnino sunt licitæ etiam fœminis intra annum luctûs, per se, modò satìs constet de morte prioris conjugis: quidquid ordinaverit Jus Civile, quod in hac re non est attendendum, utì nec in foro Civili hodie attenditur. Assertio est certa non tantùm ex Jure Naturali propter periculum incontinentiæ, quod sæpe datur in viduo vel vidua, & spem prolis suscipiendæ, sed etiam ex Jure Divino juxta illud S. Pauli *1. Cor. 7. Si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat tantùm in Domino.* & ex Jure Canonico. *c. 2. h. t.* ac universali Ecclesiæ praxi. *Objic.*. S. Chrysost. *can. 9. caus. 31. q. 1.* secundas nuptias vocat *fornicationem honestam.* ℟. S. Chrys. teste gl. loquitur de illo, qui vivente conjuge, per libellum tamen repudii dimissa, ducit aliam. Dein honesta fornicatio implicat. Dixi tamen, *modò satis constet de morte* &c. Sed hinc

3 Quæres, quomodo constare debeat de morte prioris conjugis? ℟. Moraliter certò *c. 2. cit. & c. 19. de Sponsal.* quia aliàs datur periculum adulterii, & Matrimonii novi nullitatis

con-

contrahendi. Moralis autem certitudo non habetur ex sola diuturna conjugis absentia, ut volebant Leges Civiles antiquæ. *l. 6. ff. de divort. & l. 7. C. repud.* sed per duos testes de visu, vel per unum fama communi, aut gravibus indiciis adjutum: per præsumptiones violentas, ut si constat, maritum interfuisse periculoso prælio, aut moratum in loco peste infecto, ac insuper diu nihil de eo auditum vel cognitum; per testimonium alicujus Magistratûs, vel Parochi defunctum se sepeliviſse testantis &c. Si Parochus dubitet de sufficienti certitudine, non assistat sine recursu ad Ordinarium; si re intellecta & iste dubitet aliqualiter, potest ad novas nuptias aspiranti pro cautela deferri juramentum credulitatis (non veritatis, & ideo malè vocatur suppletorium) quo asserat, se nec scire, nec credere, conjugem adhuc vivere. *Objic.* 1. In *c. fin. v. si autem. Ut lite non contest.* plùs non requiritur, quàm *ut de obitu verisimiliter præsumatur.* Et in *c. 19. cit.* dicitur, sufficere *certum nuntium:* sed unus nuntius, seu testis, & verisimilis præsumptio, non faciunt moralem certitudinem: ergo. 2. Licitum est in Moralibus sequi opinionem probabilem, imò etiam minùs probabilem: ergo. 3. Si requiritur moralis certitudo, tunc superveniente post contractum novum Matrimonium dubio debet illud statim dissolvi: sed hoc est falsum: ergo. R. ad 1. Ut evitetur antilogia Jurium, & periculum nullitatis novi Matrimonii, ac peccatorum, aliorúmque incommodorum, Interpretes communiter per præsumptionem verisimilem intelligunt violentam, quæ facit moralem certitudinem. In *c. 19. cit.* certum

tum nuntium ſumitur in *neutro genere*, ita ut ſignificet certam relationem, non teſtimonium unius certæ perſonæ. Ad 2. Licitus opinionis probabilis uſus non eſt, quando Jus requirit moralem certitudinem, item quando agitur de gravi præjudicio tertii, utì contingit hìc; quia novum Matrimonium cedit non ſolùm in præjudicium gravis prioris conjugis, fortè adhuc viventis, ſed etiam in præjudicium prioris Matrimonii. Ad 3. *N.* nunc enim conjuges novi, vel ille, cui ſupervenit dubium, tenentur inquirere in veritatem, acinimò abſtinere à petitione debiti conjugalis (licet hoc reddi poſſit non dubitanti propter poſſeſſionem bonæ fidei) ſi verò poſt adhibitam inquiſitionem maneat dubium, debet illud, quatenus eſt practicum, deponi, ac illo depoſito licita fit petitio, & redditio debiti. Si autem certa ſupervenìret notitia, quòd vivat prior conjunx, deberet utique ſecundum Matrimonium, utut bona fide contractum, diſſolvi, & prius reſtaurari, atque cohabitari cum priori conjuge. Imò, etſi prior conjunx non ampliùs vivat nunc, vixit tamen tempore contracti ſecundi Matrimonii, & de hoc conſtat, iſtud tanquam nullum diſſolvi, vel de novo contrahi debet. Si ab initio fuit contractum cum dubio utriusque, neuter licitè petit vel reddit debitum; ſi unus dubitavit, is reddere quidem poteſt, at non petere, niſi deponat priùs dubium practicum.

4 Dico 2. Pœnæ in ſecundarum nuptiarum odium à Jure Civili ſtatutæ per Jus Canonicum ſunt abrogatæ. 2. Non verò ſtatutæ in favorem liberorum prioris Matrimonii, quæ propriè non ſunt pœnæ. Pars 1. ſumitur ex *c. penult. & ult. h.t.*

licèt

licèt enim illi textus solùm loquantur de infamia, communiter tamen à DD. extenduntur etiam ad alias pœnas propriè dictas; quia in his datur eadem ratio in *dict. cc.* expressa, nempe libertas Matrimonii secundi, ab omni Jure permissi, & evitatio incontinentiæ. Excipiunt tamen casum, quo vidua intra annum luctûs fornicatur, & sic subjicitur (nempe post sententiam Judicis, saltem declaratoriam) pœnis, quibus à Jure Civili punitur intra annum luctûs transiens ad secundas nuptias. *Nov. 39. c. 2. §. 1.* Pars 2. colligitur indè, quia nullibi reperitur in Jure Canonico, hos favores liberis esse denegatos. Quòd etiam pœnæ secundi generis, & impropriæ, aliquo modo restringant libertatem Matrimonii, nihil facit, quia solùm restringunt libertatem inordinatam, & amorem cæcum erga novos thori consortes, ac principaliter consulunt ex æquitate naturali orbis parente liberis.

Dico 3. Secundæ nuptiæ (vel potiùs personæ eas contrahentes) non debent benedici à sacerdote assistente vel conjungente. *c. 1. & 3. h. t.* quod prohibetur non in detestationem nuptiarum, sed in reverentiam benedictionum, quæ si solennes sunt, uti & consecrationes, v. g. Virginum, Ecclesiarum, Altarium &c. eas, ne vilescant, iterari non vult Ecclesia. Vi consuetudinis tamen in multis locis benedicuntur, si viduus ducat fœminam nunquam nuptam, quæ nempe nunquam accepit benedictionem, licèt ille acceperit: & in aliis quoque locis, si vidua ducat sponsum, qui nunquam accepit. Consulantur Ritualia & consuetudines Diœcesium. §

Decre-

Decretalium Gregorii PAPÆ IX.

LIBER V.

1 SIcut in libro IV. & III. causæ *civiles*, & *viliter* tractandæ, ita in libro hoc V. ponuntur causæ *criminales criminaliter* prosequendæ, seu delicta in ordine ad pœnas delinquentibus infligendas. Et sicut in libro II. ordinatus est Processus Judiciarius *Civilis*, ita hic agitur de Processu *Criminali*, qui in plerisque convenit quoad modum & ordinem cum Civili, ut videre est apud Rosbach *in Processu Criminali per totum*. Initio hujus libri exhibentur modi, quibus delicta in Judicium deducuntur seu bene seu male, tum à Titulo III. usque ad tit. XXXIV. varia delicta in specie, cultui Divino & Religioni, charitati erga proximum, & rebus sacris adversantia, cum suis pœnis à Jure statutis, dein modus se purgandi, &, siquis innocentem se probaverit, actio injuriarum, demum sequitur à tit. XXXV. de Pœnis in genere, ac in specie de Censuris excommunicationis &c. Ultimi duo tituli, quia vagantur per totum Jus, per modum Appendicis annectuntur.

TITU-

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

SUMMARIUM.

1. *In hoc libro tractatur de Delictis, & Pœnis.*
2. *Quibus modis delicta deferantur in Judicium.*
3. 4. *Quid, & quotuplex sit* Delictum.
5. *Quibus modis committatur.*
6. *Quid sit* Accusatio.
7. 8. 9. 10. *Quinam accusare possint, & accusari.*
11. *Quis sit effectus Accusationis.*
12. 13. *Quid, & quotuplex sit* Denuntiatio.
14. *Quinam teneantur denuntiare.*
15. *Quid, & quotuplex sit* Inquisitio.
16. *Quid requiratur ad eam instituendam.*
17. *Quando Processus Inquisitionis sit nullus.*
18. *An & quando obligetur Judex eam instituere.*
19. *Quis sit effectus Inquisitionis.*
20. *Quomodo practicè instituenda sit.*

TRes Præcipuè modi existunt, quibus inchoatur Processus Criminalis, seu delicta deferuntur in Judicium: nempe vel ad instantiam Partis, & tunc est *Accusatio*, aut *Denuntiatio*: vel ex Officio Judicis, & tunc est *Inquisitio*: proin in hoc ordine agemus de singulis, &, quia objectum eorum est solum delictum, ideo aliqua præmittemus. 1

De Delictis in genere.

3 Dico 1. *Delictum* in genere, quod in Jure Communi & Usu sæpe dicitur crimen, maleficium, flagitium, facinus, peccatum, scelus, in ordine ad forum externum definitur esse *libera & exteriùs sensibilis transgressio Legis*, sive id fiat per *commissionem*, qua aliquid scienter & voluntariè agitur contra legem prohibentem, sive per omissionem, qua aliquid omittitur contra legem præcipientem, Naturalem, Divinam, vel Humanam. *Delictum verum* est, quod ex dolo vel culpa vera procedit: *quasi-delictum*, ubi intérvenit culpa solùm præsumpta à Jure.

4 Dico 2. Delictum dividitur 1. in *Publicum* & *Privatum*. Illud est, quod ob enormitatem suam à Lege, vel consuetudine, effectum est *publicum*, h. e. publicè vindicandum, & certos à Jure statos effectus habens, nempe quòd regulariter cuilibet permissum sit illud accusare: quòd regulariter non admittatur procurator (si agatur de crimine capitali) pro Accusatore, & Reo: quòd eo condemnatus regulariter fiat infamis: quòd accusator ab accusatione desistens puniatur per *tergiversationis*: quòd admittat Inquisitionem, qui tamen effectus plerique ferè ab usu fori hodie recesserunt. *Privatum* vocatur, quod nec à Lege nec à Consuetudine elevatum est ad dictos effectus. Delicta *publica* censentur esse hæresis, Simonia, sacrilegium, crimen læsæ Majestatis, perduellionis, adulterium, homicidium &c. *Privata* autem ferè quatuor tantùm, nempe furtum, rapina, injuria, & damnum injuriâ datum.

reli-

reliquo saltem vi consuetudinis in foro Canonico juxta communem omnia delicta habentur pro publicis: imò & in foro Civili vix ampliùs superesse discrimen inter privata & publica testantur Farinac. Decian. & P. Pirhing. *h. t. n. 49.* saltem furtum & rapina habentur prro publicis. Si crimen in Jure certum nomen, & pœnam, non habet, vocatur *extraordinarium, innominatum,* vel *stellionatus. l. 3. ff. stellionatus.* Dividitur 2. in *Exceptum,* quod non continetur sub generali dispositione Legis, & ad cujus accusationem admittuntur, qui in aliis criminibus, etiam publicis, accusare non permittuntur, modò non sint aperti inimici, uti sunt hæresis & Simonia, crimen perduellionis, quando quis directè in Principem, vel Rempublicam aliquid machinatur, v. g. per conjurationem, proditionem, seditionem, item crimen læsæ Majestatis in specie, quando quis solùm indirectè delinquit in Principem vel Rempublicam, v. g. in Ministrum, vel Imaginem, vel Dignitatem Principis, vel cudit monetam, privatos habet carceres, utitur sigillô Principis aut Reipublicæ &c. Unde apparet à contrario, quid sit delictum *non-Exceptum.* Dividitur 3. in *Notorium,* quod ita manifestum est vel ex confessione propria delinquentis, vel ex probatione Judiciali, vel in conspectu populi commissum, ut excusatione celari aut sine impudentia negari nequeat. Notorio opponitur *Occultum.* Dividitur 4. in *Capitale,* quod meretur pœnam mortis, vel naturalis, vel civilis per deportationem, damnationem ad metalla &c. & *non Capitale,* quod meretur mitiorem pœnam, v. g. relegationis, pecuniariam &c.

5 Dico 3. Reum delicti & pœnæ se facit non solùm, qui physicè illud patrat per se, sed etiam, qui mandat, consulit, vel antecedenter illud ratihabet, ita ut seclusô mandatô, consiliô, vel ratihabitione prævia delictum non fuisset patratum, adeóque qui moraliter effectivè, & non tantùm effectivè, influit, licèt per alium patretur. *l. 36. pr. l. 52. §. 21. ff. de furt. l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arm. l. 1. §. 2. ff. & c. 9. 10. de R. J. in 6.* Quin imò reus etiam fit delicti & pœnæ, qui delictum non impedit, cùm posset; pro foro tamen externo solùm tunc, quando delictum est contra Justitiam, & ex Justitia data obligatio impediendi. per *l. 3. §. ult. & l. 6. §. 4. de re milit. l. 2. ff. de Lege Pomp. de Parricid.*

De Accusationibus.

6 Dico 4. Accusatio strictè sumpta (ein Peinliche/ vel Criminal-Klag) dicitur esse *delatio criminis apud Judicem ad vindictam publicam solemniter facta.* Solennitas consistit tum in oblatione libelli, in quo tamen omittitur conclusio seu petitio certæ pœnæ, tum in inscriptione accusatoria, qua se obligat ad pœnam *Talionis* (h. e. ad illam pœnam subeundam, quæ probato crimine foret infligenda) si in probatione deficiat. Sed nec tra vi consuetudinis requiritur, & ultimæ, nisi rum inscriptioni, hodiernis moribus saltem in foro Civili succesſit pœna arbitraria, ac insuper cautio de prosequenda lite usque ad finem Judicii, expensis, damno & injuria causatis accusato, si accusator non satìs probaverit delictum, seu in casum succumbentiæ: quam cautionem idoneam præstare non valeat, arresto vel carcere detine-

dus

dus est. Hodie rara est accusatio formalis, etiam verbalis tantùm, sed delicta solent deferri in Judicium vel per denuntiationem Judicialem, vel per simplicem querelam, vel Procuratores fisci ad id constitutos, vel per Inquisitionem.

Dico 5. Accusare possunt omnes, qui non spe- 8
cialiter prohibentur. *l. 8. ff. h. t.* Prohibentur autem de Jure Canonico 1. Clerici in Judicio sæculari. 2. Laici Clericos, nisi crimen sit immane, vel cedat in grave præjudicium Ecclesiæ. 3. Pagani, & hæretici non tolerati, Christianos & Catholicos. 4. Inimici capitales, vel aliàs valde infensi. 5. Excommunicati. *c. 9. Ne Clerici can. 2. seqq. can 25. caus. 2. q. 7. can. 2. 3. 4. caus. 3. q. 5. can. 4. caus. 6. q. 1. cum c. 7. de Judic. & c. 16. h. t.* De Jure Civili autem 1. pupilli, mulieres, milites, quos ultimos praxis admittit. 2. Magistratus. 3. Infames, & suspectæ fidei, & qui aliquando falsum in Judicio testimonium dixerunt, atque pauperes, quos honesta vita non purgat à suspicione infamiæ. 5. Valde conjuncti sanguine, vel specialiter ad gratitudinem obligati, utì liberi, fratres, libertus patronum, alimenta accipiens alentem, servus vel vasallus dominum. Habentur hæc *l. 8. seqq. ff. h. t. l. 13. & 18. C. de his, qui accusare.* Notandum tamen, quòd hi omnes, exceptis ferè solis excommunicatis, capitalibus inimicis, & rationis usu destitutis, accusare permittantur, quando suam vel suorum (nempe conjunctorum usque ad 4tum gradum) causam persequuntur. *l. 11. ff. h. t.* & quando crimen est valde atrox, vel in grave præjudicium Reipublicæ aut Ecclesiæ cedit, aut accusans nec à Judice repellitur,

pellitur, ut notant DD. Adde, quòd, licèt accu-
sare nequeant, fas tamen ipsis sit denuntiare, vel
simplicem querelam deponere apud Judicem,
qui postmodum instituit Inquisitionem.

8 Quæres, an aliquando sit obligatio accusandi?
℟. Solùm tunc, quando ex omissione accusationis
immineret Reipublicæ vel homini privato da-
mnum, alia ratione, v. g. monitione privata, de-
nuntiatione &c. non impedibile vel reparabile.
Si tamen delictum esset occultum, nec tertio in-
immineret damnum, vel si privata monitione illud
crederetur impediri posse, lex saltem Justitiæ non
exigeret, ne per accusationem diffamaretur de-
linquens.

9 Dico 6. Accusari regulariter iterum possunt
omnes. *l. 12. pr. ff. h. t.* Excipiuntur tamen
Legati, & qui Reipublicæ causâ absunt, item Ma-
gistratus majores, quorum officium est tempora-
le. *l. 12. cit.* multò magìs ipsi supremi Principes
Superiorem non recognoscentes, utì Papa, Impe-
rator, Reges. 2. Absentes à loco Judicii in or-
ne ad pœnam relegatione majorem. *can. 5. ca.*
2. q. 8. l. 5. ff. de pœnis. ne quis inauditus con-
demnetur: accusati tamen citari possunt in or-
ne ad eorum bona annotanda, &, si contumaces
non comparuerint, confiscanda. *l. 5. ff. de reg.*
vel absentib. Hodie tamen consuetudo habet re-
Brunnem. ad *d. l. 5. de pœnis*, ut contra absen-
etiam in gravissimis delictis fiat Processus ad bo-
num usque: de Jure Canonico autem *c. 8. de d.*
ubi agitur de depositione vel degradatione, con-
tra absentem, qui sub pœna Censuræ citatus non
comparuit, proceditur usque ad sententiam de-
nitivam

nitivam. 3. Mortui. *l. 6. ff. de publ. Jud.* excepto crimine hæresis. *c. 8. de hæret. in 6.* & crimine læsæ Majestatis. *l. 7. seq. C. ad L. Jul. Majest.* in ordine ad bona fisco applicanda. 4. Semel in Judicio absolutus super eodem crimine, modò non intervenerit prævaricatio vel collusio, aut absolutus non fuerit præcisè ab observatione Judicii. *l. 7. 11. 14. ff. c. 6. h. t.* Pariter 5. condemnatus & pœnâ delicto commensuratâ affectus denuo super eodem crimine accusari & puniri, etiam in alio foro, non potest. *c. fin. de Except. in 6. &. c. 5. de pœnis. in 6.* quia datur exceptio rei judicatæ, 6. Qui accusationi jam præscripserunt, h. e. si à tempore commissi delicti, quod totaliter transit, & continuatâ non constat malitiâ, jam fluxit tempus à Jure determinatum ad extinguendam accusationem. Sed quantum debet esse hoc tempus? R. 1. in stupro, adulterio, & quocunque carnis delicto (nisi sit stuprum violentum. vel adulterium cum incestu conjunctum) sufficit quinquennium. *l. 29. §. 5. 6. ff. l. 28. C. Ad. L. Jul. de adulter.* R. 2. In aliis delictis vicennium, seu 20. anni. *l. 3. ff. de requir. vel absent. damn. l. 12. C. ad L. Cornel. de falsis.* Id quod rectè asseritur de omnibus delictis, nullo excepto, licèt multi DD. graviorum delictorum, puta hæresis, læsæ Majestatis, parricidii, falsificatæ monetæ, suppositi partûs &c. accusationi nunquam præscribi tradant. Siquidem *l. 3. cit.* dicitur, *quamcunque quæstionem 20. annorum silentiô præscribi.* Et *l. 12. cit.* sic: *querela falsi temporalibus præscriptionibus nm excluditur, nisi 20. annorum, sicut cætera quoque* (nullum excipit) *ferè crimina.* Accedit ra-

tio, quia, si delinquens 20. annis à delicto abstinuit, rectè jam creditur emendatus, nec amplius imminere periculum turbandæ Reipublicæ, vel seductionis aliorum ex pravo exemplo &c. propter quas causas pœnæ à Legibus sunt statutæ. Certè spes obtinendæ per tot annorum emendationem veniæ valde videtur apta ad coërcendum à novis criminibus.

10 *Objic.* 1. In *l. ult. ff. de Lege Pompeja de parricid.* habetur, *semper* accusationem parricidii permitti. & in *l. 19. ff. de Leg. Cornel. de falsis* accusationem suppositi partûs *nulla temporis præscriptione depelli.* 2. In *d. l. 12.* additur vox limitativa *ferè:* ergo sunt aliqua crimina, quorum accusationi 20. annis non præscribitur. 3. Iniquum est, reum atroicis delicti lapsu temporis liberari à metu pœnæ. ℟. ad 1. Illæ Leges possunt intelligi de delictis permanentibus, ut est crimen suppositi partûs. Vel dic, tò *semper*, &, *nulla temporis præscriptione*, non Grammaticaliter, sed in sensu Juris accipienda esse, h. e. quòd semper & perpetuò, nempe usquedum completum sit tempus extinguendis accusationibus à Jure præscriptum, quod in Jure majus præscriptum non reperitur, quàm 20. anni, generaliter definiti, sicut actiones in causis civilibus dicuntur perpetuæ, quæ durant 30. vel 40. annis, & postea extinguuntur. Item quod regulariter nulla præscriptio temporis, quod minus est 20. annis, sufficiat. Ad 2. tò *ferè* facit hunc sensum, quòd quidem aliqua crimina temporali præscriptione & breviori tempore tollantur, utì vidimus, ordinariè tamen, regulariter, & cœtera omnia 20. annis; non verò quòd dentur talia,

lia, quæ nunquam omnino tollantur, ne quidem 20. annis; cùm in Criminalibus longius tempus ad præscribendum in toto Jure non reperiatur. Ad 3. negatur assertum.

Dico 7. Effectus accusationis est 1. ut Reo legitimè convicto per sententiam infligatur pœna, vel ordinaria, siqua à Jure determinata reperiatur, vel, si à Jure definita non sit, extraordinaria seu arbitraria, quam Judex condignam æstimaverit. 2. Ut accusatus regulariter pendente Processu promoveri nequeat. *c. 4. h. t.* 11

De Denuntiationibus.

Dico 8. *Denuntiatio* in genere est *delatio simplex criminis, vel criminosi, vel utriusque, legitimè facta Superiori.* Communis quoad rem. Dixi 1. *simplex*, h. e. sine ulla solennitate, & cautione, per quod differt ab accusatione, utì & per hoc, quòd ordinariè non tendat ad vindictam publicam & necessariò. Dixi 2. *Facta Superiori*, sive ut Patri sive ut Judici, de quo abstrahit definitio, ut conveniat omni. Unde 12

Dico 9. Denuntiatio dividitur in *Evangelicam*, quæ fit Superiori tanquam Patri, sic dicta, quia in Evangelio à Christo præscribitur *Matth. 18.* in hunc modum: *si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ*, h. e. denuntia Superiori, vel Judici Ecclesiastico tanquam patri, ut corrigatur: cùm igitur spectetur præcisè 13

emendatio delinquentis, & fiat ex charitate a
prævia amica monitione duplici, ferè occulta, vo
catur etiam *Charitativa*, *Paterna*, *Fraterna*, vel
etiam *Correptio fraterna*. Et in *Judicialem*, qua
fit Superiori tanquam Judici, ut is Judicialiter pro
cedat ulteriùs inquirendo, ac re cognita puniat, vel
ad satisfaciendum condemnet, vel remedium præ
rat. Et hæc vel est *Canonica*, quia à Jure Cano
nico introducta, & fit Judici Ecclesiastico vel ut
impediendum peccatum, vel ad tollendum scan
dalum, vel ad resarciendum damnum &c. ut de
nuntietur impedimentum Matrimonii, ne contra
hatur, vel ut contractum dissolvatur, si denuntietur
inhabilitas eligendi ad Prælaturam, vel ut ma
lus Prælatus emendetur aut deponatur, si pec
tur, ut læso infra dimidium justi pretii satisfiat &c.
Et alia *Civilis*, utpote orta à Jure Civili, quæ ite
rum duplex est, nempe *Privata*, quando quis ex
alieno delicto iniquè gravatus recurrit ad Supe
riorem tanquam Judicem persequendo suum inte
esse & satisfactionem, eò quòd de Jure actionem
propriè dictam non habeat, uti læsus infra dim
dium, vel quando oppressus à potentiore denun
tiat Judici suum gravamen, ut ex officio remedi
um afferat. Et *Publica*, quæ tendit ad vindictam
vel pœnitentiam publicam, ad avertendum da
mnum commune Reipublicæ vel Ecclesiæ, per cri
men læsæ, sicut accusatio; cui succedit, & à qu
parùm differt, nisi quòd denuntians non tenetur
se inscribere ad pœnam Talionis, ad crimen pro
nè probandum, & ad causam Judicialiter prose
quendam, modò Judici suggerat indicia, & pro
bationes, vel testes nominet; & hæc denuntia
tio,

tio, quæ ferè fit à Ministris publicis ad id deputatis, vel Fiscalibus, Amts-Klägeren / aut etiam à privatis ex consuetudine, eum in finem ordinatur, ut Judex postea procedat per Inquisitionem. Unde à Criminalistis dici solet: *denuntiatio aperit viam Inquisitioni. l. 7. 14. C. h. t.*

Dico 10. Ad denuntiationem Evangelicam 14
delicti occulti regulariter tenentur omnes. 2. Uti & ad Canonicam faciendam. 3. Non tamen ad Civilem, etiam Publicam per se. Pars 1. constat ex textu recitato *Matth. 18.* ubi non merè consilium, sed præceptum à Christo proponi, constans est PP. & DD. sententia. Ratio, quia charitas exigit curare proximi emendationem, & quidem in occulto, ne diffametur, nisi delictum esset notorium, aut communitati, vel tertio perniciosum, & per privatas monitiones nullus sperari posset effectus; tunc enim deberet denuntiatio Judicialis adhiberi. Addidi, *regulariter*; sæpe enim excusamur, si nempe parùm aut nihil credatur profutura denuntiatio Evangelica, vel denuntianti exinde timendum grave incommodum &c. Pars 2. sumitur ex *c. 13. de Judic. c. 12. de Sponsal. c. fin. de cland. desp.* quia id exigit lex Charitatis, & Obedientiæ SS. Canonibus debitæ. Procedit iterum *regulariter* tantùm, si nempe sine gravi denuntiantis incommodo fieri possit, & judicetur profutura ad peccatum vel damnum evitandum, tertio imminens, atque si privata monitio, seu denuntiatio Evangelica, adhiberi commodè nequeat. Notat quoque P. Engel *de for. com. n. 63.* Superiorem Ecclesiasticum, ubi Canonicè denuntiatur Laicus, non semper debere statim de-

ferre

ferre tali denuntiationi, & Judicialiter proce dere, si læsio non sit valde excessiva, vel timea tur aliæ incommoditates, v.g. contemptus Cu suræ: aliàs enim dabitur ansa infinitis litibus, & cavillandi quoscunque contractus; *nec* enim quid *Judicis potestati permittitur, Juris neces ti subjicitur. l. 40. ff. de Judic.* Pars 3. de denun tiatione privata, qua quis persequitur suum inte esse, claret, de publica probatur à paritate cu accusatione, quam imitatur; nemo enim accu re tenetur. *l. un. C. ut nemo invitus agere* &c. Ad didi tamen, *per se*; si enim delictum esset gravis noxium Reipublicæ, vel tertio, & mitius remedi um, v.g. denuntiatio Evangelica, non cetrò cre deretur sufficere, foret obligatio saltem ex Chari tate, modò absque suo gravi damno aut periculo posset fieri, imò, si delictum cederet in præjudici communitatis, nec proprium privati hominis pe riculum liberaret à denuntiando. Interim qui in habilis est ad accusandum, etiam inhabilis cense tur ad denuntiationem publicam, sicut vice ver sa, qui accusari nequit, neque sic denuntiari potest *arg. c. 20. h.t.* Sed quia hodie post denuntiationem Judex procedit per Inquisitionem, denuntiare po mittitur quilibet, licèt ad accusandum habilis non sit, uti socius delicti suô modô.

De Inquisitionibus.

15 Dico 11. *Inquisitio* est *criminis, vel criminosi vel utriusque, per Judicem ex officio procedentem legitimè facta investigatio.* Gonzal. Carpz. &c. Ille, contra quem fit inquisitio, vocatur in *quisitus.* Alia vocatur *generalissima*, vel *generalis*,

lis à quibusdam, quando nimirum de nullo adhuc delicto vel delinquente constat, generatim tamen à Superiore indagatur, an non in aliqua provincia, diœcesi, civitate, Monasterio &c. fiant aliqua delicta, an serventur leges & statuta &c. ut fieri solet in visitationibus, ordinariè quidem non in ordine ad puniendum, sed ad cognoscendam vitam & mores subditorum. & tunc *Paterna* dicitur; licèt quandoque etiam fiat ad puniendos delinquentes, & tunc *Judicialis* est; nam hæc generalis inquisitio subinde detegit indicia certorum delinquentium, & occasionem præbet specialiter inquirendi in hos, & puniendi detectos. Alia autem *Specialis* nuncupatur, quando super determinato delicto, quod satis constat esse commissum, & in certam personam, quæ jam diffamata vel suspecta de eo est, inquiritur, v. g. an Titius commiserit homicidium. Alia demum *Mixta*, quam alii quandoque vocant *generalem*, vel *generalem specialem*, aut *generalem secundùm quid*, aut etiam *specialem*, quando quidem de certo delicto constat, aut de illo habentur indicia, nulla tamen de certa persona, quæ commiserit, suspicio aut indicia se produnt, inquiritur in auctorem delicti; vel vice versa quando de persona habetur suspicio, sed nihil constat de determinato delicto, ac propterea inquiritur, an non Titius aliqua crimina, & quæ commiserit. Vel breviùs: quando vel inquiritur in certum crimen commissum, certâ tamen personâ non nominatâ, vel in certam personam, certô tamen delictô non expressô. Porro quando is, qui creditur esse Reus, jam est in manibus Judicis, seu *constitutus*, ut ajunt, duplex alia inquisitio habet

bet locum, nempe *Mansueta*, Gütliche Frag, quæ fit per solas interrogationes ordinatè & accuratè, non tamen captiosè propositas Reo super certis articulis; priùs quidem interrogantur personalia super nomine, patria, conditione &c. Rei, dein realia, priùs generaliora, paulatim dein magìs propinqua facto, demum specialia & specialissima quoad causas & circumstantias delicti, non autem alia, nisi connexa vel indiciata. Et *Severa*, die Peinliche Frag / quæ in Jure, *Quæstio*, in Praxi autem *Tortura* vocatur, quando nempe per tormenta & cruciatum corporis Judex intendit à Reo exprimere confessionem delicti & veritatem; quæ tamen adhiberi non debet, nisi tale delictum, quod mereatur pœnam relegatione graviorem; & nisi adsint indicia valde urgentia, vel saltem semiplena probatio delicti contra Reum, atque nisi hic per alias probationes plenè convinci nequeat; attendi quoque debet, an Reus non sit persona torqueri prohibita, utì sunt senes decrepiti, furiosi, valetudinarii, mulieres prægnantes, &, nisi crimen sit valde atrox, Magistratus majores, Nobiles, Doctores. Sed hanc inquisitionem, quia in foro sæculari ferè locum duntaxat invenit, Criminalistis relinquo.

16 Dico 12. Ut ritè instituatur Inquisitio specialis à Judice in personam, requiritur 1. Ut delictum sit magnum, quo perturbatur Respublica. 2. Ut constet de corpere delicti, seu, id verè esse patratum. 3. Ut præcesserit vel accusatio, vel denuntiatio, vel diffamatio seu infamia, vel saltem legitima indicia contra personam, in quam inquiritur. 4. Ut inquisitus citetur. 5. Ut præsenti

senti communicentur capitula seu puncta inquisitionis cum circumstantiis, dicta testium, &, si inquisitus petat, etiam horum nomina, nisi ex manifestatione illis grave immineret periculum. 6. Ut super his examinatus pariter audiatur, ejúsque exceptiones & defensiones. DD. passim. Pars 1. patet ex *l. 6. ff. & c. 21. h. t.* de levioribus enim & non scandalosis delictis non est obligatio inquirendi saltem ex officio, & nemine instante, imò quandoque præstat non inquirere propter varia incommoda, quæ indè oriri possent. Pars 2. ex *l. 1. §. 24. & l. 5. §. 2. ff. de S. C. Silaniano.* atque ex communi sensu & praxi. Constabit autem de corpore delicti, si illud sit *permanens*, seu vestigia post se relinquens, uti homicidium, incendium, furtum cum effractione &c. per inspectionem ocularem, vel per testes: si verò sit *transiens*, seu nulla post se relinquens vestigia, uti adulterium, incestus &c. per conjecturas probabiles & proximas, vel etiam per confessionem utriusque complicis. Pars 3. ex *l. 7. C. c. 19. 21. 24. h. t.* nam sine accusatore (vel denuntiatiore, ubi deficit ille) nemo est condemnandus. *can. 17. caus. 2. q. 1.* & fama habetur loco accusatoris vel denuntiatoris. *l. 7. & c. 24. citt.* famam autem adæquant, vel superant subinde, indicia verisimilia. per *c. 12. de Purg. Can. Nemesis Carolina art. 6.* Ratio horum omnium est, quia, ubi hujusmodi non præcedunt, per inquisitionem persona particularis pateretur injustè gravem in fama & honore jacturam. Sed ut fama sufficiat, debet esse orta à personis certis, & probatæ vitæ, non malevolis, aut vilibus, ac volare per majorem communitatis partem,

imò

imò saltem in inquisitione contra Prælatos & Magistratus, debet esse clamorosa. *c. 24. cit.* h. e. ita pius ad aures Judicis delata, ita ut sine scandalo dissimulari nequeat. In criminibus enormibus & Reipublicæ, vel privato alicui, valde perniciosis, utì læsæ Majestatis, hæresis &c. sufficiunt indicia minora & suspiciones, probabiles tamen, ut & in inquisitione contra Regulares subditos, ubi Ordo Judiciarius non usquequaque necessariò servandus est, & ipsi faciliùs ab administrationibus removeri possunt. *c. 24. cit. in f.* Interim nec fama contra delinquentem necessaria est. I. Sola crimine & criminoso habetur notorietas. 2. Sola per delicto, quod est connexum cum eo, de quo quis jam est legitimè inquisitus. Imò teste Claro & Farinac. in praxi vix ampliùs locum habet diffamatio; cùm hodie Judices soleant incipere ab inquisitione generali, ex qua ordinariè deveniunt in aliqua indicia, & ad specialiter inquirendũ sufficientia.

Pars 4. 5. & 6. ex *citt. c. 19. 21. & 24.* arguo ex eo, quòd nemo inauditus, & subtracta defensione, condemnandus sit. Cæterùm dixi, *inquisitio specialis*; nam *generalissima*, sive Pasquina sit sive Judicialis, rectè fit sine prædictis conditionibus. per *c. 25. eod. c. 1. de off. Ord. Tit. ff. 7. c. 8. de ref.* cùm per eam nemini fiat injuria, licèt requiratur aliqua suspicio, vel præsumptio quòd in aliquo loco fiant delicta, si inquisitio sit Judicialis; aliàs enim temere instituerentur. *Mixta* autem, si non instituatur in certam personam, nec infamiam nec suspicionem de certa persona prærequirit. per *l. 1. ff. 21. ff. de Quæst.* quia nullius læditur fama per illam: si vero

con-

contra personam certam super delicto incerto, ad vindictam, non merè paternè & ad emendationem delinquentis, opus est infamiâ vel gravibus indiciis; quia aliàs inquisiti fama injustè læderetur.

Quæres, an Processus Inquisitionis specialis, si 17
prædicta (exceptô primô, quod certè ad valorem non requiritur) non observentur, sit nullus? R. Si Reus excipiat & protestetur contrà, est nullus. *c. 21. 22. h. t. c. 1. 2. eod. in 6.* Excipitur tamen 1. Processus Inquisitorius contra Regulares non Prælatos. per *c. 24. cit.* 2. Si Reus præsens non reclamet. *c. 1. & 2. citt.* 3. Si Reus sponte & extra torturam crimen in Judicio est confessus. *d. c. 1.*

Dico 13. Judex tenetur in casu, ubi potest se- 18
cundùm dicta, instituere ex officio inquisitionem specialem, imò & mixtam, ubi satis constat, delictum esse commissum, non verò de authore, seu in authorem inquirere specialiter, item ubi constat, quòd aliquis sit reus alicujus magni delicti, non tamen cujusnam. Communis. Ubi præcessit accusatio, vel denuntiatio verisimilis, per se clarum est, ubi autem sola diffamatio, vel indicia legitima, probatur ex hoc; quia ex una parte exigit Jus Naturale & Justitia Vindicativa, ut crimina puniantur, & Respublica defendatur à facinorosis hominibus, ex altera verò rari sunt, qui accusare velint, vel denuntiare criminaliter, propter onus probandi, vel probationes suggerendi &c. Unde, si inquisitionem omittat, tenetur de *Syndicatu*, h. e. litem facit suam, & pro re nata amittit jurisdictionem criminalem, institutô contra ipsum Judiciô propter officium malè gestum. Brunem.

in Proceſſ. Inquis. c. 1. n. 10. 11. Gail. *1. obſerv. 28. n. 1.* Proin Proceſſus *Inquiſitorius* hodie frequentior eſt, quàm *Accuſatorius*, factúsque *remedium Ordinarium*, qui olim erat duntaxat *Extraordinarium*, In inquiſitione mixta, ſi de nulla perſona certa adſint indicia, vel diffamatio, caveat Judex, ne interrogando, vel inquirendo nominet certam perſonam, v. g. an non Titius hoc crimen commiſerit; quia hoc eſſet ſuggerere: cujusmodi ſuggeſtiones in Jure prohibentur. *l. 1. §. 21. ff. de Quæſt.* niſi nempe adſint particularia contra aliquem indicia, aut inquiſitio ſit patens. Inquiſitionem *generaliſſimam* poſſunt, & ſubinde ubi juſta eſt ſuſpicio, tenentur Superiores facere *per c. 1. de offic. Ord.* juncto Trid. *ſ. 21. c. 8. de ref. & ſ. 25. c. 8. de Regular. l. 13. ff. de Offic. Præſid.*

19 Dico 14. Effectus Inquiſitionis *ſpecialis* & *mixtæ* in perſonam certam, vel delictum certum, ubi certa perſona eſt ſuſpecta de aliquo delicto, modò inquiſitio legitimè inſtituta ſit, eſt 1. obligatio manifeſtandi & veritatem dicendi penes eos, qui interrogantur; quia Superiori legitimè interroganti parendum eſt. An verò & quando ipſe Inquiſitus teneatur fateri delictum, diximus ad *tit. de Confeſſis lib. II.* In inquiſitione *generali* vel *generaliſſima*, non obligantur interrogati manifeſtare delicta occulta, de quibus nemo diffamatus eſt vel indiciatus. per *c. 17. h. t.* niſi crimen ſit continuandum, vel ex patrato immineret alicui damnum, aliâ viâ non avertendum. 2. Condemnatio ad pœnam, ſi per inquiſitionem plenè probetur alicujus crimen, & quidem ad Ordinariam. *l. 2. C. de abolit. c. 2. de Confeſſ.* Suffragatur

con-

consuetudo in utroque foro recepta, teste Conzal. *ad c. 21. n. 11. h. t.* cùm consuetudinis Judicium Inquisitionis factum sit ordinarium, & substitutum Accusatorio. *Objic.* In *d. c. 21.* habetur, quòd *in Processu inquisitionis secundùm qualitatem excessûs pœnam moderari possit discretio judicantis:* ergo saltem de Jure Canonico pœna debet esse extraordinaria & arbitraria. R. *N. Cons.* nam textus dicit, *possit*, non *debet*. Dein Praxis, & allata ratio, satìs declarant, quòd debeat Judex pœnam commensuratam delicto, adeóque ordinariam infligere: vel, quòd Juri scripto per consuetudinem derogatum sit.

Quomodo practicè instituendus sit Processus 20
Criminalis in casu Accusationis, Denuntiationis, & Inquisitionis, item in casu Notorii, etiam Regularium, & actualis horum visitatio, explicat D. à Frölichspurg in *Nemesi p. 1. l. 2. & 3.* Jul. Clar. Farinac. Caropzov, & alii Criminalistæ, ac fusè & accuratè P. Anacl. Reiffenstuel *h. t. §. 6. 7. 8.* Dicitur autem delictum *notorium*, quod vel de Jure, vel ex ipso facto ita certum est, ut nulla ampliùs discussione indigeat, vel nulla tergiversatione celari possit. *c. 24. de V. S.* Unde alia est *notorietas Juris*, quæ habetur per sententiam Judicis, quæ transiit in rem judicatam, vel per spontaneam Rei in Judicio confessionem, vel per probationem in Judicio legitimè factam. Alia autem *notorietas facti*, quæ habetur ex præsentia populi, visu vel alio sensu percipientis, ut si major pars, aut in parva communitate decem, vel etiam sex (meliùs relinquitur arbitrio Judicis determinatio numeri) proprio sensu perceperunt delictum. Cum No-

torio quandoque confunditur *Publicum*, quam vis subinde publicum sumatur pro *Famoso*, quod nempe ita manifestum est, ut de eo jam existat fama. His omnibus opponitur *Occultum*, quod ita lateat, ut nec duobus pateat, & in foro externo probari nequeat, vocatur *simpliciter & proprie occultum*, de quo solus DEUS judicat. In Notorio cessat Ordo Judiciarius, & necessitas probandi *c. 3. de testib. cog.*

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit calumniari: prævaricari: & tergiversari.*
2. 3. *Quæ sit pœna Calumniatoris, Prævaricatoris.*

1 *Calumniari* propriè (in criminalibus) dicitur, qui alteri crimen falsum dolose in Judicio intendit. *l. 1. §. 1. ff. ad Sc. Turpill.* h. e. proponit, impingit, objicit sive accusando sive denuntiando. Si id agit sciente dolô verô, calumnia *vera:* si dolô præsumpto (si nempe in probatione deficiat) calumnia *præsumpta* vocatur. Vicina est *Prævaricatio*, quam committit, qui cum Reo colludit, verum crimen abscondendo, veras probationes dissimulando, falsas exceptiones admittendo, ut Reus absolvatur *l. 1. citt. §. 6.* Et *Tergiversatio*, quando quis cœpta accusatione desistit citra abolitionem, quæ

2.

accusatus ex numero Reorum publica auctoritate eximitur. *arg. d. l. 1. §. 7.*

Dico 1. Pœna calumniatoris veri (imò & præ- 2
sumpti, nisi probaverit, se dolô caruisse) est 1. Infamia, sed post condemnationem. 2. Condemnatio in expensas & omne damnum alteri ex calumnia ortum. 3. *Talio*: sed hæc pœna in desuetudinem abiit, & successit. 4. Pœna gravis arbitraria, v. g. pecuniaria, carcer, verbera &c. juxta delicti & personarum qualitatem. 5. Si Clericus contra Clericum calumniatus est, privatio beneficii ac officii Ecclesiastici cum exilio. Cõmunis ex *l. 4. §. 4. ff. de his, qui not. infam. l. 5. C. de fruct. & lit. expens. l. fin. C. h. t. cum Const. Pœnal. Caroli V. art. 12. c. 1. h. t.* A calumnia præsumpta liberatur, consequenter & à pœna, qui delictum alteri impactum saltem semiplenè probat, vel probat, se audivisse à viris fide dignis, aut à testibus se deceptum. Imò certæ personæ, licèt deficiant in probatione, præsumuntur non calumniosè accusâsse vel denuntiâsse, quamdiu dolus non probatur, modò aliqua delicti indicia ostendant, utì filius persequens necem parentum, & vicissim, fœmina suam aut suorum injuriam persequens, maritus intra 60. dies accusans uxorem de adulterio, deferens crimen Reipublicæ valde perniciosum, denuntians vi officii, ut procurator Fisci, custos, vigil &c. Debet tamen etiam apud has personas Judex inquirere ex officio, utrùm non sint veri calumniatores.

Dico 2. Pœna Prævaricatoris est infamia con- 3
demnatione prævia. *l. 4. cit.* & simul arbitraria alia. Tergiversatoris autem præter infamiam

mulcta 5. librarum auri. *l. 3. in f. ff. de Prævaricatione.* Hodie tamen arbitraria, imò nulla; cùm Judex teneatur ex officio novum Inquisitionis Processum instituere.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid, & quotuplex sit Simonia.*
3. Merx *illius est res spiritualis.*
4. *Ex quibus titulis possit dari & accipi temporale pro spirituali licitè.*
5. *Mercis locum etiam obtinent res spirituali annexæ.*
6. 7. *An, & quando res consecratæ vel benedictæ vendi possint.*
8. *Beneficia Ecclesiastica, Decimæ &c. sine Simonia Juris Naturalis.*
9. Pretium *Simoniacum quid & quotuplex.*
10. 11, 12. *Quale debeat intervenire* Pactum, *ut committatur Simonia. An tale sit promissum gratitudinis: vel, si temporale habeat rationem motivi, vel finis, vel compensationis gratuitæ respectu spiritualis.*
13. *An Pactum, si fictum sit, constituat Simoniacum.*
14. 15. *Quando committatur Simonia in Provisione Beneficiorum. Ubi de Simonia Confidentiali.*

16. 17.

16 17. *Quando committatur circa Ingressum Religionis.*
18. *Quæ Simonia habeat pœnas, &*
19. 20. 21. *Quas, quæ committitur circa Ordinationem, Ingressum Religionis, & Beneficia.*
22. *An eas etiam contrahant ignorantes.*
23. *Qualiter Pactum Simoniacum sit nullum.*
24. *An res Simoniacè acceptæ debeant restitui.*
25. *Quis sit Judex, & quæ probatio Simoniæ.*
26. *Quis absolvere, & dispensare in pœnis Simoniæ valeat.*

Simonia à Simone Mago, qui Spiritum S. vel potestatem dandi aliis dona Spiritûs S. pecuniâ sibi comparare voluit ab Apostolis *Act. 8.* nuncupata cum *gl. in pr. caus. 1. q. 1.* & S. Thoma 2. 2. *q. 100. art. 1.* definitur esse *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Sensus est, quòd sit *Sacrilegium, quo res spiritualis, vel spirituali annexa, commutatur pro re temporali per conventionem,* seu per pactum, vel contractum emptionis-venditionis, aut alium quemcunque, onerosum, & non merè gratuitum. Unde tria ad Simoniam propriè dictam essentialiter sunt necessaria. 1. Res spiritualis, vel spirituali annexa, quæ quasi *merx* est. 2. Res temporalis, quæ datur pro illa tanquam *pretium.* 3. Conventio aliqua, vel pactum, tacitum aut expressum, aut saltem actus voluntatis, obligare intendens ad commutandum spirituale pro temporali; in eo enim consistit turpitudo Simoniæ quòd quis res spirituales & sacras adeò vilipendat, ut eas pro temporalibus & profanis

comparari posse vel perversè existimet, vel malitiosè comparare attentet, aut negotiari & in contractum deducere velit; hoc enim pacto profanatur & injuriosè tractatur res spiritualis. Est crimen gravissimum, nec patitur parvitatem materiæ, atque in SS. Canonibus sæpe vocatur etiam *hæresis* Simoniaca, item *pestis* &c. Merx spiritualis & pretium temporale sunt *materia* Simoniæ; conventio autem vel pactio aut contractus est *forma*. De quibus ponemus ordine nostras assertiones, priùs tamen notandum,

2 Simoniam dividi in eam, quæ est *Juris Divini ac Naturalis*, nempe ab ipso DEO ob intrinsecam malitiam prohibita, ut si res spiritualis pro temporali veniat in æstimationem, contractum, & commutationem, v. g. si promittatur vel detur pecunia pro sacris reliquiis, Sacramento Baptismi, Sacrificio Missæ &c. Atque in eam, quæ est solius *Juris Ecclesiastici*, nimirum Jure Ecclesiastico tùm prohibita ex motivo Religionis, & sub pœna Simoniæ Juris Divini, propter periculum & speciem ejusdem Simoniæ, ut si res spiritualis cum alia re spirituali permutetur aliter, quàm velit Ecclesia, v. g. beneficium Ecclesiasticum cum alio beneficio sine auctoritate Superioris: vel temporalis pro temporali, v. g. si officia ad rerum Ecclesiæ administrationem, custodiam &c. pertinentia pecuniâ comparentur: vel aliquid prohibetur propter speciem Simoniæ, v. g. ne examinandi res in Concursu quidquam, etiam *gratuitò* oblatum, accipiant. Et hæc Simonia Juris merè Ecclesiastici, quia non intervenit pactum de re spirituali danda pro temporali, in rigore & univoce

Simo-

Simonia non est, sed solùm analogicè, fictione & æquiparatione Juris. Dividitur 2. in Mentalem, Conventionalem, & Realem. *Mentalis* vocatur non ideo, quasi in sola mente seu proposito interno dandi temporale pro spirituali, vel viciſſim, consistat, sed ideo, quia prava intentio, qua quis reipsa aliquid facit, vel dat v. g. temporale, ut alterum obliget, moveat, vel alliciat ad dandum vel conferendum spirituale, exteriùs non exprimitur, & nec pactum tacitum nec expressum intérvenit. *Cult. h. t.* Neque dicas, Simoniam essentialiter involvere pactum. R. enim, sufficere pactum inchoatum & imperfectum; aliàs, si pactum completum requireretur, non posset ex una tantùm parte committi Simonia, velut tamen Simon Magus solus commisit, non Apostoli, à quibus emere voluit dona Spiritûs S. nam in tali intentione, licet exteriùs non manifestata, obligandi alterum per dationem temporalis ad reddendum spirituale, jam satis reperitur malitia Simoniæ. *Conventionalis* consistit in mutua conventione, seu pacto, expresso vel tacito, de dando spirituali pro temporali, vel viciſſim de dando temporali pro spirituali. Si ex neutra parte facta est traditio rei temporalis, vel spiritualis, est *purè* conventionalis, si ex alterutra traditio & executio facta est, *mixtà* appellatur. *Realis* demum & completa præter pactum involvit simul traditionem ex utraque parte, v. g. si Titius 100. aureos, quos promisit pro obtinenda præsentatione ad beneficium, jam actu dedit, & alter præsentationem ad beneficium actualiter fecit, Simonia evadit realis & completa; involvit itaque traditionem, saltem inchoatè, ex utraque parte.

3 Dico 1. Mercem in mercatura Simoniaca constituit res spiritualis, seu quæ non solùm corporis expers, sed etiam aliquo modo supernaturalis est, vel ad DEI honorem ordinata, vel ad spiritualem animarum salutem: cujusmodi sunt in triplici classe, aliqua enim sunt *formaliter* & intrinsecè spiritualia, utì gratia sanctificans, gratiæ gratis datæ, dona Spiritûs S. virtutes: alia *causaliter*, ac mirum ordinata ad producendum effectum supernaturalem & spiritualem, utì Sacramenta, jurisdictio & potestas Ecclesiastica, consecrationes, benedictones aquæ, numismatum, templorum &c. & alia *effectivè*, quia sunt effectus causæ vel potestatis spiritualis, utì actiones piæ, preces & orationes, functiones sacræ, v. g. baptizare, Missas legere, absolvere à peccatis, aut censuris, conferre Ordines, administrare Sacramenta, dispensare a voto, officia Divina celebrare, Verbum DEI prædicare, miracula facere &c. Proin si pro his & similibus daretur vel exigeretur aliquid temporale tanquam pretium, committeretur Simonia Juris Divini seu Naturalis. Communis & certa ex natura Simoniæ. & *c. 1. 8. 9. 10. 14. 21. 24. 36. 38. 42. hu*

4 Si tamen temporale non daretur vel acciperetur per modum pretii, sed vel 1. titulô *sustentationis*; cùm ipse Christus *Luc. 10.* & S. Paulus *1. Cor. 9.* velit eos, qui aliis ministrant spiritualia ab his recipere temporalia ad sustentandam vitam, de altari & Evangelio vivere, qui deserviunt altari & Evangelium annuntiant, imò ipsa natura docet, mercedem & alimenta deberi Operariis in alienam utilitatem temporalem vel spiritualem laborantibus. Vel 2. titulô *laboris extrinseci*, &

ali-

aliunde non debiti ex officio, contractu, fundatione &c. ut si longius iter deberet facere sacerdos, vel negligere suas functiones alias, ut pro altero Missam faciat in sacello per integram horam v. g. distante. *Extrinseci*, inquam; nam labor *intrinsecus*, qui vel est ipsa functio sacra, vel ab ea inseparabilis, reique spirituali concomitanter annexus, uti v. g. est induere vestes sacras, accedere ad altare, pronuntiare verba, insumere tempus &c. sine quibus v. g. Missa celebrari, administrari Sacramenta, haberi concio &c. nequeunt, temporale pretium non admittit. Vel 3. titulô *gratitudinis*, ad quam (licèt indeterminatam, sive exhibendam vel per temporale vel per spirituale, prout ei libuerit) recipiens ab altero spirituale obligatur Jure Naturali & aliunde. Vel 4. titulô *consuetudinis. c. 42. cit.* aut *ordinationis* à legitimo Superiore Ecclesiastico factæ: quo pacto licitè recipiunt Parochi aliquid pro sepultura, assistentia Matrimoniali, administratione Sacramentorum &c. modò absit animus Simoniacus, & violentia, v. g. talia præstare nolentis, nisi se priùs securum reddat de temporali recipiendo, aut altercantis de stipendio &c. Vel 5. titulô *redimendæ vexæ*, ut siquis justè peteret, v. g. administrari sibi Sacramentum pœnitentiæ, hostiam consecratam ab hæretico, illam injuriosè tractante &c. nec obtinere sine pecunia valeret, hanc dare ex sua parte licitè posset; cùm non daret ut pretium, sed tanquam medium ad tollendam alterius malitiam.

Objic. 1. Sacramentorrm administratio consistit in actionibus Naturalibus: sed pro his sine Simonia dari potest pretium temporale: ergo.

2. Ca-

2. Canonici accipiunt distributiones quotidianas pro præsentia in Choro & officiis Divinis: Religiosi munera temporalia pro suis orationibus: Clerici pecunias pro habendis concionibus, sacrificiis Missæ &c. sed hos omnes nemo damnat Simoniæ. 3. In Curia Romana exiguntur pecuniæ pro dispensationibus forum externum spectantibus: ergo pro actibus jurisdictionis Ecclesiasticæ saltem fori externi potest temporale peti & accipi sine Simonia. 4. Contra Jus Naturale & Divinum non habet locum consuetudo: ergo nequit in Simonia Juris Naturalis & Divini: imò consuetudo aliquid accipiendi pro sepultura Sacra, conferendis Sacramentis &c. disertè reprobatur c. 1 & 9. h. t. ergo consuetudo non est titulus legitimus aliquid accipiendi temporale pro actione aut functione spirituali. 5. Qui promittit vel dat pecunias ad redimendam vexam, immediatè quidem intendit removere injustum impedimentum, mediatè tamen per hujus remotionem obtinere spirituale per pecunias: atqui Simonia committitur etiam ab eo, qui tantùm mediatè sibi procurat spirituale per temporale, ut patet in eo, qui emit alterius preces, & per has consequitur beneficium v. g. Ecclesiasticum.

R. ad 1. *N. ma.* illæ enim actiones ex institutione Christi ordinatæ sunt ad conferendam gratiam supernaturalem, consequenter sunt actiones spirituales & supernaturales. Ad 2. Illi accipiunt temporalia non tanquam pretium, sed tanquam stipendium titulô sustentationis, vel titulô consuetudinis aut ordinationis Episcopi vel tanquam eleemosynam gratis oblatam. Ad

Illa

Illæ pecuniæ exiguntur vel ad sustentandos Officiales Curiæ Romanæ, vel titulô pœnitentiæ illis injunctæ, qui ob delictum contraxerunt inhabilitatem aliquam, & ab ea per dispensationem liberari volunt, vel ut applicentur ad causas pias, v. g. ad redemptionem captivorum, alimenta pauperum &c. in quas commutatur per dispensationem obligatio, per eam tollenda, vel ut rariùs petantur dispensationes, utpote quæ sunt odiosæ, & vulnera legum. Ad 4. Hujusmodi consuetudo non repugnat Juri Naturali aut Divino, cùm vi illius non accipiatur temporale tanquam pretium pro spirituali, sed ex alio titulo, v. g. sustentationis, quæ debetur laborantibus in aliorum utilitatem, licèt aliunde habeant, unde vivant, quia hoc per accidens est. Adde, quòd *Reditus stolæ*, ut vocant, seu ea, quæ Parochi exigunt pro administratione Sacramentorum, celebratione Missarum, sepulturis &c. successerint Decimis personalibus, quæ Parochis aliunde, nisi per consuetudinem essent abrogatæ, deberentur in sustentationem. In *cit. cc.* reprobatur consuetudo, vel non legitimè præscripta, vel quæ aliunde redditur irrationabilis, v. g. per exactionem nimis cupidam, violentam, excessivam consuetudinis aut ordinationis seu statuti, consequenter indicantem animum Simoniacum. Ad 5. *dist. Min.* Simonia committitur etiam ab eo, qui tantùm mediatè sibi per temporale procurat spirituale, si intendatur spirituale per temporale tanquam per se ordinatum ad obtinendum spirituale. *C. min.* si intendatur spirituale per temporale, velut per accidens ordinatum ad

obti-

obtinendum ſpirituale, utì redemptio iniquæ vexæ, & remotio injuſti obicis. *N. min.*

5 Dico 2. Mercis locum in hac impia mercatura etiam obtinet res ſpirituali annexa. Quod ut tequam probetur, notandum eſt, triplici modo poſſe aliquid in ſe temporale annecti ſpirituali. 1. *Antecedenter*, quando res temporalis præexponitur, & ordinatur ad aliquid ſpirituale: ſic Eccleſiæ & templa, calices, patenæ, veſtes & vaſa ſacra, paramenta Eccleſiæ, oleum & chryſma &c. quæ in ſe ſunt quid temporale, per conſecrationem vel benedictionem ordinantur ad Sacrificium, Sacramenta, rem Divinam peragendam. Roſaria ad preces, numiſmata ad devotionem, jus præſentandi ad beneficium, & jus eligendi ad Prælaturam Eccleſiaſticam, imò ipſa præſentatio & electio ad officium ſacrum, Dignitatem Eccleſiaſticam, ceremoniæ ſacræ & Sacramentalia ad cultum Divinum &c. Adeóque omnes res conſecratæ vel benedictæ &c. ſunt antecedenter annexæ ſpirituali. 2. *Concomitanter*, quæ nimirum per intrinſecam neceſſitatem ſunt conjuncta rei ſpirituali, utì labor corporis, & omnis actio, ſine qua exerceri non poteſt functio ſacra vel ſpiritualis, v.g. adminiſtratio Sacramentorum, celebratio Miſſæ, prædicatio Verbi Divini &c. 3. *Conſequenter*, quando ſcilicet aliquid temporale tanquam effectus præſupponit cauſam ſpiritualem: ſic Decimæ (quò etiam referas oblationes) beneficia Eccleſiaſtica, quæ ſunt jus percipiendi res & fructus temporales, adeóque in ſe ſunt jus temporale, quia tamen præſupponunt officium ſpirituale tanquam cauſam, propter quam conceduntur Decimæ

næ & beneficia Ecclesiastica, & cui officio annexum est jus percipiendi temporalia, rectè dicuntur rei spirituali consequenter annexa. Jam de *antecedenter* annexis spirituali, si in concreto sumantur unà cum consecratione &c. scilicet res consecratæ & benedictæ &c. quæ vocantur *Sacramentalia permanentia* (sicut *transeuntia* sunt ipsa consecratio, benedictio, ceremoniæ sacræ, exorcismi &c.) probatur assertio ex *can. siquis objecerit. 7. & seq.* item *can. 12. cauſ. 1. q. 3. c. 16. 36. h. t.* Concordat Jus Civile, quod in *§. 8. Inſt. & l. 6. §. 2. ff. de Rer. diviſ. l. 83. §. 5. ff. de V. O.* res sacras extra humanũ cõmercium ponit. Ratio petitur ex *can. siquis. cit.* ubi habetur, quòd, *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum próvenit* (ut est Ecclesia vel alia res consecrata vel benedicta) *neutrum invenditum derelinquat.* Et additur: *nullus igitur emat Ecclesiam, vel Præbendam, vel aliquid Ecclesiasticum.* An verò quoad materiam vel formam artificiosam. vendi possint & in abstracto, dicemus postea. De *concomitanter* annexis jam satìs paulò ante declaratum est, quòd sint actiones spirituales, adeóque sine Simonia non vendibiles, & pretium non recipiant. De *consequenter* annexis, quamdiu nimirum manet annexio, & authoritate Summi Pontificis, per quam facta est, non fuerit sublata, patet ex *can. 3. cauſ. 1. q. 1. can. siquis. cit. c. 27. 33. h. t.*

Quæres, an res consecratæ vel benedictæ in abstracto & quoad materiam vel formam, quam habent & retinent fortè pretiosam, v. g. calices, templa &c. vendi nequeant? R. cum S. Thoma *2. 2. q. 100. a. 4.* Suar. & communi Theologorum & recentioribus Canonistis contra Panormit. & antiqui- 6

tiquiores Canoniſtas, ac recentiorem P. Placidum Böckn *h. t. n. 15. ſeqq.* poſſunt vendi, modò propter benedictionem vel conſecrationem vel ornatum, quem habent ad ſpiritule, non augeatur pretium. Ratio eſt 1. quia, quæ antecedenter ſunt annexa ſpiritualibus, ex una non amittunt per connexionem ſuum valorem intrinſecum pretio æſtimabilem quoad materiam, & formam artificialem, ex altera verò parte benedictio vel conſecratio non ita cenſetur annexa, ut in æſtimatione naturali per intentionem ementium & vendentium ſeparari nequeat. Id quod confirmatur 2. ex paritate cum jure patronatûs annexo rei temporali v. g. caſtro aut univerſitati bonorum, quæ ... omnes ſine Simonia vendi poteſt, ita ut jus patronatûs quoque tranſeat ad emptorem. per *c. 7. Jur. Patron.* Adde, quòd juxta *can. 13. can. ... cauſ. 12. q. 2.* poſſit Eccleſia calices & pa... conſecratas vendere alteri. Roboratur 3. ... praxi & à nemine improbata conſuetudine, ... paſſim videmus, numiſmata, imagines cereas, ... Roſaria benedicta vendi, nempe ſecundùm ... teriam, & ſumptibus, labore, curâ, itinere, ... quibus comparari vel aſportari non poterant, ... pretium imputatis. Notant tamen DD. ut, ſi ... lices vaſa aut paramenta ſacra vendantur Lai... ſacri uſûs, ad quem deſtinata ſunt, non capaci... priùs confringantur vel diſſuantur, ut ſi amitt... conſecrationem vel benedictionem: quod ... de numiſmatis, Roſariis &c. non procedit, ... eorum uſus etiam ad Laicos pertineat.

7 *Objic.* 1. ex *can. ſiquis cit.* ubi diſertè proh... tur, ne templum vel Eccleſia materialis ... alia

alia res, semel ad usum Divinum deputata, ematur vel vendatur. Concordant *c. 8. 9. 16. 36. h.t.* ubi etiam contrariæ consuetudines reprobantur. Item Jus Civile *§. 8. Inst. & l. 6. ff. de Rer. div. l. 83. cit.* ergo. 2. Oleum & Chrysma sacrum nec quoad materiam vendi absque Simonia potest. *can. 102. caus. 1. q. 1. c. 16. & 36. citt.* ergo nec aliæ res benedictæ aut consecratæ. 3. Spirituali *consequenter* annexa utì beneficia, vendere est Simoniacum. *can. siquis cit. c. 34. de Sim. c. 4. 6. fin. de Pact.* ergo & *antecedenter* annexa. 4. Etsi materia. v. g. calicis, in se sit res temporalis, in sensu tamen composito consecrationis, vi cujus unicè refertur ad aliquid spirituale, nempè ad Sacrificium, fieri nequit, ut dicta materia calicis fiat obnoxia commercio humano. R. ad 1. Illi textus explicari possunt de rebus sacris in concreto, quatenus simul consecratio, vel ordo ad spirituale, trahitur in æstimationem. Aliqui putant, ibi specialiter prohiberi venditionem templorum & Ecclesiarum, at Jure tantùm Ecclesiastico, cui per contrariam consuetudinem derogatum sit. Jus Civile de rebus sacris disponendi facultate caret. Ad 2. Ibi Episcopis tantùm prohibetur (non aliis) ne accipiant aliquid pro oleo & chrysmate sacro, & hinc Simoniam Juris Ecclesiastici, nisi huic per consuetudinem derogatum sit, committunt aliquid accipiendo, non alii. Ad 3. *N. cons. & pari.* nam *consequenter* annexa ad spirituale, v. g. beneficia Ecclesiastica ad titulum & officium spirituale, non præsupponunt aliquid pretio æstimabile, sicut *antecedenter* annexa, atque illorum annexio ex Jure Ecclesiastico est tanta, ut à privatis,

etiam per ſolam intentionem, in æſtimatione mo-
rali tolli non valeat; & hinc de illis procedit
quisquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum
próvenit, neutrum invenditum derelinquit. can.
quis 7. cit. nam in beneficiis &c. rei ſpirituali to-
quam præſuppoſito & principali annectitur re-
porale tanquam acceſſorium: econtra in *am-*
denter annexis temporale præſupponitur tanq-
principale, & ſpirituale annectitur velut acceſ-
um. Ad 4. Si accedat intentio vendentiũ & em-
tium res conſecratione vel benedictione affec-
qua præcisè volunt pretium dare vel accipere
materia, vel forma artificioſa, non ampliùs cr
ſenſus compoſitus, & tales res non in concreto
quoad materiam &c. tantùm, in æſtimationem
niunt. Cæterùm permutare res ſacras pro re
ſacris (extra materiam beneficialem) v.g. R
quias pro Reliquiis, vel pro Roſario Indulge
habente, licèt fiat ſine auctoritate Epiſcopi
Simonia Juris Eccleſiaſtici eſt.

8 Dubitabis, an committatur Simonia Juris
vini & Naturalis, vel tantùm Eccleſiaſtici, ſi
tium temporale detur vel accipiatur pro reb
rituali à Jure Eccleſiaſtico annexis, utì ſunt Be
ficia Eccleſiaſtica, Decimæ ſeu potiùs jus
mandi &c? R. cum S. Thoma 2. *2. q. 100.*
in C. Suar. Covar. Gonzal. & communi co
Felin. Garc. Jul. Clar. Zœſ. Eſparz. Cardena
Criſi diſſert. 27. c. 1. n. 6. eſt Juris Naturalis &
vini. Sumitur ex *d. can. ſiquis.* & *can. ſeq.* ubi
banus II. interprete gloſſa beneficii venditio
Simoniacam eſſe probat ex verbis S. Petri
ad Simonem Magum, dicentis, *pecunia tua*
ſit

sit in perditionem, quibus D. Petrus utique damnavit Simoniam Juris Divini & Naturalis. Accedit *can. 3. cauſ. 1. q. 1.* ubi habetur, quòd beneficium vendere aut emere nihil ſit aliud quàm *altare*, *& decimas, & Spiritum S. emere vel vendere.* Ratio eſt, quia, quando jus percipiendi fructus temporales, ut contingit in Beneficiis Eccleſiaſticis & Decimis, à Jure Eccleſiaſtico annectitur officio ſpirituali, jus ad fructus & jus vel obligatio officii ſpiritualis, (quamdiu manet illa annexio, nec à Summo Pontifice, qui ſolus id poteſt, & Jus Eccleſiaſticum tollere, ſublata eſt) cenſetur unum eſſe jus. per *c. 25. de Præb.* & unum ſine altero, conſequenter ſine jure officii ſpiritualis, vendi nequit. per *d. can. ſiquis.* adeóque ſemper manet ſenſus compoſitus annexionis rei ſpiritualis ad jus temporale. Si ſermo eſt de ipſis fructibus beneficialibus vel decimalibus, cùm non ſint annexi juri vel officio ſpirituali, adeóque ſint aliquid merè temporale, vendi utique liberè ac ſine omni Simonia, etiam Juris Eccleſiaſtici, poſſunt. *Objic.* Illa connexio inter ſpirituale & temporale in prædictis juribus non próvenit ab intrinſeca neceſſitate, ſed præcisè ex diſpoſitione Juris Eccleſiaſtici, cùm beneficia, decimæ &c. ſint conſtitutæ ab Eccleſia: ergo circa illa ſolùm comittitur Simonia Juris Eccleſiaſtici. *R. N. conſ.* facta enim ſemel annexione, eáque perdurante, cum jure ad fructus venditur etiam illud jus, cui tanquam principali illud acceſſoriè annexum eſt, nempe jus officii ſpiritualis; quod eſt Simonia Juris Divini ſeu Naturalis. Sicut reſidentia in loco beneficii Curati eſt Juris Divini, licèt erectio beneficii Curati, & deſignatio certi diſtri-

ctûs, sit facta ab Ecclesia, seu auctoritate Eccle
siastica.

9 Dico 3. *Pretii* nomine in ordine ad Simoniam non sola venit pecunia, sicut in emptione-venditione, sed omnis res temporalis pecuniâ æstimabilis vel quæ affert utilitatem temporalem. Sæpe vocatur *munus*, quatenus hæc vox significat omnem obligationem alicui impositam, Hoc pretium triplex. 1. *Munus à manu*, per quod intelligitur pecunia, vel alia res quæcunque pecuniâ æstimabilis, ut contra-distincta à precibus, & servitiis. 2. *Munus à lingua*, per quod denotantur preces, intercessiones, laudes, recommendationes &c. facta ex pacto vel intentione obligandi aliquem ad tenendum per illas aliquid spirituale. v.g. si quis alteri promittat vel det pecunias vel aliquid temporale ex intentione ipsum obligandi ad intercedendum pro se apud tertium, ut iste conferat beneficium Ecclesiasticum preces taliter ementi. 3. *Munus ab obsequio*, per quod veniunt servitia, v.g. famulatus, negotii gestio &c. facta ex pacto vel intentione obligandi alterum ad spirituale dandum, v.g. famularis Patrono habenti jus præsentandi beneficium ea intentione, ut ipsum obliges ad præsentandum loco mercedis, aliàs debita in servitiis, vel viciſſim Titius Patronus te præsentet ea intentione, ut tu proptera tenearis ipsi famulari ad tempus absque mercede temporali, vel tem servitia non æquante. Hæc tria omnia possunt habere rationem pretii Simoniaci. De *primo* horum est per se, & ex verbis S. Petri: *pecunia tua tecum sit in perditionem*. De *secundo* patet ex *can. cauſ. 1. q. 5.* quia sic per pecuniam paratur via ad

obtinendum spirituale, quod juxta S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5. & communem aliorum sufficit ad constituendam Simoniam. Aliud foret, si preces non emeres pecuniâ vel alia re temporali, sed tantùm rogares alterum, ut pro te intercederet, & per hanc intercessionem consequereris spirituale. Item si dares quidem pecunias, non ut alter pro te intercederet, sed tua merita præcisè proponeret tertio, à quo dependet datio vel collatio rei spiritualis, aut ut tibi aditum impetret, vel aliquid laboris in tui gratiam subeat &c. quamvis hoc sit periculosum; facilè enim talis informator evadit interessor intuitu promissæ sibi aut datæ pecuniæ. De *tertio* constat ex *c. 12. h. t.* quia verè exhibetur temporale, seu servitium pretiô æstimabile, pro spirituali, vel viciſſim spirituale pro temporali obtinendo. Aliud foret, si gratis servires, & sine intentione obligandi alterum ad exhibendum spirituale, licèt sperares indè consequi spirituale, aut viciſſim. Item si servitium spirituale, v. g. orationes, sacrificia &c. promitteres pro obtinenda re spirituali, modò hoc spirituale non sit Beneficium Ecclesiasticum; tunc enim foret Simonia Juris Ecclesiastici. per *c. fin. de Pact.* specialiter *c. 5. de rer. permut.*

Dico 4. Licèt detur temporale, & accipiatur 10
spirituale, si tamen non interveniat pactum, vel conventio onerosa, vi cujus imponitur aut intenditur obligatio ad dandum temporale *pro* spirituali, aut viciſſim spirituale *pro* temporali, ita ut temporale habeat rationem pretii ad spirituale, atque sic fiat commutatio, adæquatio, vel appretiatio rei spiritualis cum temporali, non committitur

Simonia. Communis & certa ex *c. 9. 18. c. 3. h. t.* atque ex Simoniæ essentia, cujus forma substantialis est conventio vel pactum *onerosum*, contractus non gratuitus, seu per se inducens obligationem, & quidem rigorosam, qualis aliqua est Justitiæ. *can. 4. caus. 1. q. 2. c. 18. cit.* Unde si ex alio motivo aut titulo detur vel promittatur spirituale, aut viciſſim, v.g. ex gratitudine pro spirituali jam acceptam, vel si res temporalis sit tam modica, ut animum accipientis non flectat permotura credatur ad illius compensationem per spirituale faciendam, Simonia non committitur, & gratis dari censetur spirituale, non pretio temporali. Quale autem pactum sufficiat in Simonia Mentali, superiùs *n. 2.* explicatum est. In Conventionali requiritur verum pactum, sive expressum, vel tacitum, quo per circumstantias vel factum exprimitur mens dantis vel faciendi aliquid, aut contractus onerosus; ad quos contractus etiam pertinet transactio, qua quis promittit vel dat spirituale pro temporali, vel hoc temporale remittit, v. g. debitum pecuniarium pro spirituali, aut retinet, quod reddere alteri deberet, propter datum vel collatum spirituale. *c. 9. de Pact. c. 9. 10. de transact.* quia transactio est contractus onerosus, & permutatio unius pro alia re. Aliud foret in transactione impropriè, seu compositione amicabili, qua gratis alteri aliquid conceditur.

11 Objic. 1. Committitur Simonia, etsi temporale non detur pro spirituali tanquam pretium, sed ut motivum conferendi vel efficiendi spirituale. 2. Vel si temporale intendatur ut finis rei spiri-

lis. 3. Vel si temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, utì probatur ex propositionibus 45. & 46. ab Innoc. XI. damnatis, quarum prior sic habet: *dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam, quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra:* posterior sic sonat: *& id quoque locum habet, etiamsi temporale sit motivum principale; imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic, ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.* Sed in his omnibus casibus non intérvenit pactum, quo datur vel promittitur temporale *pro* spirituali: ergo. Rursus 4. Simoniacum est promittere, dare, exhibere aliquid temporale sub obligatione gratitudinis per pactum imposita; ergo non requiritur pactum onerosum *rigorosam*, seu Justitiæ, obligationem de se inducens. 5. Vice versa Simoniacum non est temporalia promittere vel dare sub conditione vel modo, *si* alter, vel, *ut* exerceat pia opera, v.g. quando parentes promittunt liberis munera, *si*, vel *ut* obeant Sacramenta aut templa: quando alitur studiosus ea conditione, ut ingrediatur Religionem: quando pauperi constituitur pecunia, ut fundat certas preces, vel Canonicis dantur distributiones, ut compareant vel psallant in choro &c. sed in his omnibus intérvenit pactum præter temporale & spirituale: ergo nec interveniens pactum, quo promittitur temporale, vel datur, pro spirituali, sufficit ad Simoniam,

℟. Has objectiones satis esse difficiles, satis ta- 12
men etiam solubiles. Ad 1. dico, sensum esse,

quòd ille committat Simoniam, qui quidem non expressè pacíscitur de re spirituali danda pro temporali reflexè tanquam *pro pretio*, dat tamen intentione & animô, ut alterum per temporale moveat, & obliget ad conferendum vel efficiendum spirituale. v. g. si Titius sciens vacare beneficium accedat Patronum, eique offerat pro honorarium, v. g. vas argenteum, equum generosum, vel certam pecuniæ summam, simulque explicet pro præsentatione ad beneficium; nam tali casu vel datur pactum incompletum ex parte dantis temporale cum intentione movendi & obligandi ad præsentationem, non tamen manifestatâ, & tunc est Simonia Mentalis. per c. 34. vel (quòd in his circumstantiis verius esse puto) cùm intentio satis videatur manifestari) datur pactum completum, licèt tacitum duntaxat & mentale, consequenter Simonia Conventionalis, cùm utique satis appareat ex dictis circumstantiis equum vel pecuniam non gratis & liberaliter offerri; & Titius non foret contentus, si Patronus acceptaret, & tamen ad beneficium non præsentaret. Ad 2. ajo, sensum esse, quòd ille committat Simoniam, qui dat vel facit spirituale propter temporale tanquam finem, & temporale hoc intendit tanquam *pretium*, seu quando intervenit pactio vel intentio dandi vel faciendi spirituale *pro* temporali: non verò, qui temporale non intendit tanquam *pretium* rei spiritualis, sed dat vel accipit ob aliam causam, v. g. ex titulo stipendii ad sustentationem, ex gratitudine, ad redimendam vexam &c. & quando non intervenit pactio vel intentio dandi spirituale *pro* temporali, &

quando

quando temporale non æquiparatur, vel præfertur, vel commutatur cum spirituali. Et hoc modo explicat propositionem damnatam 46. P. Melchior Friderich *in tract. de Simon.* meô judiciô longè clariùs & universaliùs, quàm alii, qui cum Cardenas dicunt, tunc committi Simoniam, quando temporale intenditur tanquam *finis extrinsecus* vel tanquam *intrinsecus primarius*, non verò, quando intenditur ut finis intrinsecus secundarius. Rationem sic explicandi dat P. Friderich hanc; quia potest aliquid habere rationem finis intrinseci secundarii, & tamen intendi *ut pretium*, v. g. miles intendit defensionem Patriæ primariò, stipendium verò tantùm secundariò, & tamen stipendium intendit ut pretium sui laboris: econtra potest aliquid intendi primariò, & tamen non habere rationem *pretii*, v. g. pauper petens elemosynam intendit hanc primariò, at non utique ut pretium suæ petitionis. Certum verò est, non committi Simoniam, si temporale non habeat rationem pretii respectu spiritualis; si verò habeat, committi. Ad 3. concedo, quòd comittatur Simonia, si temporale sit *gratuita compensatio* pro spirituali in hoc sensu, quòd exhibens spirituale intendat alterum obligare ad gratitudinem *certô & determinatô modô*, nimirum determinatè per temporale, exhibendam; quia tunc involvitur pactum oneroſum, & verè intenditur *compensatio* rei spiritua- per temporale, non obstante, quòd vocetur *gratuita*, cùm revera non sit gratuita, & solius gratitudinis obligatio, sed onerosa; quia talis sic dicit v. g. *confero tibi gratis & liberaliter beneficium Ecclesiasticum, sed ita, ut tu ex gratitudine*

obligeris mihi dare 100. aureos, quod est abuti vocabulis & inaniter ludere in verbis, atque sic facilè omnis Simonia eluderetur. Econtra si exhibens spirituale solùm intendat obligare alterum ad gratitudinem simpliciter, modô indeterminatô, quo alter voluerit, exhibendam, nimirum sive per spirituale, v. g. per preces aut sacrificia, sive per aliquid temporale, non committitur Simonia per gratuitam compensationem in hoc sensu acceptam; quia accipienti spirituale non imponitur nova obligatio, sed gratitudinis tantùm, quæ oritur aliunde ex Jure naturali erga benefactorem, si nempe relinquatur libertas gratitudinem exhibendi eo modo, quo ille voluerit, qui aliquod beneficium ab altero accepit. Atque in hoc sensu reditio rei temporalis per accidens & gratis fit, atque meliùs vocatur *antidoralis* seu remuneratoria vel gratuita *donatio*, quàm gratuita *compensatio*. Atque hinc ad tria prima membra negatur *minor*. Ad 4. *Dist. Antec.* Est Simoniacum promittere &c. temporale sub pacto & obligatione gratitudinis in genere, & exhibendæ pro libito. *N. Ant.* Quia alter jam aliunde obligatur ad aliquam gratitudinem in genere, cui ergo benefacit per spirituale: sub obligatione gratitudinis determinatô modô, non prout alteri libuerit, sed exhibendæ determinatè per temporale pro spirituali. *C. Ant. & N. Cons.* Sicut autem non committit Simoniam, qui dat spirituale sub spe consequendi temporale (utì & sub obligatione gratitudinis in genere in pactum deducta) ita nec committit, qui ex metu mali aliàs imminentis dat vel ex amicitia, aut consanguinitate, quia

spe

sperat, ex amicitia facit, aut sub obligatione gratitudinis in genere, nec ipse agit ex obligatione, nec imponit alteri obligationem, saltem novam, quam non aliunde habet. Unde &, qui sic dicit, *certus esto me fore gratum, si exhibueris mihi spirituale*, non committit Simoniam, modò non intendat se obligare ad gratitudinem certô modô, & determinatè per temporale exhibendam. Si tamen hujusmodi pactum fieret circa beneficia Ecclesiastica obtinenda, foret Simonia Juris Ecclesiastici, & sæpe periculum Simoniæ Juris Naturalis, quia promittens gratitudinem, vel dans spirituale, facilè intelligit gratitudinem per temporale exhibendam. Ad 5. *C. Ma.* cujus veritatem comprobat communis sensus DD. & piorum fidelium praxis, imò Jus Canonicum *c. 2. de sepult. c. 2. 4. de condit. appos.* & ipse DEus, in veteri Testamento Judæos provocans ad observanda mandata, & faciendos actus virtutum, promissâ frumenti aliorúmque bonorum temporalium abundantiâ. Sed *N. Min.* Non enim intérvenit pactum, vel contractus onerosus, quo mutera temporalia piè agentibus promittuntur vel dantur tanquam pretium pro piis actibus, & sub obligatione absoluta eos ponendi, minùs in utilitatem promittentis aut dantis temporalia, sed promittuntur vel dantur per modum aut invitationis, aut stipendii ad sustentationem, aut ex titulo susceptæ in alterius gratiam obligationis: manent proin donationes, aut liberales remunerationes, licèt sub conditione, vel modo, & spectantes non utilitatem dantis, sed accipientis, & DEI honorem

Quæ-

13 Quæres, an pactum, quod ex una vel utraque parte paciscentium est fictum, & non seriùm, constituat Simoniam. R. cum P. Friderich. Si utraque Pars promitteret fictè, v.g. Titius pecunias, Cajus beneficium, sine animo se obligandi, non committeretur Simonia; cùm desit totalitèr intentio & consensus, essentialiter requisitus ad pactum, velut formam substantialem Simoniæ. Si verò ex una tantùm parte fictio contingat, ut simul per fictam promissionem rei temporalis obtineatur spiritualis, vel vice versa, ut si Titius fictè promisit pecunias, Cajus verò hac promissione illectus præsentavit Titium ad beneficium, committitur Simonia, licèt multi & graves DD. dissentiant. Ratio est 1. quia per fictam promissionem pecuniæ in effectu non minùs obtinetur spirituale, & via ad illud obtinendum paratur, ac per seriam: ergo committitur Simonia, sicut propter eandem rationem committitur Simonia per promissionem solam pecuniæ, licèt hæc actualiter non solvatur, quia per promissionem æquè, ac per actualem solutionem, obtinetur spirituale. Et ideo ad *Tit. de Sponsa.* docui, quòd fictè promittens Matrimonium æquè teneatur determinatè ducere deceptam, quam veré & seriò promittens. Ratio est 2. quia, ut DD. communiter ajunt, quod in Judiciis est corruptio, in beneficiis Ecclesiasticis est Simonia: sed corruptio Judicis æquè fieri censetur per promissionem fictam pecuniæ, quàm per seriam, cùm æquè ad iniquam sententiam movere sit aptum: ergo. *Objic.* Fictè promittens caret animô dandi temporale pro spirituali: ergo. R. *Dist. Ant.*

Caret

Caret animô dandi, simul tamen habet animum obtinendi spirituale per temporale licèt fictè promissum. *C. Ant.* non habet hunc animum. *N. Ant. & Cons.* Iste animus jam sufficit ad constituendam Simoniam.

Hucusque de constitutivis & natura Simoniæ in genere. Nunc placet aliqua subjungere de Simonia, quæ committitur circa beneficia Ecclesiastica, & nimis frequenter, longéque frequentiùs, quàm in aliis materiis, ob ingentem utilitatem temporalem, quam habent beneficia: cùm *sint jus percipiendi reditus temporales Ecclesiæ propter officium spirituale:* item de Simonia circa ingressum in Religionem in specie. Postmodum de pœnis in Simoniacos statutis.

Dico 5. Promittere, dare, exigere, vel accipere aliquid temporale pro consecutione beneficii interveniente pacto, vel intentione obligandi, est Simonia. 14

Est indubitatum apud omnes propter claros textus *Can. 2. 7. 8. 9. caus. 1. q. 3. c. 4. 6. fin. de Pact. c. 7. de transact. c. 34. h. t.* Cùm beneficium detur propter officium. *c. ult. de Reser. in 6.* & jus percipiendi fructus beneficiales sit annexum, & quidem à privatis inseparabiliter, officio & titulo spirituali. Dixi 1. *consecutione*, quo nomine intelligi volo præsentationem & institutionem, electionem & confirmationem, postulationem & admissionem, liberam collationem, item permutationem & resignationem, & quamcunque provisionem, ubi intérvenit temporale ex pacto, vel intentione obligandi ad providendum. De resignatione adhuc observa, quòd, si beneficium liberè, & non in favorem alterius,

rius, resignetur sub reservatione pensionis, item si resignetur cum pacto, ut resignatarius solvat expensas à resignante factas in obtinendo beneficio, vel in litem, etiam Simoniaca sit (non tamen, si paciscantur, ut resignatarius solvat debita nomine Ecclesiæ contracta) quia pensio reservata est merè temporalis, & obligatio solvendi expensas est nova, beneficio per se non annexa. Dixi 2. *beneficii*, prout nempe est jus percipiendi fructus officio spirituali annexum; ipsi autem fructus beneficiales, sive pendentes adhuc sint, vel futuri, sive jam separati à solo, licitè venduntur, permutantur, elocantur &c. pro temporali. *Objic.* Passim datur consuetudo, & quidem tolerata, vi cujus pro admissione ad possessionem Canonicatûs vel alterius beneficii exigitur & dantur sportulæ, consistentes in pecunia, honorariis, conviviis: ergo. R. quamvis hujusmodi consuetudo reprobetur in *c. 44. h. t.* & Trid. *s. 24. c. 14. de ref.* in quibusdam locis tamen ita invaluit, ut DD. cum Pirhing *h. t. n. 91*, non audeant damnare tanquam Simoniacam non audeant, usque ex eo capite, quòd hæ sportulæ exigantur & dentur post plenè acquisitum jus in beneficio, sed præcisè pro acquirenda quieta possessione, quæ consideratur tanquam aliquid facti, ac temporale aut corporale in se, aliunde & per se jam debitum, quo pacto non intervenit Simonia Juris naturalis, quæ utique per consuetudinem tolli nequit, sicut siquis fructus beneficiales deberet redimere pecuniâ, conviviô, vel aliâ sportulâ. Datur itaque ad redimendam vexam, non pro jure spirituali, quod licitum est, & tunc in materia beneficia-

cìali contingit, quando jus ſpirituale jam plenè & perfectè quæſitum & certum eſt, nimirum non modò jus ad rem per præſentationem aut electionem, ſed etiam per inſtitutionem, confirmationem, aut collationem jus in re. per *c. 28. h.t.* Aliud foret, ſi jus adhuc eſſet dubium, vel necdum plenè quæſitum, v. g. necdum facta eſſet confirmatio electionis, tunc enim nec obex aut vexa removeri vel redimi pecuniâ poſſet ab eo, qui prodeſſe poteſt v. g. præſentando, ſuffragium dando &c. *c. 20. & 23. eod.* Cæterùm in materia beneficiali omne pactum, licèt per illud etiam ſpirituale, v. g. beneficium promittatur, vel permutetur pro beneficio, ac pretium temporale non interveniat, ita prohibetur in Jure, ut, ſi fiat abſque auctoritate Epiſcopi, inducat Simoniam Juris Eccleſiaſtici. *c. fin. de Pact. c. 5. x. & c. un. de rer. permut. in 6. conſt. Quanta Eccleſiæ* S. Pii V. ſcilicet ob mercationis ſpeciem, & periculum, ne per hujusmodi pacta quæratur utilitas temporalis ex perverſa cupiditate, quod periculum præſumitur à Jure.

Dico 6. Specialis Simonia, quæ *Confidentialis* dicitur, in beneficiis Eccleſiaſticis de Jure Canonico introducta eſt, gravibúsque pœnis coërcetur. Datur tunc, quando quis alteri procurat beneficium, nempe conferendo, eligendo, præſentando, vel in ejus favorem reſignando &c. cum certa *confidentia*, h. e. non cum ſpe & mera fiducia, ſed cum pacto expreſſo vel tacito, ut idem beneficium poſt aliquod tempus cedatur, conferatur &c. procuranti vel alteri: quod triplici potiſſimùm modo contingere poteſt. 1. Cum reſervatione *acceſſûs*, h. e. § 15

cum

cum pacto, ut is, cui procuratur, ex postfacto idem beneficium resignet iterum procurandi, vel alteri, qui hìc & nunc propter impedimentum, v. g. ætatis non est illius capax, & sublatô impedimentô pateat ipsi liber accessus ad beneficium propria auctoritate. 2. Cum reservatione ingressûs, h. e. quando quis obtinuit beneficium, retinendum tamen possessionem, & illud cedit alteri eo pacto, ut post cessionarii mortem vel resignationem idem beneficium ingredi, ejúsque possessionem capere possit. 3. Cum reservatione regressûs, quando quis beneficium à se jam possessum cedit alteri eo pacto, ut sibi vel alteri post cessionarii mortem vel resignationem liceat ad illud regredi vel recuperare. Atque hæ tres species quia nihil temporale intérvenit, solùm constituunt Simoniam Juris Ecclesiastici. *Quartus* autem modus, quo conferens vel renuntians vel aliud procurans alteri beneficium reservat *pensionem* sibi vel alteri solvendam, inducit Simoniam Juris Naturalis, quia pensio, consistens præcisè in fructibus reservatis, est aliquid temporale. Aliter est, si pensio auctoritate Episcopi ex justa causa statuatur vel reservetur. per *c. 21. de Prab.*

16 Dico 7. Promittere vel dare, exigere vel accipere aliquid temporale pro ingressu Religionis, h. e. pro admissione vel in Novitiatum vel ad Professionem aut ad vota Religiosa, si intercedat pactio, est Simonia Juris Naturalis & Divini. *c. 8. 19. 25. & c. & Extrav. 1. int. Com. h. t.* quia talis ingressus ordinatur ad finem supernaturalem, & perfectionem charitatis. D. 1. *pro ingressu*; licitum enim est aliquid ... pere

pere vel etiam paciſci *titulô ſuſtentationis*, ſi Monaſterium ſit inops, & Regula Ordinis non repugnet. Communis cum S. Th. & Suar. per Trid. *ſ. 25. c. 16. de Regular.* ſuffragante praxi, & ratione, quia tali caſu exigitur temporale pro temporali. Item *titulô dotis*, licèt Monaſterium ſit probè fundatum & dotatum. Sumitur ex privilegio Innoc. VIII. id expreſsè indulgentis Monialibus teſte Aſcan. Tambur. modò non recipiant inhabilem præcisè ex intentione conſequendi temporalia. Confirmat praxis valde generalis, præſertim apud Moniales, & ratio, quia Profeſſio Religioſa non tantùm conſiderari poteſt ut ſtatus ſpiritualis, ſed etiam ut quidam contractus humanus, per quem Religio obligatur ad alendam perſonam, & ad onera hujus ſtatûs: ſicut igitur de dote pro ſponſa terreni ſponſi ob onera Matrimonii licet paciſci, cur ex ſimili cauſa non liceat paciſci de dote pro ſponſa Chriſti? Idem videtur eſſe de pacto circa donationem propter nuptias in vivis, utpote quæ pari paſſu ambulat cum dote: item circa legitimam; quia parentes hanc tenentur aliunde liberis relinquere. P. Franc. Schmier *de delictis p. 2. c. 1. à n. 112.* Notant tamen DD. facilè & forſan ſæpius contingere, ut, licèt forſan evitetur Simonia, turpis tamen avaritiæ labes à Monaſteriis contrahatur, ſi adeò ſordidè inhient temporalibus, & ab ingreſſuris tam ſollicitè amplas paciſcantur dotes, magìs ad pecunias, quàm ad perſonarum habilitatem attenta, nec facilè recipiant pauperes, quæ minorem afferre dotem poſſunt. *Licèt forſan evitetur Simonia*, inquam; plurimi enim, nec abſque ratione improbant exactio-

nem *titulô dotis* in Monasteriis bene fundatis, utpote quæ vi fundationis tenentur professas & professos alere, ac onera Monasterii portare. Addunt quoque P. Reiffenstuel, P. Schmalzgruber, & *cit.* P. Schmier, licitum esse Monasterii, etiam divitibus, pacisci de certa portione bonorum sibi obventura intuitu ingredientis, & renuntiantis futuræ hæreditati parentum, aut alteri cuicunque justæ prætensioni; quia in tali casu pactum fit solùm de temporali pro temporali, v.g. de legitima anticipatò solvenda pro jure hæreditatis cesso. Confirmat consuetudo. Dixi 2. *& monia Juris Naturalis & Divini*; quia *Juris Ecclesiastici* tantùm Simonia probabiliùs committur, si Monasterium sit dives, & tamen ab ingredientis aliquid per pactum exigat vel accipiat Monasterium *titulô sustentationis*, ut ex *c. 40. h.t.* Pelao & multi Recentiores docent contra P. Reiffenstuel; quia solum temporale venit in contractum vel pactum pro temporali, nimirum pro sumptibus in sustentationem necessariis. Cui Juri Ecclesiastico videtur derogatum esse per consuetudinem, quæ vel indè rationabilis esse potest, quòd hoc pacto plures possint recipi, ac bona in fundationes Monasteriorum assignata, quæ variis casibus & periculis sunt exposita, securiùs conserventur, vel forte amittenda resarciantur. Dein hoc modo coercetur avaritia ac invidia parentum & consanguineorum, qui liberis, quasi forent illegitimi, ne consanguineis Religionem ingredientibus, nihil darent, vel non nisi modicum, ne quidem legitimam: quod prorsus indignum est, & nescio, an non maledictionem Divinam post se trahat. De

reli-

reliquo sponte oblata utique citra periculum Simoniæ & licitè accipiunt Monasteria ab ingredientibus.

Objic. 1. Prohibitum est Monasteriis bene do- 17
tatis aliquid exigere de pactu, victu, vestitu, pecuniis. *Extrav. cit.* item sub specie vel *prætextu* paupertatis. *c. 40. cit.* & quidem Jure Divino ac Naturali, ut evidens esse putat P. Reiffenstuel: ergo Monasteria bene habentia nihil exigere possunt titulô sustentationis, dotis &c. etiam vi consuetudinis, cùm temporale exigeretur pro ingressu, eò quòd alius titulus non habeat locum. 2. Non licet Monasteriis plures recipere, quàm vel ex reditibus suis, vel consuetis eleemosynis commodè sustentare possint. *c. un. §. sanè de statu Regular. in 6.* Trid. *s. 25. c. 3. de Regular. Const. Nullum omnino Clem. VIII.* ergo nunquam potest habere locum titulus dotis, aut sustentationis, & pactum super ea. 3. Ingressuri, vel ingressi ante editam Professionem liberè possunt disponere de rebus suis, & Monasteriis nihil tenentur assignare vel dare. Trid. *s. 25. c. 16. de Regular.* ergo adigi per pactum nequeunt, ut aliquid anticipatò acceptum in dotem afferant Monasteriis sub conditione, ut ista renuntient futuræ hæreditati &c. 4. Legitima non debetur liberis, quamdiu vivunt parentes. per *l. 1. §. 21. ff. de collat. bonor.* ergo. R. ad 1. prohibitum quidem est, sed tantùm Jure Ecclesiastico. Nec Monasteria opulenta solent allegare paupertatem: ergo, quando aliquid exigunt titulô sustentationis, nihil exigunt sub falso *prætextu paupertatis*, quod prohibetur *d. c. 40.* P. Reiffenstuel nimis abundat in suo sensu. Quôd autem

Monasteria opulenta, quando aliquid exigunt titulô sustentationis, non exigant pro ipso ingressu. clarum est in casu, quo sacerdotes divites, vel religiosi, quibus de sustentatione satis aliunde prospectum, pro Missis vel Ministeriis sacris aliquid recipiunt vel exigunt titulô sustentationis, quod ipsis licere fatetur ipse P. Reiffenstuel. *h.t. n. 19. 201. seqq.* Ad 2. *N. cons.* Clemens VIII. in *Const.* bene explicat *c. un. & Trid. citt.* ubi post hæc verba: *qui* (Conventus) *de consuetis eleemosynis, aliisve quibuscunque obventionibus in communem conferendis, commodè sustentari possit:* ergo respectu Monasterii inopis dos, velut pia largitio & consueta, considerari potest ut *consueta eleemosyna:* respectu opulenti ut *obventio in communem conferenda.* Ad 3. *transs. antec. N. cons.* nam enim liberum est Monasteriis recipere vel non recipere eos, qui, cùm possent, nolunt tamen quidquam assignare vel dare Monasteriis. Ad 4. quamquam legitima vivis parentibus non debeatur liberis, debetur tamen ipsis jus ad legitimam suo tempore, imò & adhæreditatem: Possunt ergo de remissione hujus juris pacisci. *c. 2. de pact. in 6.* confirmatô per consuetudinem.

18 Dico 8. Simonia Mentalis nulli subjacet poenis Ecclesiasticæ. 2. Probabiliùs etiam Conventualis ante sententiam. 3. Licèt (excepta Confidentiali) mixta sit ex Reali. Proin 4. sola Simonia Realis punitur in Jure pœnis determinatis. Non tamen omnis, sed tantùm aliquæ. Pars sumitur ex *c. 33. 34. & fin. h.t.* Pars 2. ex *1. seqq. caus. 1. q. 3. c. 8. & Extrav. 1. & 2. int. comm.* éstque id communiter inter DD. ceptum

ceptum, quia, ubi Jura ſtatuut pœnas, ſemper faciunt mentionem dationis, & acceptionis. Pars 3. quam tenet probabilior & communior contra Guttierez & P. Friderich, ex *citt. can.* maximè *Extrav. 2. cit.* ubi *dantes*, & *accipientes* ſujiciuntur pœnis: ergo, ſi tantùm ex una parte ſecuta ſit traditio, non incurruntur pœnæ: cùm in pœnalibus benignior pars tenenda ſit. *c. 49. de R. J. in 6.* & verba intelligenda cum ſecuto effectu ex utraque parte, ut communiùs explicant. Pars 4. fluit ex prioribus, Pars 5. exinde, quòd in Sacro Jure ſolum in tres Simoniæ ſpecies reperiantur pœnæ determinatæ, ipſo facto incurrendæ, nimirum quæ contingit circa Ordinum collationem: Religionis ingreſſum: & proviſionem Beneficiorum Eccleſiaſticorum. Cœterùm etiam aliæ Simoniæ, in aliis materiis commiſſæ, ſi ad Judicem deferantur, utique plecti poſſunt, ac debent arbitrariè, licèt vel nullæ in eas pœnæ, vel ſaltem non ipſo Jure incurrendæ, ſint decretæ, cùm ſint graviſſimum crimen. *Objic.* In *c. 37. & 45. h. t.* videntur pœnæ infligi, licèt temporale tantùm ſit promiſſum pro ſpirituali tradito: ergo ſufficit, ſi Simonia ex una parte ſit completa per traditionem. R. Ibi eſt ſermo de temporali remiſſo pro dato ſpirituali: *remittere* autem idem eſt ac *dare.* Dein ad incurrendas pœnas ſufficit, ſi, quod priùs ſolùm erat promiſſum, poſtea ex intervallo detur reipſa.

Dico 9. Pœnæ circa Ordinationem Simoniacam ſtatutæ ſunt hæ. 1. Excommunicatio Pontifici reſervata in Ordinantem & Ordinatum. 2. Suſpenſio à collatione omnium Ordinum, & exer- 19

ctio munerum Pontificalium, in Ordinantem, s
suſceptione Ordinum verò & ſuſceptorum exerc
tio in Ordinatum. *c. 37. 45. & Extrav. 2. citt.*

20 Dico 10. Pœnæ in Simoniacos circa ingreſſu
Religionis ſunt iſtæ. 1. Excommunicatio reſe
vata in dantem & accipientem temporale: ſiven
accipiens eſſet Communitas vel Capitulum, &
ſpenſio, & quidem, niſi occulta ſit, pariterreſe
vata Pontifici, ab officio & executione juris Ca
tularis, & adminiſtratione jurisdictionis. 2. I
famia Juris, conſequenter & irregularitas. 3
Translatio Simoniacè admiſſi in arctius Monaſ
rium, ſed poſt ſententiam primùm. *c. 19. 25. 4*
& maximè *Extrav. 1. int. com. h. t.*

21 Dico 11. Pœnæ in Simoniacos circa proviſi
nem Beneficiorum, Officiorum, Dignitatum, &
Prælaturarum Eccleſiaſticarum ſunt ſequent
1. Nullitas proviſionis, ſive ſit præſentatio, po
ſtulatio, electio, ſive inſtitutio, admiſſio, confi
matio, vel libera collatio, ut adeò ante omnem
ſententiam retineri in conſcientia nec beneficium
&c. nec fructus beneficiales valeant. 2. Excom
municatio reſervata in omnes ad talem Simoniam
cooperantes. 3. Inhabilitas proviſi ad idem be
ficium de novo obtinendum. 4. Item ad alia b
neficia obtinenda. 5. Privatio beneficiorum p
ùs habitorum, ac depoſitio ab altaris miniſteri
ſed ultimæ duæ non incurruntur ante ſententiam
condemnatoriam, ut notant Nav. Suar. & al
Habentur hæc *Extrav. 2. int. comm. h. t. can.*
cauſ. 1. q. 3. c. penult. de Elect. Conſt. Cùm p
mùm Pij V. Extendit ſe aſſertio iſta etiam
Simoniam Juris Eccleſiaſtici. per *c. 5. & 7. de*
per-

permut. quia *Extav. cit.* loquitur generaliter de Simonia circa provisionem beneficialem, & à DD. intelligitur generaliter. Non verò se extendit ad Simoniam circa beneficia minùs strictè sumpta, uti sunt Pensiones, Vicariæ temporales &c. commissam; quia *d. Extrav.* simpliciter loquitur de Beneficiis, Officiis, & Dignitatibus, proin, quà pœnalis est, strictè accipienda. *Simonia Confidentialis* ferè easdem habet pœnas, cum hoc tamen discrimine. 1. Quòd, si Episcopus, aut Prælatus eo superior, sit reus, non incurrat excommunicationem, sed interdictum ab ingressu in Ecclesiam. 2. Quòd inhabilitas ad alia beneficia, & privatio priùs habitorum, incurrantur ipso facto, licèt opus sit sententiâ declaratoriâ criminis. 3. Quòd beneficiorum per confidentiam resignatorum vel collatorum reservatio inducatur. *Const. Romanum Pij IV. & Const. Intolerabilis Pij V.* Quæ tamen reservatio in Germania non procedit propter Concordata Germaniæ.

Quæres, an præfatas pœnas incurrat Simoniacè 22
promotus, at ignoranter, quia v. g. alius ipso inscio dedit pretium? 2. An ille, qui ignoravit has pœnas à Jure statutas? R. ad 1. nullam incurrit, nisi nullitatem provisionis, & inhabilitatem ad idem beneficium absque dispensatione Episcopi. *c. 27. 33. h. t. c. penult. cit.* Ne nimirum aditus ad beneficia minùs legitimus detur cum detrimento Ecclesiarum: unde hæc nullitas & inhabilitas respectu talis non sunt pœna propter delictum. Et hinc fructus bona fide consumptos non tenetur restituere, imò post triennium, quo bona fide possedit, beneficium, nec istud, nec ullos fructus, etiam

formaliter exstantes; quia præscripsit, per Regulam Cancellariæ *de Triennali possessore*. Dein dicta nullitas & inhabilitas à tali incurruntur, promotus (fortè suspicans aliquid ab amico parentibus &c. dandum pro sui promotione) contra hoc expressè, fuisset protestatus: aut si ter in fraudem, & eum in finem latenter aliquid porale dedisset, ut provisio reddatur irrita. *& 33. cit.* R. ad 2. Si ignorantia fuit invincibi (quod fortè tam facilè non contingit) excom nicationem certè non incurrit, imò juxta mea pi cipia, *ad tit. de eo, qui duxit. in lib. IV.* tract probabiliter nec alias pœnas incurrit, quamqu communis dissentiat. Imò fructus bona fide co sumptos restituere non tenetur, &, si à percep ne fluxit triennium, nec formaliter exstantes, & nec pretium ille, qui accepit, si per trienni manst in ignorantia invincibili; quia res mobi præscribuntur triennio.

23 Dico 12. Quamvis omne pactum Simoniacu (vel contractus) in ratione pacti sit nullum; ci res spirituales & sacræ in commercium venire queant. *l. 83. §. 5. ff. de V. O.* & ad faciendum licitum nemo obligari valeat, scilicet ad dand spirituale pro temporali, spectato Jure natura secuta tamen traditio rei, vel temporalis vel spi tualis, valida est, v. g. collatio Simoniaca Sac mentorum, consecratio Ecclesiæ, Professio Re giosa &c. quia nullo Jure irritata reperitur. E cipe tamen provisiones beneficiorum & offic rum Ecclesiasticorum, quæ sunt irritæ Jure Eccl siastico. *Extrav. 2. cit. &c.*

24 Quæres, an res Simoniacè acceptæ debeant re

stitui

stitui, & cui? ℟. 1. Si ex utraque parte facta sit traditio, & præter Simoniam non intérvenit injustitia, spectato Jure naturali nulla datur obligatio restituendi, ut patet per se; cùm restitutionem non imperet violata virtus Religionis, sed tantùm virtus Justitiæ læsa: in materia tamen beneficiali de Jure Ecclesiastico datur obligatio, at non ante sententiam condemnatoriam. *c. 11. c. 39. inf. h. t.* ℟. 2. Si intérvenit injustitia, ut siquis accepit pretium temporale pro re merè spirituali, nullum temporale pretiô æstimabile commodum afferente, v. g. pro Reliquiis sacris, Sacramentis &c. aut aliunde jam fuit obligatus ad dandum spirituale, licèt hoc sit connexum cum commodo temporali, stringit jus naturale ad restituendum temporale, utpote acceptum sine ullo justo titulo. *Objic.* Dans pretium pro re spirituali, nullum afferente commodum temporale, illud voluntariè dat: ergo ab accipiente retineri potest. Repono: licèt det voluntariè, non tamen aliter intendit dare, quàm quantùm permittit Justitia. ℟. 3. Si dans temporale iterum reddat spirituale, vel viciſſim dans spirituale reddat pretium temporale, ad repetionem reddi debet acceptum, saltem post sententiam Judicis restitutionem præcipientis in pœnam. ℟. 4. Si verò una tantùm Pars tradidit, tunc multi faciunt discrimen, & dicunt, eum quidem, qui accepit temporale, spirituale tamen, v. g. beneficium, non dedit, teneri Jure naturali ad reddendum temporale, utpote nullo jure aut titulo acceptum, in quo facilè conveniunt omnes: eum verò, qui accepit spirituale, non tamen dedit temporale, non teneri ad reddendum spirituale,

le, quos & ego fui secutus, modò autem contrariam aliorum sententiam amplector, & hunc quoque ad restituendum obligari probabilius esse puto ex hac ratione, quòd spirituale non sit dandum animô donandi, sed sub conditione, quantumvis illicita, recipiendi aliquid temporale, Neque hoc casu, memoratam conditionem, quia turpis est, haberi pro non adjecta; hoc enim negatur: cum de Jure solum id statuatur de conditione turpi in Matrimoniis & Testamentis, nullibi autem dicatur, cui proin validè alligata censetur voluntas spirituale dantis. ℟. 5. Simoniacè accepta per se quidem forent restituenda danti, utpote lata per sententiam verò Judicis potest pretium applicari pauperibus & causis piis in pœnam delinquentis, & in beneficialibus debet applicari Ecclesiæ in qua beneficium existit. *c. 11. & 41. h.t.*

25 Dico 13. Judex in delicto Simoniæ est Ecclesiasticus privativè. 2. ad id accusandum admittuntur omnes, etiam criminosi & complices delicti, modò non sint capitales inimici. 3. & ad testificandum admittuntur pariter omnes, etiam mulieres. 4. ad condemnandum sufficiunt etiam præsumptiones violentæ. Pars 1. sustinetur communiter cum *gl. in c. 8. de for. comp. v. malefactor.* Pars 2. sumitur ex *c. 3. 7. h.t.* Pars 3. ex *c. eod.* salvô tamen Judicis arbitriô, quantum ad testibus aliàs minùs legalibus tribuendum. Pars 4. ex *c. 6. eod.* Masc. *in concl. 1311. n. 27. & c. de Probat.*

26 Dico 14. Absolvere à Censuris, & dispensare in pœnis Simoniæ, licèt per se possit solus Pontifex, ac rarò soleat, & non sine certis conditio-

bus

bus, de quibus vid. Pyrrh. Corrad. in *Praxi diſpenſ. l. 5. c. 9. & 10.* Reiffenſtuel *h. t. à n. 341.* Si tamen delictum ſit occultum, & ad forum contentioſum non deductum, à Cenſuris abſolvit Epiſcopus. Trid. *ſ. 24. c. 6. de ref.* & Religioſi Mendicantes ex privilegio, pro foro interno. Idem Epiſcopus diſpenſat cum eo, qui beneficium Simoniacè obtentum ſponte & ante ſententiam condemnatoriam dimiſit, ut notant DD. ex *can. 2. cauſ. 1. q. 3.* & cum eo, qui per alienam Simoniam, ſe inſcio, obtentum dimiſit, ad idem rurſus obtinendum. *c. penult. de Elect.* An verò Epiſcopus vi Trid. *lo. cit.* diſpenſare poſſit ad obtinendum rurſus idem beneficium priùs Simoniacè obtentum, vel potiùs retinendum, ſi delictum manſit occultum, & ad forum contentioſum non deductum, diſputant DD. Reiffenſtuel cum comunioni negat. Henriq. Leſſ. Palao *p. 3. tr. 17. d. 3. pu. ult. n. 4.* affirmant probabiliter, & inclinat P. Krimer *h. t. n. 592. ſeqq.*

TITULUS IV.

Ne Prælati Vices ſuas vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.

SUMMARIUM.

1. *Explicatio Rubricæ.*
2. *An committatur Simonia, ſi pro conceſſo uſu poteſtatis Eccleſiaſticæ, vel Eccleſiæ, accipiatur penſio temporalis.*

In

1 IN hoc titulo, qui, uti & sequens, est appen-
dix prioris, prohibetur Prælatis specia-
ter ut Simoniacum *vices suas*, nempe juris-
dictionis, potestatis, aut regiminis sui exercit-
um aliis committere, aut *Ecclesias* ipsas ad tem-
concedere, pro *annuo censu*, h. e. pensione tem-
porali quotannis solvenda. Unde

2 Dico. Prælati, Officiales, aut Beneficiati Ec-
clesiastici, qui exercitium potestatis aut ad-
ministrationis Ecclesiasticæ, v. g. Vicariatum, Dec-
natum, consecrationem Ecclesiæ, curam anim-
rum, dispensationem &c. aliis elocant pro ann-
pensione, committunt Simoniam, certis pœ-
obnoxiam. *c. 1. 2. 3. h. t.* Et qui Ecclesiæ ali-
pro simili pensione, at sine pœna in Jure de-
minata. *rubr. h. t.* Qui verò præcisè fructus te-
porales ad tempus ita elocant, non commit-
ullam Simoniam. *c. 4. eod.* Ratio horum omn-
est, quia in prioribus conceditur res spiritu-
pro temporali, non autem in ultimo casu. Ob-
1. Solent Episcopi sine scrupulo suis Vicariis a-
tuere annuum salarium: ergo vices suas con-
dere pro annua pensione non est Simoniac-
2. Licet Episcopis eximere Ecclesiam vel Mo-
sterium à sua jurisdictione pro annua pensi-
consequenter pro hac remittere exercitium ju-
dictionis. *c. 6. de Relig. domib.* ergo & con-
dere usum jurisdictionis; cùm *remittere* spiritu-
pro temporali, & viciſſim, idem sit ac *dare*.
ad 1. Solent constituere salarium suis Vicariis
modum stipendii ad sustentationem. *C. ant.*
modum pretii. *N. ant. & cons.* Ad 2. Illa pe-
annua non accipitur tanquam pretium pro
dicto

dictionis exercitio remisso, sed in recognitionem exemptionis gratuitò concessæ, & in signum indultæ libertatis, vel in probationem antiquæ subjectionis.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

SUMMARIUM.

1. *Quinam dicantur Magistri, Doctores, Licentiati.*
2. 3. *An pro licentia docendi, vel pro ipsa doctione, aliquid exigere vel accipere illicitum vel Simoniacum sit.*

PEr *Magistros* hìc veniunt omnes, qui litteras, artes, aut quamcunque disciplinam alios docent; & tales, qui saltem Grammaticam doceant, in singulis Ecclesiis Cathedralibus, vel etiam Collegiatis, imò & qui Theologiam, in Metropolitanis, & Cathedralibus, atque Collegiatis, ubi facultates suppetunt, constitui voluerunt Concilia Lateranensia sub Alex. III. & Innoc. III. ut refertur *c. 1. & 4. h. t.* item Trident. *s. 5. c. 1. de ref.* qui simul sint Canonici, & de præbenda ad congruam sustentationem necessaria provisi, ac propterea *Scholastici* appellantur, qui, quamvis in plerisque Ecclesiis in Germania retineant hoc nomen, munus tamen non exercent, sed exercetur ab aliis in Academiis, Lyceis, & Gymnasiis, quorum sufficiens est copia. Item veniunt, qui in aliqua Facultate, nempe Theologica,

logica, Juridica, Medica, aut Philosophica, supremam lauream vel gradum litterarium per certorum insignium præsentationem consecuti sunt, atque *Doctores* appellari consueverunt, relictò ferè Philosophis tantùm *Magistrorum* titulô. Hi, si in aliqua Academia vel Universitate præviis examinibus de vita, & maximè de doctrina, rigorosis promoti sunt, vocantur *Academici*, multisque privilegiis gaudent: qui verò ex Rescripto Principis supremi, & ab aliis ex Privilegio, uti sunt Comites sacri Palatii, & alii qui nomine Pontificis ex Theologia & Jure Canonico, vel Comites Palatini, aut alii, qui nomine Imperatoris ex Jurisprudentia & Medicina creandi Doctores facultatem obtinent, hos consequuntur honores, appellantur *Bullati*, qui, si sine rigoroso & serio hujusmodi examine creati Doctores fuerint, parvi valent, & parvi æstimantur, nec gaudent privilegiis Doctorum. per Trid. *s. 22. c. 2. de Ref. & Const. Quamvìs S. P. V. ac Ord. Cam. p. 1. tit. 3. & 18.* quia fundamentum honoris & gradûs litterarii est scientia & eruditio, vel eminens, vel saltem satìs cognita & probata. Doctoribus vicini sunt *Licentiati*, qui nimirum prævio examine rigoroso digni reperti sunt, & *licentiam* adepti insignia doctoralia recipiendi ac supremam capessendi lauream. Hi in favorabilibus æquiparantur Doctoribus, ac eadem participant privilegia, nisi consuetudo vel statutum vel Jus aliqua in particulari ipsis edimat. Dein Doctores & Licentiati ex Jure Canonico ad plerasque dignitates, beneficia & officia Ecclesiastica habiles sunt, ad quæ Doctores & Licentiati Theologiæ, atque in specie

Præ-

Præbendam Theologalem, officium Vicarii Generalis, & Pœnitentiari. Trid. *ſ. 23. c. 18. & S. 24. c. 8. 16. de Ref.* Congreg. Card. in variis Reſponſis apud Pignatelli *to. 1. conſult. 147.* quia SS. Canones non minùs ſerviunt ad formandos tum Clericorùm tum fidelium mores, curámque animarum in utroque foro exercendam, ac Theologia, atque ideo SS. Canones dicuntur pars Theologiæ, vel Theologia Practica. Atque hæc de Rubricæ prima parte: de altera verò, quæ principalior eſt,

Dico 1. Illicitum. 2. non tamen Simoniacum 2
eſt, pro licentia docendi, ſeu ſcientias tradendi, etiam ſacras, Theologiæ & Juris Canonici, exigere vel accipere pecunias. Pars 1. ſumitur ex *Rubr. c. 1. 2. 3. h. t.* turpe enim & ſordidum eſt pro munere & licentia docendi alicui conceſſa exigere pretium; cùm viri ad docendum idonei potiùs præmiis invitari, quàm exactionibus arceri deberent à munere Reipublicæ tam ſalutari. Pars 2. patet indè, quòd docere ſcientias, etiam ſacras, per ſe nihil ſit ſpirituale, ut mox videbimus: ergo nec licentia eas docendi. *Objic.* 1. Licentia docendi ſcientias ſacras próvenit à poteſtate jurisdictionis ſpiritualis: ergo, qui vendit hanc licentiam, vendit actum jurisdictionis ſpiritualis, quod eſt Simoniacum. 2. Paſſim videmus pro licentia docendi, ſeu pro Gradu *Licentiæ*, & *Doctoratûs*, aliquid exigi & accipi ab ipſis Profeſſoribus: ergo illicitum hoc non eſt. R. ad 1. *N. Ant.* Quando Prælati Eccleſiaſtici conferunt Profeſſuras, id non faciunt quà tales, nec ipſa collatio eſt actus jurisdictionis Eccleſiaſticæ quà talis; cùm nihil ſpirituale reſpiciat. Ad 2. Illæ ſportulæ non ut

pre-

pretium pro licentia docendi, sed vel ut merces pro labore in examinando, vel pro assistentia in actu inaugurationis, vel pro privilegiis & emolumentis temporalibus, quæ promotus consequitur, exiguntur & accipiuntur.

3 Dico 2. Nec illicitum, nec Simoniacum est aliquid exigire vel accipere pro ipsa doctione seu pro actu docendi & actuali traditione scientiarum, etiam sacrarum, aut pro Consilio vel Responso, etiam Theologico. 2. Simoniacum tamen est, si pro hujusmodi instructione quatenus ordinatur ad DEI amorem, virtutis studium, ac animæ salutem, ut regulariter fit apud Catechistas, Concionatores, & Confessarios, aliquid accipiatur ut pretium, & non titulo stipendii ad sustentationem. Ratio partis 1. est, quia doctrina & scientia est quidem aliquid spirituale corporale, ex se tamen non est aliquid spirituale, per se tendens ad salutem animæ: & proinde actio doctrinæ, etiam Theologicæ & sacræ, est actio tantùm naturalis, modo naturali posita, ac actionem naturalem, qui est instructio intellectus discipulorum, ut cognoscant veritates, ac inde deducant conclusiones Theologicas v. g. deducere, ordinatus, atque ab hæretico ponibilis, quia etiam iste ex cognitis fidei veritatibus deducere potest conclusiones Theologicas: de inde scientia, etiam sacra, sicut ab una persona in aliâ transferri nequit ita nec vendi potest & æstimari, sed solus labor, industria, & informatio seu instructio docentis, quæ est aliquid merè temporale, consequenter pretio æstimabile. Ratio partis 2. patet, quia eatenus actus fiunt supernaturales ratione finis spiritu-

les

lis, adeóque pretiô inæstimabiles. *Objic.* 1. DEUS ipse *Prov. 23.* sic prohibet: *noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam*: ergo. 2. Theologia est scientia sacra, & complectitur veritates fidei supernaturales: ergo pro ea tradenda nihil absque Simonia accipi potest. 3. Qui docentur Theologiam, exinde sæpius moventur ad DEI ac rerum supernaturalium amorem, vel etiam ad talem finem referunt suum studium. Ad 1. Illum textum intelligit S. Thomas & alii non de scientia labore humano acquisita, sed de infusa à DEO ad cognoscendas veritates divinarum Scripturarum, & à S. Paulo vocatur *Interpretatio sermonum*, ac numeratur inter dona Spiritûs S. & gratias gratìs datas. Ad 2. Licet Theologia sit scientia sacra ex objecto suo materiali, & supponat veritates supernaturales, docens tamen Theologiam circa illas non nisi naturaliter versatur, sicut Musicus decantans cantiones sacras, qui utique non committit Simoniam, si pro suo cantu accipiat pretium. Ad 3. Id respectu docentis Theologiam &c. est merè per accidens; is enim per se intendit instructionem naturalem intellectûs, sive naturali modo ponendam.

TITULUS VI.

De Judæis, Sarracenis, & eorum Servis.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Paganismus, Judaismus, Hæresis.*

2. 3. 4. *An, & quando illicitum sit recipere & tolerare Sarracenos, & Judæos, aut cum ipsis communicare.*

5. *Infideles directè cogi ad Fidem non possum.*

6. *An eorum infantes invitis parentibus baptizari.*

1 TRiplex est genus Infidelitatis, seu Infidelium, h. e. in vera Fide & Religione non existentium, nempe *Paganismus*, *Judaismus*, *& Hæresis*; quamvis in Jure Canonico per Infideles plerumque intelligantur illi, qui non sunt baptizati, utì Pagani & Judæi, non verò Hæretici. *Pagani* in genere sumpti sunt illi, qui non baptizati nullo modo credunt in Christum, sive ut venturum sive ut præsentem Messiam ac Mundi Salvatorem, utì Ethnici, Gentiles, Idololatræ, Sectatores nondum conversi, Turcæ, *Sarraceni*, qui hac Rubrica generaliter accipiuntur pro Pagani & probabiliter sic dicuntur Sarraca urbe Arabiæ, quamvis ipsi oriundos se & appellatos esse dicerant à *Sara* uxore Abrahami, cùm tamen potius descendant ab ejus ancilla Agar, ac ideo à quibusdam *Agareni* vocentur. Si tamen Sarraceni specificè accipiantur, denotant Turcas, Persas, Arabes, Africanos, & alios populos Mahometi sectæ hærentes, *Judæi* autem sunt, qui Vetus Testamentum, in quo reperiuntur vaticinia & figuræ promissi Messiæ, ac Legem Mosaicam moraliter tenent, non tamen credunt in Christum & Messiam jam ut præsentem, rejecto Novo Testamento ex toto, sed venturum adhuc exspectant. *Hæretici* demum appellantur, qui quidem profitentur Chri-

Christum cum utroque Testamento, ac baptizati sunt, in uno tamen vel pluribus articulis sufficienter revelatis contra Fidem Catholicam pertinaciter errant. De his in sequenti, de *Paganis* & *Judæis* agitur in hoc Titulo, uti & de *eorum servis*, per quos intelliguntur non tantùm servi propriè dicti, sed etiam famuli & famulæ.

Dico 1. Illicitum est Christianis in suas terras 2
recipere, vel tolerare, si expellendi vires suppetant, *Sarracenos* seu *Paganos*. 2. Cum ipsis, ubi tolerari debent, in eadem domo cohabitare, aut ipsis servire in eorum domibus. 3. Specialiter verò prohibitum est tempore belli ad illos deferre arma, ferrum, & alia ad usum servientia, aut illis favorem vel auxilium præstare &c. & quidem sub pœna infamiæ, servitutis, intestabilitatis activæ & passivæ ac excommunicationis reservatæ Summo Pontifici, atque confiscationis bonorum, imò capitalis supplicii. 4. Quin & inire fœdus cum illis, & auxilia petere tempore belli contra Christianos & Fideles, ferè nunquam licet. Pars 1. fundatur tum in Jure Divino, quod promulgavit S. Paulus, qui *2. Cor. 6.* ait: *Quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli*; tum in Naturali ob certum periculum damnorum Religionis & fidelium. Pars 2. habetur expressa in *c. 5. h. t.* Pars 3. in *c. 6. 11. 12. 17. Extrav. 1. int. Com. Extrav. un. Jo. XXII. h. t.* specialiter *in Bullæ Cœnæ casu 7. l. fin. C. quæ res reportari. l. 25. C. de pœnis.* Pars 4. in *c. 34. v. 12. Exodi.* ibi: *Cave ne unqnam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* & *c. 23. v. 32.* ibi: *non inibis cum eis fœdus*, & in ratione, quia

practicè loquendo nunquam vel ferè nunquam
tali fœdere & auxiliis aberit periculum certum
ligionis, Catholicorum perversionis, incremen
infidelitatis, scandali &c. Vid. Sanch. *l. 2. Mo-
ral. c. 31. n. 24.* Correa. *in Idea Consiliar. d.
n. 1415.* qui ferè unicum excipiunt casum,
nempe ex una parte non possunt haberi auxili
Christianis, ex altera verò nullum creditur pos
bile damnum imminere Religioni Catholicæ,
pacta sunt talia, ut potiùs spes sit tuendæ aut
propagandæ Religionis veræ; quæ rarissimè
current.

9 Dico 2. Quamvis absolutè loquendo licea
sit Christianis in suas terras recipere *Judæos*
& receptos tolerare non solùm liceat, sed
oporteat, si pacta servent, & juxta leges sibi
scriptas vivant. 3. Recipere tamen, ubi
dum sunt, non expedit, imò ordinariè non
4. Neque cum receptis & toleratis communi
in sacris, imò nec in politicis, quando ob fami
ritatem cum iis habitam oritur vel periculum
versionis fidelium, vel vilipensio Religionis C
stianæ. Pars 1. & 2. sumitur ex *c. 9. 13.
l. 11. 14. &c. C. eod.* & ex ratione, quia ex
dæis receptis & toleratis redundat aliqua
in veram Religionem Catholicam; hi enim
petuum dant testimonium non modò Scrip
SacræVeteris Testamenti, in quo continentur
missiones venturi Messiæ, ejúsque persona,
miracula &c. describuntur, quæ olim vatic
sunt Prophetæ, & nunc in Christo impleta cer
tur, imò ipsi Judæorum ritus tanquam figura
firmant figuratum, quod modò existit, nempe

rite

ritatem Evangelicam. Accedit praxis, non solùm Christianorum Principum, sed etiam Summi Pontificis in Urbe Romana Judæos perpetuò tolerantis. Unde paritas non est cum Paganis & Sarracenis, quia ex horum tolerationè vel receptione non datur ulla utilitas in Ecclesiæ Catholicæ confirmationem redundans. Qua de causa, ubi sunt recepti, gaudent jure civitatis & privilegiis civium. *l. 8. C. t. 9. h. t.* sed juxta conventionem duntaxat. Porro conditiones & leges, sub quibus recipi & tolerari consueverunt Judæi, potissimùm sunt istæ: ne quid dicant vel faciant in contemptum Religionis Christianæ, aut Christianos turbent in cultu Divino, vel molestiam creent: ne blasphemiis aut maledictis impetant DEUM aut Christum, aut Christianos diris devoveant: ne in hebdomade sancta prodeant in publicum, ac in die Parasceves aperta habeant ostia velfenestras: ne usuras exerceant immoderatas, aut fraudibus emungant Christianos, aut res Christianorum furentur vel ipsi, vel illas coëmant à furibus: ne quemquam Christianorum ad suam superstitionem seducere præsumant: ne, saltem in quibusdam locis, habeant bona immobilia præter ædes suas, & ne incedant publicè sine signo in vestibus, ex quo dignoscantur esse Judæi, v. g. sine flavo pileo, flava fimbria, clavo flavo &c. (quamvis hoc signum in Germania dissimulari soleat) ne Christianos habeant pro mancipiis & famulis: ne capiant aliquid ex testamento vel alia ultima voluntate &c. Pars 3. patet indè, quòd Judæi soleant, nimirum occulte, Christo quotidie maledicere, ac blasphemare, Christianos autem insatiabili odio persequi, eisque per

fraudes & iniquas usuras nocere, aliâque nefanda crimina, præsertim in infantes Christianorum, patrare. Vid. Pignatelli *to. 5. consult. 14.* Majolus *to. 3. dier. canic. colloq. 1.* Speidelius in *Speculo* v. Juden. Pars 4. ex *c. 3. 5. 7. 8. & l. 7. 11. C. eod.* Sed hinc

4 Quæres, quænam communicatio cum Judæis in specie sit prohibita, & an graviter? ℟. 1. In Divinis, utì est adire Synagogas Judæorum, vel vicissim admittere ad rem Divinam in Ecclesiis Christianorum, exercere ritus & ceremonias eorum superstitiosas, permittere, ut ædificent novas Synagogas, vel antiquas in formam augustiorem redigant, vel ad id cooperari &c. item in politicis & profanis, utì est habitare in eorum ædibus, eodem cum ipsis balneo uti, adire eorum convivia, nuptias, ludos, adhibere Medicos & chirurgos Judæos, & maximè officium publicum, aut jurisdictionem in Christianos concedere ipsis, aut eos tanquam famulos recipere in domos &c. *c. 5. 7. 8. 13. 16. c. penult. h. t.* potest tamen Christianus operas suas locare Judæo, v. g. in exstruenda domo, colendo agro &c. vel res suas, v. g. equum, currum &c. item celebrare cum ipsis contractus. ℟. 2. Prædictam communicationem in profanis prohiberi solùm ex causa familiaritatis nimiæ cum Judæis; unde licitum est, si necessitas vel magna utilitas, corporalis vel spiritualis, aliud exigat, v. g. si alius idoneus Medicus non adsit ad medendum, quàm Judæus, si casu in balneo, vel convivio incidas in Judæos, si frequenter agas cum Judæo cum intentione & spe ipsum convertendi. Unde ℟. 3. Peccatum grave non esse cum Judæis com-

communicare in profanis, nisi quando familiaritas est valde frequens & quasi continua, vel quando notabiliter præjudicatur dignitati Fidei, v. g. per famulatum diuturnum in quibusvis ministeriis, vel quando tolerantur in officiis publicis, aut grave scandalum, vel periculum perversionis indè oritur.

Dico 3. Infideles, utì Sarracenì & Judæì, directè & per se cogi non possunt ad amplectendam Religionem Christianam. *can. 3. 5. d. 45. c. 9. h. t.* quia nec Ecclesia (nec Principes Christiani) in Infideles, per baptismum non ingressos in Ecclesiam, & sic ei non subjectos, habet jurisdictionem, & consequenter potestatem compellendi ad Fidem. Dixi 1. *directè*; possunt enim cogi indirectè, v. g. negando ipsis habitationem inter Christianos, eos rigidè (justè tamen) tractando, exigendo tributa, negando favores Christianis indultos &c. nisi se convertant. Dixi 2. *per se*, nam per accidens cogi possunt illatô ipsis bellô, si resistant prædicationi Evangelii, quam Christus prædicari præcepit per totum Mundum, ad submovendum hoc impedimentum. Hìc aliqui etiam censent, Infidelibus ob Idololatriam, & alia peccata, contra Jus Divinum & naturale ab ipsis committi solita, bellum moveri, & expugnari posse, saltem accedente consensu Summi Pontificis, cujus est tueri Jus Divinum & Naturale, & qui ratione horum delictorum in eos obtinet jurisdictionem ad puniendum. *Objic.* 1. Infideles obligantur Jure Naturali & Divino ad recipiendum baptisma, & Fidem Christianam sibi sufficienter propositam: ergo cogi possunt ad satisfaciendum huic 5

obligationi. 2. Si directè cogantur ad fidem, non fit ipsis injuria, sed gratia; quia felix dicitur necessitas, quæ compellit ad meliora. 3. Hæretici possunt directè cogi ad amplectendam Fidem Orthodoxam: ergo & Infideles. R. ad 1. Licèt teneantur aliunde amplecti veram fidem, attamen propter defectum jurisdictionis directè cogi nequeunt. Ad 2. Injuria non deest, ubi infertur à non habente potestatem & jurisdictionem. Ad 3. *N. conf. & parit.* quia Hæretici per baptismum subjecti sunt jurisdictioni Ecclesiæ, quæ proin, ubi potest, eam rectè exercet per Principes Catholicos, ut cogant rebelles reverti.

6 Dico 4. Infidelium, nempe Paganorum & Judæorum, infantes probabiliter baptizantur licèt invitis eorum parentibus, saltem si spes sit, quod in vera Religione sint educandi. Scotus *in 4. d. q. 9.* & aliorum communis contra communem aliorum cum S. Thoma 2. *2. q. 10. a 12.* quam tat, in Praxi semper fuisse observatum contra nostræ sententiæ, quæ tamen probatur ex *Matth. 28. Docete omnes gentes, baptizantes* ergo Christus præcepit baptizari omnes: huic præcepto, vi cujus omnes tenentur baptismum suscipere, & in aliis non impedire, nullo se opponunt parentes: ergo justè & licitè baptizantur eorum liberi, usu rationis destituti, ipsis vitis. *Objic.* Si hi liberi baptizantur invitis rentibus, tunc vel post baptismum auferuntur rentibus; & istis fit injuria, utpote habentibus triam in liberos potestatem: vel relinquuntur apud parentes? & fit injuria Baptismo, cùm liberi certissimo perversionis & apostasiæ peri-

exponantur. R. Si auferantur parentibus, & constituantur in loco, ubi nullum perversionis periculum, non fit injuria parentibus, cùm illorum jus & patria potestas se non extendat ad spiritualia, & ad salutem adeò necessaria, nec prævalere possit præcepto Divino Baptismi susceptionem omnibus injungenti. Certè Catholicis parentibus, si nollent concedere, ut sui liberi baptizentur, nulla fieret injuria, si iis invitis baptizarentur: ergo nec Infidelibus. Neque fit injuria Sacramento Baptismi, si infantes relinquantur parentibus, sicut non fit injuria Sacramento Pœnitentiæ, si absolvatur constitutus in relabendi periculo, physicè aut moraliter inauferibili. Dein sæpe contingit mori liberos ante adeptum usum rationis: item usum rationis adepti possunt adhuc auferri parentibus justè, quia jam subjecti potestati Ecclesiæ, & huic parère tenentur. Imò etiam relicti apud parentes abstinere possunt ab omni peccato gravi contra Jus Naturale, & sic salvari, aliàs, si baptizati non fuissent, nunquam salvandi. Cœterùm si unus parentum non esset invitus, vel si credatur infans brevi moriturus, juxta omnes licitè baptizaretur.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Hæresis, & Hæreticus, & quotuplex.*
2. 3. *Quæ pœna in Hæreticos, eorúmque Credentes, statutæ, & in usu sint.*

4. 5. *Quinam absolvere possint à peccato Hæresis, præsertim in Germania.*
6. 7. *Qualiter prohibitum sit legere, & retinere, libros Hæreticorum, & quales.*
8. *Quinam alii adhuc libri sint prohibiti.*
9. *An Hæretici tolerari, & cum ipsis communicari possit.*
10. 11. *An & qualiter cum ipsis disputare liceat, vel expediat.*
12. *Quis sit Judex in causa Hæresis.*

1 HÆresis, vox Græca, Latinè, *Electio, Sectio,* vel *Divisio,* est error voluntarius, quo homo baptizatus pertinaciter tenet contra aliquam veritatem Fidei Catholicæ, sufficienter revelatam & cognitam. Communis cum S. Thoma 2. *2. q. 11. à 1. & 2.* Unde *Hæreticus est* qui baptizatus habet vel tuetur voluntariè & pertinaciter errorem contra aliquam Fidei Catholicæ veritatem. Quapropter *negativè* dubius in fide, qui de aliquo Fidei articulo suspendit judicium firmum, ita ut nec affirmet nec neget: item qui solum exteriùs negat Fidem, in mente tamen retinet, non est hæreticus; quia non habet judicium intellectûs erroneum circa Fidem? quamvis posterior peccet graviter contra obligationem profitendi Fidem. Hæreticus, sic definitus, dicitur *formalis:* huic opponitur *materialis,* qui quidem adhæret erroni Fide, sed ex ignorantia, simplicitate, siniſtra informatione, paratus interea, actu vel habitu, errorem deponere cognita veritate. Et tales ex gravibus causis judico plurimos esse vel plerosque in Germania, qui nati & educati sunt ab hæreticis parentibus.

tibus. Strictè loquendo hi non sunt Hæretici, eò quòd generali assensu, quo credunt omnia à DEO revelata, & à vera Christi Ecclesia ad credendum proposita, corrigant suum errorem; ac reipsa ad Catholicos pertinent. Ex Hæreticis alii dicuntur & sunt *interni* tantùm, qui errorem sola retinent mente: alii *externi* simul, qui errorem suum exteriùs produnt verbô, factô, vel alio signo, cum intentione eam profitendi. Rursus alii dicuntur *tolerati*, cum quibus habitare & communicare licet, & quibus suæ Sectæ exercitiũ est permissum, quales in Germania sunt *Lutherani*, qui se *Evangelicos*, & *Calvanistæ*, qui se *Reformatos* vocitant & sæpe communi nomine *Protestantes* dicuntur. Alii *non-tolerati*, quibus inter Catholicos non conceditur domicilium, jus civitatis, minùs Religionis exercitium, & communicatio, si sint nominatim excommunicati. In Imperio Romano tolerati non sunt Zwingliani, Hussitæ, Anabaptistæ, & nulli alii præter dictos Lutheranos & Calvinistas.

Contra graviſſimum hoc & perniciosissimum hæreseos crimen (utpote gravius, quàm sit crimen læsæ Majestatis Humanæ) vel ut impediatur, vel ut eliminetur, plurima ab utroque Jure, præsertim SS. Canonibus, statuta salubriter sunt, utì variæ pœnæ, prohibitio librorum hæreticorum, disputationis de rebus fidei cum hæreticis, communicationis cum iisdem, & Inquisitio contra hæreticam pravitatem, ad preces S. Dominici instituta, tanquam tribunal hæreseos, ad quòd non solùm ejus auctores & disseminatores, sed etiam patroni, & de ea suspecti debeant trahi, de quibus deinceps breviter, adeóque

Dico

2 Dico 1. In hæreticos formales & externos ſtatutæ pœnæ aliæ ſunt ſpirituales & Canonicæ, ac aliæ temporales & Civiles. *Canonicæ & ſpirituales* ſunt 1. Excommunicatio latæ ſententiæ, quæ in Bulla Cœnæ reſervatur Sedi Apoſtolicæ. 2. Irregularitas & inhabilitas ad Ordines Clericales, Beneficia, & Officia Eccleſiaſtica. 3. Privatio Beneficiorum, Officiorum, & Dignitatum Eccleſiaſticarum, imò & degradatio. 4. Privatio exercitii Ordinum & jurisdictionis ſpiritualis. 5. Privatio ſepulturæ in loco ſacro. 6. Divortium. quod contra lapſum in hæreſim inſtituere poteſt conjux innocens. Habentur hæc *c. 7. 8, 9. 13. x. 6. 2. 12. & 15. in 6. h. t.* junctâ *Bullâ Cœnæ. can. fin. cauſ. 24. q. 2. c. 6. & 7. de divortiis.* Econtra *Civiles & temporales* ſunt 1. Infamia *Juris & Facti*, Juris tamen requirit ſententiam declaratoriam Judicis. 2. Inteſtabilitas tam activa quàm paſſiva, ita ut teſtamentum, vel codicillos, facere non poſſint, nec in hæreditate alterius ſuccedere &c. 3. Inhabilitas ad omnes actus Civiles, ita ut in Judicio Actores, Teſtes, Notarios, Advocatos, Judices agere, vel officium publicum gerere non valeant. 4. Confiſcatio omnium bonorum. 5. Amiſſio patriæ poteſtatis in liberos. 6. Amiſſio omnis privilegii & beneficii à Jure quibusdam ſpecialiter conceſſi, utì eſt privilegium dotis, beneficium S. C. Maced. S. C. Vellejani &c. 7. Liberatio ſubditorum & vaſallorum ab omni debito obedientiæ, fidelitatis, & obſequii, etiam juramentô promiſſi. 8. Ultimum ſupplicium; quia Hæreſis non ſolùm Religionis Chriſtianæ ac ſalutis æternæ fundamentum tollit, atque in ſpiritualibus habetur eo

loco,

loco, quo in Politicis crimen læsæ Majestatis, sed etiam summopere turpat tranquillitatem politicam regnorum & provinciarum. Habentur hæc *l. 9. 13. & fin. x. c. 2. 8. 14. 19. in 6. h. t. l. 4. 5. t. & Auth. Credentes. Auth. Gazaros. C. eod.*

Circa has pœnas notandum 1. Civiles & temporales contra Laicos, qui sectantur Lutheri vel Calvini Sectas, in Germania locum non habere; quia per Pacificationem Religiosam in Comitiis Augustæ anno 1555. & Osnabrugis anno 1648. illi securitas & liberum Religionis exercitium publicô pactô fuit permissum. *Contra Laicos*, inquam; si enim Clerici vel Religiosi deficiant, & Lutheranam vel Calvinianam Sectam amplectantur, dictis pœnis adhuc subjacent (exceptô ultimô suppliciô, quod consuetudine abrogatum, & in aliam pœnam, etiam carceres perpetuos, commutatum est) quia Principes Laici in dictis Comitiis securitatem & jus civitatis Protestantibus paciscentes de Clericis & Religiosis, utpote sibi non subjectis, nihil potuerunt disponere. Econtra Canonicas & spirituales pœnas etiam in Germania adhuc procedere propter dictam rationem, cùm pœnæ spirituales sint extra sphæram Potestatis Politicæ, & Summi Pontifices nunquam approbârint tam favorabiles Hæreticis pacificationes, immo Innoc. X. in Bulla *Zelo Domûs DEI* Pacem Westphalicam, nempe Osnabrugis & Monasterii initam, expressè reprobavit. Excipitur tamen irregularitas, quæ fundari videtur in Infamia, quam diximus esse sublatam, utì & inhabilitas ad officia & beneficia Ecclesiastica, quam

3

in

in conversis ad Fidem Catholicam, & in filiis hæreticorum, generalis consuetudo Germaniæ sustuliſſe videtur. 2. Pœnas in hæreticos ſtatutas, exceptis quatuor ultimis Civilibus, & duabus ultimis Canonicis, etiam extendi ad credentes, receptatores, defenſores, & fautores in crimine hæreſeos, ſi tamen ex tali favore &c. & propter eum malus effectus ſit ſecutus. Per *Credentes* intelliguntur, qui quidem actu non adhærent errori in Fide, vel hæreticæ doctrinæ, ſed qui verbis vel factis oſtendunt aliquo modo ſe credere, imò videntur poni in *c. 13. cit. §. credentes.* loco generis, omnes modos, quibus foveri aut defendi poſſunt Hæretici, complectentis. Gonzal. ad *d. c. & §. n. 6.* Limita tamen quoad privationem dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum; quibus ſoli hæretici ipſo Jure privati ſunt, credentes autem & fautores privandi ſunt primùm per ſententiam Judicis. per *c. 13. cit. §. credentes. & c. 12. h. t. in 6.* Denique 3. Actus Ordinis vel Officii Eccleſiaſtici ab hæretico exerceri quidem illicitè per ſe, non tamen invalidè, excepta abſolutione Sacramenti à peccatis, & iis actibus, qui ſupponunt jurisdictionem Eccleſiaſticam.

4 Quæres, an nullus alius, quàm ſummus Pontifex, polleat poteſtate abſolvendi hæreticos, eorúmque adhærentes, ab excommunicatione, & diſpenſandi in irregularitate? Non eſt ſermo de articulo mortis, pro quo ceſſat omnis reſervatio, ita ut quilibet ſacerdos abſolvere poſſit à quibusvis peccatis & cenſuris, modò abſolvendus priùs præſtet cautionem ſaltem juratoriam deſatisfaciendo, & ſtando Eccleſiæ mandatis. *Bull. Cœn. cit.*

tit. Trid. *S. 14. c. 7.* Per articulum mortis autem intelligitur etiam probabile mortis periculum sive ex morbo, sive ex instante prælio, vel periculosa navigatione, ut habet communior. Jam §. 1. Utraque potestate pollet Episcopus (quo nomine probabiliùs juxta Leuren. Sanch. Dian. Garc. Roderiq. *to. 1. qq. Regular. q. 61. n. 9.* venit etiam Capitulum Sede vacante, & Prælati inferiores jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentes, & Prælati Regulares quoad suos Religiosos, quibus similem jurisdictionem in suos tribuit *c. Abbates. de privil. in 6.* & S. Pius V. in quodam *Motu proprio)* in sua diœcesi quoad hæreticos occultos, seu non notorios, pro foro interno conscientiæ, at non per Vicarium Generalem, nisi huic, vel alteri, det specialem commissionem. Ita Trid. *S. 24. c. 6. de Ref.* verbis: *Idem & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantùm* (Episcopis) *non eorum Vicariis, sit permissum.* Ubi Episcopis non tanquam *Delegatis* Papæ, sed ut *Ordinariis*, uti notant allegati DD. id indultum est. Quam potestatem à Bulla Cœnæ non esse revocatam, probabiliter docent Nav. Guttierez, Lorca, Henriq. Chapeaville, Engel, & alii plures, quorum 24. recenset Barbosa *de pot. Episc. allegat. 40. 21.* contra Suar. Barb. Sanch. Piasec. Tusch. Pirhing, Reiffenstuel &c. quia dispositioni Concilii Generalis non censetur derogari à Pontifice, nisi specialem illius mentionem faciat in constitutione revocatoria. *c. 28. de Rescr. c. 3. de Capell. Monach.* Sed Bulla Cœnæ non facit specialem mentionem dispositionis Tridentinæ: ergo. Nec per dispositionem generalem derogatur priori specificæ.

c. ge-

c. generi de R. J. in 6. Trid. autem loquitur de hæresi *occulta*, Bulla Cœnæ autem de hæresi in genere. Confirmare dicitur Praxis nostram sententiam teste P. Böckn *h. t. n. 20.* & Chapeaville *in Thesauro Casuum reserv. p. 2. c. 1. q. 3.* Cæterùm hæreticus *occultus* esse censetur, quando publicè notorium non est (licèt aliqui sciant) eum esse hæreticum, & quidem, ut P. Böckn. *l. cit.* notat non absre, *formalem*, licèt talis fortè fuerit, & hinc infert, licèt constet, aliquem vixisse in Secta, v. g. Lutherana, eum tamen ab Episcopo (& aliis privilegium habentibus) absolvi pro foro interno posse, si publicè non constet, illum fuisse in numero hæreticorum formalium, eò quòd plurimi ex hac Secta sint tantùm materiales; quia nempe hæresis tali casu adhuc est solo modo occulta. Dein Episcopus, ut *Delegatus* Sedis Apostolicæ, habet quoque potestatem extra forum & tribunal Sacramentale Pœnitentiæ ab hæresi publica, & incursa propterea excommunicatione, etiam pro foro externo absolvendi hæreticum, non relapsum, aut non hæresiarcham, seu novæ hæresis auctorem. *arg. c. 11. pr. h. t. in 6.* quæ absolutio eatenus juvat, quatenus sublatâ per absolutionem excommunicatione quivis deinde Confessarius (à fortiori & ipse Episcopus) à peccato hæresis pro foro interno absolvere potest; nam Pontifici nullum peccatum est reservatum, nisi simul annexam habeat censuram, ut docet communis.

¶. 2. Religiosi quoque Mendicantes extra Italiam vi specialis privilegii possunt absolvere ab hæresi pro foro interno. Sic Julius III. anno 1552. in quodam *Brevi*, postmodum confirma-

firmato vivæ vocis Oraculô à Gregor. XIII. 18. Martii anno 1584. indulsit Præpositо Generali Soc. JESU vel per se vel per alios quoscunque à casibus hæresis, & aliis contra Fidem, & consequentibus censuris quibuscunque, etiam ortis ex lectione librorum hæreticorum, absolutionem; quæ facultas communicatur Provincialibus cum potestate communicandi aliis. *Compend. Privil. Societ. V. Absolutio §. 7. 8. 10. 11.* Sic Carmelitis discalceatis teste Gobat *tr. 7. Theol. Experim. n. 638.* amplissima potestas absolvendi ab hæresi à Clemente VIII. data est pro Gallia, Flandria, Germania, Polonia. Dein in Germania passim & quotidie Religiosi, Mendicantes saltem, recurrentes ad se in hæresi natos convertunt, & ab hæresi absolvunt, quin Romæ petant licentiam, vel illic reclametur. Siqui petant, potiùs ex superabundanti & ad melius esse, quàm ex necessitate censendi sunt petere. Adeóque pro hac responsione stat quoque Praxis. Unde in Germania non procedit propositio ab Alex. VII. damnata hujus tenoris: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ quoscunque sæculares ab hæresi occulta absolvere.* Quin imò

¶. 3. Non est improbabile, quôd hæresis in nostra Germania non sit casus reservatus quoad natos & educatos ab hæreticis. Probatur 1. quia in his partibus frequentissima est hæresis; sed casus frequentissimos reservari non expedit, imò non consuevit, eò quòd ex una parte detur perpetua necessitas absolvendi, utî in Germania hæreticos quotidie ad Ecclesiam revertentes, ex altera verò detur nimia difficultas semper & toties

ties recurrendi ad Superiorem, maximè Romam, utì DD. communiter advertunt, & ideo Laym. in *Concluſ. Canon. de Jurisdict. c. 4. n. 73.* Wagnereck in *Exegeſi l. 1. tit. 28. in c. licèt in 6. Nota V.* Gobat. *tr. 7. cit. n. 371. in Appendice.* & reliqui communiter tradunt, Caſus Papales ob nimiam frequentiam, vel impedimentum adeundi Papam, fieri Epiſcopales. Et ex hoc capite Epiſcopi poſſim diſpenſant, imo & Parochi, in jejuniis, & obſervatione feſtorum, eò quòd Papa præſumatur in caſibus tam frequentibus nolle onus imponere ſemper recurrendi ad ſe. Notentur quoque ad rem præſentem verba P. La Croix, quamvis ipſe videatur tenere oppoſitum, qui *l. VI. p. 2. n. 1621.* ſic ait: *Laym. Perlin. Gobat, & alii docent, Nos* (Jeſuitas) *& NB. quoscunque approbatos in Germania abſolvere ab hæreſi, & lectione librorum prohibitorum, poſſe; quia hinc non eſt facilis, imò plerumque eſt moraliter impoſſibilis acceſſus ad Papam &c. Neque ideo eſt obligatio ſcribendi Romam &c.* Prob. 2. quia in Germania hæretici ſunt tolerati, etiam in tantum, ut reverſi non indigeant abſolutione pro foro externo, adeóque cenſeatur excommunicatio pro foro externo eſſe ſublata generaliter: eâ autem pro foro externo ſublatâ ceſſat & reſervatio pro foro interno, ut obſervant Farinac. Palao, Pirhing, Wagnereck *loc. cit.* Reiffenſtuel *h. t. n. 369.* & alii. Huc facit, quòd DD. Germani paſſim, & cum iis La Croix *de legib. l. 1. n. 637.* dicat, *certum videri, Bullam Cœnæ quoad aliqua non obligare, vel ſaltem non cum illo rigore,* & quoad pœnas (cur non & quoad reſervationem, cùm ſit pœnalis?) non tam rigidè receptam eſſe.

esse. Prob. 3. Hæretici in Germania ad Fidem revertentes plerumque priùs fuerunt materiales, saltem non publicè constat, fuisse formales: sed materiales nec indigent absolutione, formales verò, de quibus, quòd tales sint, publicè non constat, sunt occulti, & sic reservationi Papali non subjacent. Imò rectè dicitur, partem minorem, quam meô judiciô faciunt formales hæretici in Germania, regulandam esse juxta majorem, quam faciunt materiales, censuræ & reservationi Papali non obnoxii. Addidi tamen in Responsione, *quoad natos* &c. cum quibus, tanquam culpâ ab initio vacuis, utique mitiùs agendum, quàm cum illis, qui malitiosè ex Catholicis labuntur in hæresin; hos ego nolim à censuris & reservatione immunes habere.

Objic. Contra primam Responsionem 1. Gregor. XIII. & Clemens VIII. teste Genuensi declarârunt, per Bullam Cœnæ revocatam esse potestatem ab hæresi occulta absolvendi, Episcopis concessam à Tridentino. Imò Alex. VII. anno 1665. proscripsit hanc propositionem: *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Julii in Consistorio S. Congreg. Em. Card. visa & tolerata est.* 2. Idem declararunt Cardinales Tridentini Interpretes teste Fagn. & Vinc. Petra. 3. Contra Responsionem 2. Idem Alex. VII. damnavit hanc positionem: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ quoscunque sæculares ab hæresi occulta absolvere.* R. ad 1. Declaratio Gregorii XIII. 5

XIII. & Clem. VIII. meritò trahitur in duplum, tum quia in re tanti momenti oportuisset edere Bullam, de qua tamen non constat: tum quia etiam post dictos Pontifices non pauci docuerunt nostram sententiam nemine reclamante. Propositio illa ab Alex. VII. videtur esse damnata propter ultima verba, quasi propositio fuisset approbata à Consistorio Cardin. ut putat Moya *in qq. select. tr. 3. q. 5. n. 5.* dein ex hac objectione plus non inferretur, quàm quòd Tridentinum loquatur de hæresi *occulta*, & Bulla Cœnæ loquatur de hæresi in *genere*, & sic nihil probare nostrum argumentum ex hoc capite petitum: interim tamen salva manere possunt alia argumenta. Ad 2. Declarationes Cardinalium non habent vim, nisi approbatæ sint ab aliquo Pontifice, & producantur in forma authentica: sed de neutro constat. Ad 3. (quod etiam ad priora duo applicari potest, & bene notetur) licèt id universaliter verum sit, & admittendum in locis, ubi hæresis non est adeò frequens, & ubi specialia non habentur privilegia, nec pugnant rationes aliæ: in Germania tamen non stringit, præsertim de natis in hæresi, tolerantis, plerumque materialibus, ac frequentissimè ad Fidem revertentibus, utì probant nostra fundamenta, maximè pro tertia Responsione allata. Longè aliter namque discurrendum est de hæreticis in Germania, quàm in Italia, Hispania &c. ubi vel nulli sunt, vel saltem non tolerantur, nec nascuntur, sed malitiosè fiunt.

6 Dico 2. Legere scienter & sine licentia in materia notabili, ex quocunque fine etiam honesto, libros hæreticorum, seu ab hæreticis scriptos tra-

stantes

stantes de Religione, v. g. de Ecclesia, Mysteriis fidei, Sanctis, bonis operibus, peccatis, Theologia &c. vel hæresim continentes, imò tales libros retinere, imprimere, defendere, graviter est prohibitum, & quidem sub excommunitatione per Bullam Cœnæ reservata Pontifici. Ita in thesi DD. Catholici plerique omnes propter *c. 4. h. t. Concil Constant. s. 8. Concil. Lateran. sub. Leone X. sess. 10.* & variorum Pontificum *Constitutiones*, maximè *Bullam Cœnæ casu 1.* Consonant *l. 3. §. 1. C. de Sum. Trinit. l. 6. 8. & 16. C. h. t.* Ratio est duplex, nempe detestatio Auctorum hæreticorum, & periculum perversionis, quod saltem generaliter dari præsumitur, licèt in particulari casu per accidens non detur. Et ubi datur periculum hoc, non solùm Jus Positivum Humanum, sed etiam Divinum & Naturale prohibet. Excipe pro nostra Germania libros Philosophicos, Medicos, Juridicos, Politicos, & plerosque Historicos, licèt hæreticos habeant auctores, & hinc indè hæresim inspergant, non tamen ex professo tradant, nec deditâ operâ (utì tamen Sleidanus, Münsterus, & Aventinus, Historici faciunt) in contemptum & vilipensionem Religionis Catholicæ, & hæresis commendationem, suos vulgent libros; hos enim libros Hæreticorum, incidenter solùm inspersam hæresim continentes vel non comprehendit Bulla Cœnæ, ut existimat Reiffenstuel *h. t. n. 51. seqq.* vel consuetudo communiter recepta in Germania permittit, & declarat, Bullam Cœnæ quoad hos libros inibi non esse receptam, ut probabiliùs censet Laym. & alii plerique Germani, qui post ipsum scripserunt. Et planè sine scrupulo

legi & retineri hos libros, notoria Praxis ostendit. A fortiori hoc procedit de lectione & retentione librorum ab Hæreticis editorũ, qui nec de Religione ex professo tractant, nec hæresim ullam habent insperſam, licèt aliàs à Pio IV. lectio horum librorum sit prohibita sub excommunicatione reservata. Cæterùm etsi *Historicos* hæreticorum libros legere de Jure Ecclesiastico prohibitum in Germania non censeam, hi tamen præ cæteris possunt esse noxii incautis, ac imperitis, maximè Juventuti, è cujus manibus eos omnes, si possem, eriperem, eò quòd nunquam soleant scribere historiam veram, ac plerumque falsa, & ordinariè in Papæ, Statûs Ecclesiastici, Conciliorum &c. vilipensionem vel contemptum cedentia falsò adducere, probrosa immiscere, laudabilia dissimulare, Catholicorum doctrinam & ritus ludicrè ac per sannas proponere; curiosa econtra immiscere ad pelliciendum Lectorem, ac de suis tum rebus tum personis plausibiliter loqui &c. ut inter alios facit tam notus quàm mendax Hübnerus, qui liberrimè dicit, quod vult, & nihil omnino probat, pestilens & fallacissimus pseudo-Historicus. Et hujusmodi Historicos legere multis vetat Jus Naturale, ut pridem advertit Doctissimus Becanus.

7 *Objic.* 1. Licitum est legere libros Paganorum & Judæorum etiam de Religione tractantes: item libros Origenis & Tertulliani, qui fuerunt hæretici: ergo & aliorum Hæreticorum libros, etiam de Religione tractantes. 2. Si hos libros legere & retinere non licet sub pœna excommunicationis, plurimi viri, cæteroquin docti & probi, in locis, ubi Hæretici vivunt immixti Catholicis, &

omnia

omnia ſcatent libris Hæreticorum, uti Auguſtæ Vindelicorum &c. erunt excommunicati; quia paſſim legunt per modum Novellarum tractatus Controverſiſticos ac de Religione tractantes, ab Hæreticis editos, & vix ibi domus vel bibliotheca reperitur, in qua non ſint & retineantur libri Hæreticorum: ſed hoc durum eſt dicere, & incredibile: ergo. R. ad 1. Prohibitio Eccleſiæ de libris Paganorum &c. nulla exſtat, nec ad libros antiquorum Hæreticorum, quorum errores jam ſunt extincti, & ideo periculum indè legentibus non imminere præſumitur, ſe extendit. Ubi tamen legentibus immineret periculum perverſionis, vetat Jus Naturale. Ad 2. Hæc objectio tam valida mihi videtur, ut planè cum Laym. exiſtimem, Bullam Cœnæ non ubique in noſtra Germania in omni rigore receptam eſſe, nec ubique obſervantiam ejus in toto rigore, & quoad pœnas, urgeri à Summo Pontifice, qui prudenter præſumitur conſentire in non obſervantiam, ubi contraria conſuetudo nimiùm quantùm invaluit, & tales ſunt circumſtantiæ, in quibus obſervantia rigida urgeretur ſine fructu, imò cum animarum graviori detrimento. Proin ſicubi propter Hæreticos Catholicis immixtos (aliter cenſeo de noſtra Bavaria, & locis, ex toto Catholicis) paſſim retineri ſoleant (vel etiam legi, ad quod tamen plùs requiri putem) libri hæretici, retentionem (vel lectionem quoque) à Bulla Cœnæ, utpote uſu non recepta quoad hoc, non prohiberi exiſtimo. Id quod indicavit vel ſuppoſuit, laudatus Becanus. *to. 2. tr. 1. de fide c. 15. q. 80. n. 5.* & Ludov. Engel in *Manuali p. 3. c. 2. de Pœnit. in*

Catal. Excomm. Quidquid in oppositum disputet fusè P. Reiffenstuel *h. à n. 79. usque ad n. 93.* cujus argumenta ex generalibus principiis, quæ tradidi ad *titt. de Constit. & Consuet.* haud difficulter solvi posse existimo. Hic tamen præclarus Auctor paulò pòst suum rigorem temperat nonnihil, dum Monasteriis Religiosorum permittit absque speciali licentia *retentionem* librorum hæreticorum, etiam de Religione tractantium, imò etiam ab hæresiarchis editorum, in loco separato & clauso, ex ratione, quòd vel Religiosi habeant privilegium, vel quòd ferè in quovis Monasterio in locis hæresi infectis, obtineant vel obtentum probabiliter sint unus vel plures à Sede Apostolica mediatè vel immediatè licentiam legendi tales libros, in ordine ad meliùs confutandos Hæreticos, aut alia de causa, quæ licentia frustra daretur, si hujusmodi libros asservare non liceret.

3 Quæres an præter libros hæreticos etiam alii sint prohibiti? R. sunt, & quidem in *Indice librorum prohibitorum*, quem Pius IV. juxta decretum Concilii Trident. primitus curavit confici, postea verò alii Pontifices, nominatim Sixtus V. & Clemens VIII. continuârunt, maximè Alex. VII. cui etiam posteriores usque ad hodiernum diem solent novos apponere. Libri hujus Indicis sunt in triplici classe. In *prima classe* censentur, qui sunt prohibiti propter Auctores hæreticos, si vel tractent de Religione, vel ex professo hæresin contineant. Ad *secundam classem* pertinent, qui sunt prohibiti propter doctrinam, quam continent non sanam, suspectam, scandalosam, bonis moribus aut fidei repugnantem, v. g. res magicas, superstitiosas, per-

perſtitioſas, obſcænas &c. quisquis fuerit Auctor. Quò revocant libros Juridicos, Medicos, Philoſophicos, Politicos, Hiſtoricos Hæreticorum hinc indè hæreſim inſpergentes, & non niſi obiter probatam. Ad *tertiam claſſem* ſpectant libri, ob doctrinam, ſive Religioni ſive bonis moribus contrariam, damnati, quorum tamen Auctores latent, nec ſatis ſunt cogniti, an ſint Hæretici, vel alii: qui libri ſæpius ſunt peſtilentiſſimi & maximè inverecundi. Qui legunt libros *primæ claſſis*, incurrunt excommunicationem reſervatam per ſe juxta ſuperiùs dicta: qui *ſecundæ* & *tertiæ claſſis*, ſi de Religione non tractent, nec ex profeſſo hæreſim propínent, nullam excommunicationem incurrunt, ſi tamen hæreſim ex profeſſo tradant, legentes incurrunt excommunicationem non reſervatam. Sed, ſaltem quoad pœnam, Index librorum prohibitorum *quoad ſecundam & tertiam claſſem* non eſt receptus in Germania. P. Engel *n. 9.* Pariter non eſt receptus quoad illos libros, qui Catholicos habent Auctores, in hunc Indicem relati propter unam vel alteram doctrinam, quam continent, non ſatis conſonam cum Theologia, SS. Canonibus, Pontificum Conſtitutionibus, aut quia in certa materia excedunt, ſcribendo vel gloſſando ſuper materia, de qua non licet &c. utí ſunt v. g. *Manuale Regularium* Franciſci Pellizarii, *Privilegia Regularium* Brunonis Chaſſacini, *Collectanea* Auguſtini Barboſæ &c. nam non obſtante, quòd tales libri reperiantur in dicto Indice, paſſim tamen tenentur & leguntur. Reiffenſtuel *n. 119.* apud quem plura vide de hoc Indice.

9 Dic 3. Quamvìs Hæretici formales sint omnes excommunicati, utì & eorum credentes &c. *c. 7. 8. h. t. Bulla Cœnæ.* si tamen nominatim non sint denuntiati tanquam excommunicati, dicuntur *tolerati*, ita ut cum ipsis communicare liceat. Communis post Bullam *Ad evitanda* Martini V. non tamen in Divinis, & in crimine hæresis, & in Matrimonio cum ipsis contrahendo, saltem regulariter. Item ubi est periculum perversionis, aut contemptûs Religionis Catholicæ; quia id prohibet jus Naturale, ac Jus Divinum, hæreticum hominem devitari jubens. Unde, cum hæresis sit crimen DEO summè injuriosum, animabus maximopere noxium, Reipublicæ turbativum, atque Hæretici à SS. Patribus August. Chrysost. &c. dicantur *pejores Paganis & Judæis* secundùm quid, *diaboli progenies, organa Sathanæ, pestes & lues Fidei, fraudis propugnatores, clibani impietatis, & gurgites omnium malorum*, non licet per se Catholicis eos in sua territoria recipere concessô domicilio, vel etiam suæ Sectæ exercitiô, aut receptos tolerare, cùm præter Jus Naturale & Divinum reclamet etiam Humanum utrumque in *c. 9. §. statuimus. c. 13. §. 2. l. 2. 5. Auth. Si verò & Auth. Gazaros. C. h. t.* nisi nempe necessitas cogat, aut majoris mali & Religionis detrimenti periculum, si non recipiantur vel non tolerentur, aut nisi per pactum vel contractum aliunde validum (valere autem non possunt, nisi ineantur ad evitandum majus periculum Religionis Catholicæ, aut ad majus ejusdem bonum procurandum) semel sint recepti, & nova causa justa expellendi non superveniat; quia pacta, præsertim publica, adeóque fides

fides etiam hostibus, infidelibus, adeóque & Hæreticis semel data, servari debent, sic exigente Fidelitate & Justitia, Jure Gentium, & Scriptura S. *2. Reg. 21. v. 6. 7.* Per hoc tamen non liberantur Hæretici ab obligatione redeundi ad Ecclesiam Catholicam, & restituendi eidem ablata. Quid sentiendum de fœdere, quod Catholici ineunt cum hæreticis, quo petunt ab ipsis auxilia tempore belli, vel ipsis promittunt, præsertim contra Catholicos, fusè, accuratè, & ardenti zelo discutit P. Reiffenstuel à *n. 157. usque ad n. 225. h. t.*

Dico 4. Disputare cum Hæreticis de rebus Fidei, privatim aut publicè, prohibitum est Catholicis Laicis, etiam doctis, de Jure Canonico. *c. 2. §. 1. h. t. in 6.* Clericis autem, qui satis periti non sunt, uti & Laicis imperitis, Jure Naturali. Ratio, quia Hæretici, præsertim errorum Magistri, sæpe sunt versipelles, dolosis argumentis & subdolis effugiis assueti, & exercitati, proin imperiti fortè succumberent cum scandalo, ac tum suô tum audientium periculô. In Germania tamen, & in locis, ubi Hæretici degunt immixti Catholicis, etiam Laicos, rerum Polemicarum peritos, quoad disputationem privatam non stringit hæc Juris humani prohibitio, vel nunquam recepta, vel rursus per consuetudinem abrogata. Sanch. Becan. Laym. Pirh. Wiestner, Sannig. &c. sæpe tamen disputare cum Hæreticis non expedit; vel enim sunt *formales*, effrontes, & obfirmati in sua opinione, & præstat sequi consilium vel præceptum S. Pauli, *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita. ad Tit. 3.* vel sunt *materiales*, & fortè causam habes timendi, ne in erro-

nea

nea sua Secta perseverent, etiam edocti veritatem Catholicam; atque tunc abstineas, ne ex materialibus facias Hæreticos formales. Consultiùs & utiliùs longè ages, si tales instruas & doceas modum eliciendi contritionem perfectam, vi cujus justificari & salvari poterunt. Si verò sint materiales, & spes conversionis sit, vel formales, quidem & absque præsentium scandalo pugnam evitare non possis, avidè arripienda est disputatio à satis perito. Sed

11 Quæres, quomodo disputandum cum Hæreticis? ℟. 1. duplex est modus cum ipsis disputandi, nimirum *aggressivè* sustinendo partes *Argumentantis*, & *defensivè*, sustinendo partes *Defendentis*. ℟. 2. meliùs facis, si disputes defensivè, quod semper poteris facere; nam Hæretici sunt aggressores consequenter *Actores* adversùs Catholicos, in possessione veritatis & veræ Christi Ecclesiæ existentes, eósque arguunt defectionis, idololatriæ, errorum in Fide, ac proin ipsi hæc objecta probare tenentur, & argumentantis vices sustinere. Si igitur *defensivè* te habeas, & citò te velis expedire, ac omnia Adversarii argumenta quasi in cunis suffocare, & elidere, nega ipsi hæc quatuor, vel unum ex illis. 1. quòd detur aliqua scriptura, in qua contineatur Verbum DEI. 2. si hanc liberaliter velis transmittere, nega quòd in his ipsis libris, quos Adversarius habet pro Scriptura sacra, contineatur Verbum DEI, & sint vera Scriptura sacra. 3. quòd versio & editio Scripturæ, quam allégat, sit incorrupta; nam Originale nusquam libi exstat, & produci nequit. 4. Si hæc omnia velis gratuitò (non enim teneris; nec ipse in fine prin-

principiis poterit infallibiliter probare, utpote rejectô Verbô DEI traditô, & auctoritate Ecclesiæ, ex qua sola certò & infallibiliter probari hæc possunt) permittere, tum nega, quòd textus, quos contra te turmatim adducet, ut obruat, confundat, vel terreat, habeant illum sensum, quem Adversarius intendit. His negatis impossibile ipsi erit vel unicum articulum, inter nos & ipsos controversum, v. g. de Invocatione Sanctorum, Purgatorio, Justificatione, bonis operibus &c. satis & *infallibiliter* (quod ad articulum Fidei absolutè necessarium est) probare, quia necdum probavit infallibiliter, & in suis principiis in æternum non probabit *infallibiliter* & certò, existentiam, canonem, versionem incorruptam, & sensum genuinum S. Scripturæ. Et sic certissimè triumphabis tanquam possessor veritatis Catholicæ.

¶. 3. Quòdsi tam peritus tibi videaris, ut *aggressivè* congredi possis, & velis, non instrue pugnam circa materias particulares, v. g. de Confessione auriculari, præsentia Christi in Euchatistia extra usum, & sine pane &c. sed circa principia generalia, Ecclesiam aut Judicem infallibilem controversiarum: v. g. probando veritatem Ecclesiæ Catholicæ ex notis veræ Ecclesiæ, aut falsitatem Sectæ Lutheranæ aut Calvinianæ: ex priore sequitur, omnes articulos, quos credit Ecclesia Catholica, etiam in particulari, esse veros, cùm vera Christi Ecclesia errare nequeat in ullo articulo, aliàs eo ipso non esset vera Ecclesia: ex posteriore, nullum articulum à Catholica Ecclesia diversum, quem credit illa Secta vel negat,

verum

verum esse, & debellatum est. Lutheranum v. g. sic poteris, aggredi: vel tua Ecclesia est nova, vel antiqua? *si nova:* ergo non est illa, quam Christus fundavit, & tradiderunt Apostoli, adeóque non Ecclesia Christi, non Apostolica: *si antiqua;* ubi ergo fuit ante Lutherum? nulla gens, nulla provincia, nulla civitas ostendi potest, quæ sic crediderit, sicut nunc Lutherani, vel Lutherus docuit: & utique ovum non est ante gallinam. Aut sic instabis: vel Ecclesia tua est fallibilis, vel infallibilis: *si fallibilis*, fluctuare debes in omni articulo, & in nullo es certus, sicut tamen Fides Divina infallibiliter certa esse debet: *si infallibilis*; unde habet hanc prærogativam? an quia est Ecclesia Christi supra petram ædificata, cui portæ inferi nunquam prævalere possunt, & cujus fides nunquam deficere? sed hoc ipso Ecclesia Romano-Catholica est vera, consequenter tua, quæ illi in multis contradictoriè opponitur, necessariò est falsa; nam juxta te, saltem olim, aliquot à Christo sæculis, Romano-Catholica fuit vera Christi Ecclesia, supra petram ædificata, insuperabilis ab Orco, indefectibilis in fide: ergo adhuc est talis, & vera Christi Ecclesia. Vid. meus *Cursus Theologiæ Polemicæ.* Si confugiat ad Scripturam, dic ipsi, unde sciat, nunc primùm innotuisse Mundo genuinum sensum Scripturæ, & totam antiquitatem errâsse, veram Christi Ecclesiam totaliter periisse? An prudenter credibile sit, Lutherum, hominem votifragum, blasphemum, rebellem, malèdicum, sordidum, &c. & multiplicem apostatam, nullo signo viri sancti aut à DEO missi præditum &c. ejusque asseclas meliùs intellexisse

Scri-

Scripturas sacras, quàm Patres antiquos sanctissimos & illuminatissimos, totúmque fidelium Cœtum? Id planè citra temeritatem & insaniam summam cogitari aut dici nequit.

Dico 5. Judex in causa hæresis competens pri- 12.
vativè est solus Ecclesiasticus, & quidem in qualibet diœcesi Episcopus, & Sede vacante Capitulum Cathedrale. Communis & certa ex *c. 9. 13. x. 18. h.t. in 6. Constit. Quia aliàs.* Gregorii XIV. *Constit. Licèt aliàs.* Alex. VII. In Hispania verò & Italia *Officium S. Inquisitionis*, ut vocatur, ex personis Ecclesiasticis constans. *c. 6. 8. 11. in 6. & Clem. 1. eod.* At non exclusô Episcopô. In Germania, & locis, ubi non viget dicta Sacra Inquisitio, solus Episcopus totam gerit curam, & vocatur *Inquisitor Natus* in sua diœcesi: qui tamen in Germania contra Hæreticos Laicos procedere nequit, utpote toleratos, utì & contra Clericos in tantum, ut propter crimen hæresis degradati tradantur Curiæ Sæculari puniendi, saltem vi consuetudinis. Admittuntur in hoc crimine pro testibus, qui aliàs non sunt idonei. utì excommunicati, socii criminis, perjuri &c. *c. 5. & 8. h.t. in 6.* Proceditúrque de plano, & summariè, nec nomina testium manifestantur. *c. ult. eod. in 6.* Sed *Objic.* 1. Prælati Regulares, etiam non exempti, procedunt in causa hæresis contra suos Religiosos, quia apostatas capiunt, judicant, puniunt, ut patet ex praxi: ergo respectu Regularium Judex non est Episcopus. 2. Solius Papæ est declarare, an aliquid sit hæresis vel non: ergo solus Papa cognoscere & judicare de hæresi potest. *R.* ad 1. procedunt ex consuetudine in Germania. *C. ant.*

de

de Jure Scripto & Communi. *N. ant. & conf.* Ad 2. Solus quidem Papa poteſt in dubio decernere ac definire, an dogma vel doctrina ſit hæretica, nec ne; ſuppoſitô autem, quòd aliunde, ex SS. Litteris, vel ex prævia Pontificis definitione, aliquid certò ſit hæreſis, de hac cognoſcere, judicare, & reos punire Papa conceſſit quoque Epiſcopis, & Inquiſitoribus in hæreticam pravitatem.

TITULUS VIII.

De Schiſmaticis, & Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quinam dicantur Schiſmatici, & quænam eorum pœnæ.*
3. *An validè conferant Ordines.*

1 S*Chiſmatici*, à ſchiſmate, latinè *ſciſſura*, ſic dicti ſunt, qui ſe ipſos ab unitate Eccleſiæ pertinaciter ſeparant, ejúsque Capiti Summo Pontifici, obedire, & uniti univerſo Eccleſiæ corpori eſſe detrectant. Differunt ab Hæreticis, quòd nullum negent fidei dogma, ſed ſolùm unitatem Eccleſiæ ſcindant per inobedientiam erga Summum Pontificem ceu caput Eccleſiæ. Adeóque ſchiſma poteſt eſſe parum ſeu ſine hæreſi, licèt hæreſis eſſe nequeat ſine ſchiſmate. Interim tamen ordinariè, ſaltem diu, nec ſchiſma ſine hæreſi eſſe ſolet; qui enim pertinaciter negat obedientiam Pontifici

quà

quà tali, simul vel saltèm brevi negabit ei obediendum esse tanquam Christi Vicario, quod jam est error in fide & hæresis, vel alios errores quoque amplectetur, ut patet in schismate Græcorum, & Anglicano.

Dico 1. Pœnæ Schismaticorum sunt. 1. Excommunicatio, quæ per Bullam Cœnæ reservatur Summo Pontifici. 2. Privatio jurisdictionis & potestatis Ecclesiasticæ, adeóque collationes beneficiorum, & alienationes rerum Ecclesiasticarum, ab ipsis factæ &c. non valent. 3. Inhabilitas ad consequenda beneficia & dignitates Ecclesiasticas. 4. Infamia facti, quæ secum trahit irregularitatem; modò schisma sit notorium. 5. Confiscatio bonorum, *Bull. Cœn. can. 31. cauf. 24. q. 1. c. 1. 2. h. t. c. 5. de Elect. c. un. h. t. in 6. & Extrav. un. int. Comm. eod.* Præter has locum quoque habent aliæ ad arbitrium Judicis Ecclesiastici. 2

Dico 2. Quamvis Ordines ab Episcopo schismatico, si fuit ut talis nominatim denuntiatus, collati valeant, cum retineat characterem Episcopalem & potestatem Ordinis; Ordinatus tamen ipso Jure suspensus est ab exercitio Ordinum susceptorum. *c. 1. & fin. eod.* Sed *Objic.* In *cit. c.* 1. dicitur, Ordinationes hujusmodi *irritas* esse. R. cum communi, esse irritas quoad executionem, non verò quoad substantiam & in se. Si tamen ordinatus laboravit ignorantiâ non crassâ, 3

conceditur Episcopo dispensatio,

text. & Gl. in c. fin. cit.

)o(

TITULUS IX.

De Apostatis, & Reiterantibus Baptisma.

SUMMARIUM.

1. *Quid, & quotuplex sit Apostasia.*
2. 3. 4. 5. *Quæ sint pœnæ Apostatarum à Fide: à Religione: ab Ordine: & reiterantium Baptisma.*

1 *Apostasia*, seu desertio statûs per publicam professionem semel susceptî, est triplex. 1. *à Fide*, seu *Perfidia*, quando quis totaliter recedit à Fide Christiana, amplectendo Judaismum, Paganismum, vel Atheismum: differt ab Hæretico, quòd iste retineat fidem in Christum, & solùm in uno vel pluribus articulis dissentiat ab Ecclesia Catholica. 2. *à Religione*, seu *Inobedientia* quando quis post emissa vota Religiosa sine licentia priùs obtentâ recedit à Religione sine animo redeundi, sive animo redeundi, sed dein dimiserit habitum, sive, ut habet communior, non dimiserit habitum: differt talis à *Fugitivo*, quia iste, sine licentia recedens, habet animum redeundi; si tamen diutiùs, v. g. per 3. vel 4. annos ita vagaretur, pro foro externo præsumeretur Apostata. Si autem quis sub prætextu nullitatis votorum recedens recto tramite tenderet Romam, sua ibi gravamina propositurus, ibi audiretur. P. Schmalzgrueber *h. t. n. 16.* Sed cavendus temerarius Romam recursus, 3. *Ab Ordine*, [illegible] mirum

mirum Clericali, seu *Irregularitatis*, quando quis in majoribus Ordinibus constitutus dimisso habitu & tonsura Clericali ad statum laicalem, vel etiam Matrimonialem, propria temeritate attentat transire. *Reiterans baptisma*, quod est altera pars Rubricæ, dicitur, qui vel seipsum, jam semel validè baptizatum, denuo baptizari permittit, vel alium jam semel validè baptizatum rebaptizat: qui hoc faciunt; vocantur *Anabaptistæ*.

Dico 1. Pœnæ Apostatarum à Fide, utì & fautorum &c. sunt eædem omnes, quas de Jure in Hæreticos diximus suprà statutas esse; quia Hæreticis æquiparantur, imò specie substantiali ab iis non differunt, cùm *magis & minùs non mutent speciem.* 2

Dico 2. Pœnæ Apostatarum à Religione sunt 3
1. Excommunicatio latæ sententiæ, si habitum dimiserunt. *c. 2. Ne Clerici vel Monachi in 6.* P. Wiestner & alii. In Societate JESU est excommunicatio lætæ sententiæ, etsi non dimiserint habitum, & vota solùm simplicia emiserint. *Const. Ascendente Domino* Gregor. XIII. 2. Suspensio ab exercitio Ordinum in Apostasia susceptorum. *c. fin. h. t.* 3. Inhabilitas ad omnia officia & beneficia, ac suspensio ab omni ministerio, & amissio privilegiorum Ordinis. *Constit. Postquam relata*, Pii IV. & Trid. *s. 25. c. 19. de Regular.* quod insuper *c. 4.* permittit aliis pœnis arbitrariis & secundùm Statuta Ordinis puniri Apostatas, præsertim duram incarcerationem statuit. per *c. 5. h. t.* & praxis observat. Dein *c. 7. de off. Ord. c. ult. de Regular.* indulgetur quoque, ut Superiores Religiosi tam fugitivos quàm Apostatas suos ubique

locorum persequi, & deprehensos capere possint, invocato etiam brachio sæculari. Si hujusmodi dimisso habitu vagentur in terris Hæreticorum, S. Pœnitentiaria Romana, cui ad hunc finem offerendæ sunt preces, facto verbo cum Pontifice, per Rescriptum sæpius indulget, ut ad quamcunque Religionem, & quandoque etiam ad non claustralem transire valeant, ut nimirum alliciantur ad reditum ad Ecclesiam. Monacella *in Append. p. 1. fol. 342. n. 4.*

4 Dico 3. Pœnæ Apostatarum ab Ordine sunt 1. Amissio privilegii Canonis & Fori saltem post trinam monitionem. *c. 1. h. t. c. 27. de privil. c. 15. & 45. de Sent. Excomm.* 2. Excommunicatio ferendæ sententiæ. per *c. 3. h. t.* & latæ, si attentent contrahere Matrimonium. *Clem. un. de Consang.* 3. Infamia, ac istam subsequens irregularitas. 4. Modis omnibus, etiam per durum carcerem, adigendi sunt ad reassumendum habitum. *c. 5. h. t.*

5 Dico 4. Pœnæ reiterantium baptismata sunt 1. Irregularitas, tam rebaptizantis, quàm rebaptizari se permittentis. *c. 2. eod.* Depositio, si Clericus, excommunicatio ferendæ, si Laicus fuerit, per *can. 118. d. 4. de Consecr.* 3. De Jure Civili ultimum supplicium, vel exilium &c. *l. 2. C. de Sanct. Baptis.* nam nec Anabaptistæ, nec Apostatæ à Fide, in Romano Imperio sunt tolerati.

TITULUS X.

De his, qui filios occîderunt.

SUMMARIUM.

1. *Quid, & quotuplex sit Parricidium.* 2. Qua

2. *Quæ pœnæ Parricidarum.*
3. *Quid, si parentes prolem occîdant per culpam.*

PEr 6. deinceps *titulos* agetur de Homicidio (vel ejus periculo) hic de graviſſimo, nempe *Parricidio*, quod eſt duplex, *propriè dictum*, ſi parentes occîdant liberos vel alios deſcendentes, aut liberi parentes aut alios aſcendentes in linea recta: *impropriè* dictum, ſi conſanguineus alium conſanguineum collateralem usque ad 4. gradum occîdat, aut affinem ſaltem lineæ rectæ, aut conjunx conjugem. Excipe, niſi quis tam propinquè conjunctum occîderet velut aggreſſorem ex neceſſitate tuendi propriam vitam, vel tanquam rebellem patriæ. *l. 35. ff. de Relig. & ſumpt. fun.* 1

Pœna parricidii de Jure Canonico hodie eſt arbitraria, imò, niſi Reus conventus ſit perſona Eccleſiaſtica, relinquitur puniendum foro Civili, ut DD. paſſim notent. Si reus foret Clericus parricidii propriè dicti, degradatus traderetur Curiæ Sæculari. De Jure Civili pœna parricidii *propriè dicti* fuit olim culeus, h. e. Reus virgis ad ſanguinem usque cæſus ſacco coreacio cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia inſutus projiciebatur in mare vel flumen. *§. 6. Inſt. de publ. Jud.* Sed hodie vi Conſuetudinis vel Statutorum in variis locis varia mortis pœna, aliter & aliter exaſperata, infligitur, v. g. raptando reos caudæ equi alligatos ad locum ſupplicii, torquendo ignitis forcipibus, ſubjiciendo rotæ &c. *Improbriè dicti* autem eſt gladius, nempe pœna *Legis Cornel. de Sicariis. §. 6. Inſt. cit.* quamvis juxta Conſtitutionem pœna- 2

lem Caroli V. etiam in hoc precedere debeat, vel subsequi, aliqua exasperatio, ac soleat, præsertim si conjunx vel cognatus propinquior occidatur, v. g. crurifragium, vel injectio cadaveris in Rotum. D. Frölich *in Nemesi p. 2. l. 2. tit. 14. n. 1.* Eâdem gladii pœnâ, licèt aliam, nempe suffocationem in aquis &c. ordinet Constitutio Carolina *art. 131. & 133.* afficitur vi Consuetudinis fœmina, fœtum vel in utero existentem & jam animatum anima rationali, vel jam editum in lucem, occidens ad occultandum delictum, licèt pro ratione circumstantiarum exasperari soleat. In procurantes abortum, præsertim si fœtus jam fuit animatus anima rationali, etiam pro foro Canonico gravissimas sanxit pœnas Sixtus V. *in Const. Ad effrænatam*, quas nonnihil moderatus est Gregor. XIV. in *Constit. Sedes Apostolica.*

3 Quæres, quid sentiendum de parentibus, qui non deditâ operâ & dolô malô, at non sine culpa, occîdunt prolem, v. g. collocando eam in eodem secum lecto, & in somno, vel aliàs præter intentionem opprimendo? R. arbitrariè sunt puniendi, si satis de culpa constet; nam pœna triennalis jejunii, de qua loquitur *c. fin. h. t.* exolevit. Dein quibusdam diœcesibus, nisi circumstantiæ excusent parentes à culpa gravi, incurrunt casum Episcopo reservatum.

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis Expositis.

SUMMARIUM.

1. *Qui dicantur Infantes, vel Languidi exposi*

2. *Per se peccant, & puniuntur, parentes prolem suam exponendo.*
3. *An etiam fœmina id faciens ad declinandam infamiam.*
4. *Quis teneatur alere Expositos forte repertos.*
5. *An Expositi pro Legitimis habendi.*

SUbinde contingit, ut parentes vel ex paupertate, aut ad declinandam pœnam vel infamiam *exponant* seu deserant *infantes* seu liberos septenniô minores, alii verò *languidos*, seu gravi ac diuturno morbo laborantes cujuscunque ætatis, uti domini famulos ægrotantes seu ex sordidie seu ex duritie cordis quandoque domô ejiciunt, utrique sæpius non sine periculo vitæ *expositorum*. Quid ergo de his sentiendum? 1

Dico 1. Parentes per se peccant gravissimè exponendo infantes, utì & domini destituendo, vel domo expellendo famulos aut ancillas ægrotantes. 2. Illi amittunt propterea patriam potestatem, isti dominicam vel œconomicam. 3, &, si exponant in loco periculoso, v. g. solitario, ita ut facilè succurri non possit, vel spes auxilii aliunde ferendi, & defensionis contra mortem, moraliter non sit, ac mori vel extingui infantem &c. contingat, pœnam capitis incurrunt. Pars 1. sumitur ex *6. un. & l. 2. C. h. t. l. 4. ff. de agnos. & alend. lib.* ac ex ratione, quia graviter delinguunt contra pietatem, & officium parentum, ac boni Christiani. Dixi tamen, *per se*; per accidens enim excusari possunt, si ex una parte ob paupertatem desint ipsis media alendi, ita ut nec per se nec per alios alere queant, ex altera verò parte 2

exponant in loco tuto, ita ut moraliter non subsit periculum interitûs, & spes moraliter certa, à piis hominibus brevi reperiendos, assumendos, & alendos esse expositos, ut si exponant ad hospitale, vel ad ædes hominis pij & divitis. Gonzal. ad *d. c. un. n. 10.* ac alii passim. Pars 2. ex *c. un. cit. l. 3. & fin. C. h. t.* Pars 3. ex *l. 4. cit. l. fin. cit.* & *Constit. Carolina art. 132.* Si vero exitus non sit, vel solum per accidens & casualiter, pœna est arbitraria, v. g. fustigatio, relegatio &c. pro diversitate circumstantiarum. per *d. Const. Carol.* Carpzov. *Pract. Crim. p. 1. q. 10. n. 11.*

3 Quæres, an licitum sit fœminæ, quæ ex delicto concepit & peperit, alias bonæ famæ, ad declinandam infamiam, alio modo non evitabilem, exponere prolem in loco tuto, & tali, ubi moralis est spes, proli de alimentis & educatione provisum iri? R. id probabile videri Julio Claro, Menoch. Sanch. Henriq. & P. Seybold in *Erotem. Reipubl. Christ. p. 7. §. 11. n. 13.* contra alios multos. Rationem dant; quia talis mater in tantas redacta angustias videtur retinere jus ad bonam famam (quamdiu delictum manet occultum) si simul conservet, vitam prolis, eique alimentationem & educationem dictô modô procuret, non obstante, quod proles aliqua subeat incommoda, cùm mater longè majora, præsertim in fama, quæ est bonum altioris ordinis, subiret. Confirmant à paritate cum parentibus ex causa paupertatis prolem sic exponentibus. *Objic.* 1. Justè patitur talis mater infamiam, quia per delictum dedit causam, & facilè prævidere potuit secuturam inde infamiam; ergo injustè hoc modo declinat infamiam.

miam. 2. Obligatio alendi & educandi prolem certò incumbit ipsis parentibus, & quidem principaliter: ergo non possunt licitè hoc onus in alios transferre, qui solùm tenentur secundariò. & pro casu extremæ necessitatis, in qua ponitur talis infans expositus, & quidem à matre, quam ipsa Natura adstringit ad suam prolem alendam & educandam. 3. Alii non tenentur ad avertendam alterius infamiam suscipere in se onus grave, quale hìc est onus alendi & educandi: ergo nec justè ad id cogi possunt à matre exponente. R. ad 1. Quamvìs justè pateretur infamiam, justè tamen eam in talibus circumstantiis declinat; quia nullibi videtur ipsi prohibitum assumere tale medium ad eam evitandam, si simul consulat proli. Ad 2. Quamvìs parentibus per se incumbat onus alendi prolem, per accidens tamen & ex justa causa excusari possunt, ac in alios illud transferre, ut patet in exponentibus ex causa paupertatis. Ad 3. Quamvìs alii non teneantur ad id per se, neque à matre exponente, & prolem redigente ad extremam necessitatem, cogi, per accidens tamen & ex justa causa obligari possunt, & indirectè cogi, cum talis mater videatur jus habere prolem in tales circumstantias ponendi, in quibus alii vices ejus subire teneantur; ut si exponat ob paupertatem.

Dico 2. Expositos fortè repertos tenentur 4
alere ex pietate & misericordia 1. brephotrophium, Findlhauß/ Orphanotrophium, Waißl-Hauß/ vel aliud hospitale ad hujusmodi pia officia erectum. 2. His deficientibus Ecclesia. 3. Si hæc non habeat sufficientes facultates, com-

munitas loci, in quo inventi sunt, communibus expensis. Barbosa & P. Wiestner *h. t. n. 6.* nisi nempe privatus aliquis velit hoc pietatis onus sponte in se suscipere. Interim tamen suscipiens & alens (regulariter) repetere à parentibus, si de iis constiterit, & satis habentes fuerint, potest sumptus; cùm nemo censeatur vel præsumatur velle suis sumptibus alere liberos parentum divitum, malitiosè exponentium contra officium pietatis.

5 Dico 3. Infantes expositi, die Findling/ oder Findlkinder/ quorum parentes ignorantur, rectiùs habentur pro legitimis. Ita communior cum Baldo & Menoh. contra Suar. Covarrv. & & Rebellum alósque. Prob. 1. ex *c. un. h. t.* ubi dicuntur liberari à patria potestate: sed junta *§. fin. Inst. de nupt.* patria potestas locum non habet nisi in liberis legitimis. 2. In dubio semper sunt præferenda benigniora. *l. 56. ff. de R. J.* præsertim ac in specie, quando agitur de favore & legitimitate prolis. *l. 7. & 12. ff. de statu hom. l. 3. §. fin. ff. de suis & legit. c. 14. qui fil. sint legit.* Accedit ratio, sit: tamen satius est omnes expositos habere pro legitimis, licèt aliqui exponantur non legitimi, quàm aliquos reipsa legitimos & innocentes privare legitimitatis jure. Sed dubium est, dices, an expositi sint ex thoro legitimo natus sit: aut etiam exponi solent ex legitimis nuptiis procreati, v. g. propter paupertatem, metum instantis periculi, aut aliam causam, uti contigit Moysi, Cyro, Paridi &c. Unde 4. licèt sæpe, imò frequentiùs exponi soleant illegitimè nati, v. g. ad tegendum delictum, & præsumptio aliàs fieri debeat

beat à communiter & frequentiùs contingentibus, id tamen non procedit, quando in oppositum stat præsumptio fortior, utì censetur esse, quæ excludit peccatum, & quæ favet proli, ut habet communis sententia. *arg. c. 2. de R. J. l. 51. ff. proso. l. 7. & c. 14. citt.* ergo. *Objic.* Justæ Nuptiæ, ex quibus solis nascuntur legitimi, consistunt in facto: sed in dubio factum non præsumitur, sed probandum est. R. Etiam fornicatio & illicitus concubitus consistit in facto: ergo non debet præsumi, eò minùs, quòd involvat peccatum, & præjudicet proli. Interim tamen qualitas nobilitatis non præsumitur in talibus, & ideo ad dignitates & ad officia non admittendi sunt, ubi requiritur hujusmodi qualitas. Imò rectiùs etiam non admittuntur ad Ordines & beneficia Ecclesiastica Curata, propter dubium & periculum illegitimitatis, sine prævia dispensatione, quam, utpote in casu dubio, dare potest Episopus ad removendum omne dubium illicitæ promotionis, ut notant DD.

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario & Casuali.

SUMMARIUM.

1. *Quid, & quotuplex sit Homicidium.*
2. 3. *Qnando sit licitum.*
4. *Et quando illicitum ac injustum.*
5. *Pœna Homicidii Dolosi, & Culposi.*
6. *Quid sit Irregularitas: & Mutilatio.*

7. *Ir.*

7. *Irregularitas oritur ex omni homicidio doloso: & quando ex culposo. Idem tenendum de Mutilatione.*
8. *In quo dubio incurratur.*
9. 10. *Etiam contrahitur ex homicidio, & mutilatione licita, si sit publica auctoritate, nempe vel à Magistratu, & cooperantibus:*
11. *Vel in bello justo offensivo.*
12. *Non tamen ex licito, quod non sit publica auctoritate, quale est Necessarium ad defensionem & Casuale.*
13. *Ad quem pertineat dispensatio in irregularitate.*

1 HOmicidium, à cæde hominis dictum, est violenta hominis ab homine facta exanimatio, seu occisio. In Rubrica dividitur in *Voluntarium* & *Casuale:* per illud videtur Compilator intelligere dolô vel culpâ factum: per istud verò præter intentionem factum, consequenter sine culpa, vel dolo. Voluntarium potest esse *directè*, quando nempe per se & immediatè intenditur occisio, ut si venenum porrigas ad occidendum, vel aliquem sclopô petas, vel fœmina sumat pharmacum, ut fœtum anima rationali jam informatum énecet: & *indirectè*, quando voluntariè ponis causam per se connexam, ex qua secuturam facilè, vel moraliter occisionem secuturam prævides, licèt per se non intendas & formaliter, ut si intendas aliquem graviter vulnerare, graviter percutias mulierem prægnantem, in aquas prolapsum non juves, cum facilè posses. Si accedat specialis malitia quoad personam occisam, vel modum occidendi, vocatur *qualificatum*, ut si occidas

cidas personam sacram, *sacrilegium*, si per venenum clam porrectum, *Veneficium*, si per insidias, *Insidiosum*, si sub specie amicitiæ, *Proditorium*, si per conductum pretiô, *Assassinium*, si spolii causâ, *Latrocinium* appellatur. Si talis circumstantia non accedit, nuncupatur *simplex* homicidium. Si ex deliberatione occisionem præcedente aliquo temporis intervallô, *Deliberatum* vel *Præmeditatum* dicitur, quod aliqui ad simplex, alii ad qualificatum referunt. Legistæ dividunt in necessarium, dolosum, culposum, & casuale. *Necessarium* est, quod vel authoritate publica fit, nempe à Magistratu mortem inferente sceleratis, aut hostes perimente in bello justo: vel ex privata necessitate, ut si aliter vitam, membra, aut res tuas vel alterius nequeas defendere contra injustum aggressorem, nisi occîdendo. *Dolosum*, quod fit dolô malô, seu ex prava intentione, directa vel indirecta, occîdendi. *Culposum*, seu ex voluntario & casuali *mixtum*, quod quidem pravam occîdendi intentionem non includit, bene tamen culpam, majorem vel minorem, si nempe quid facias, ex quo prævidisti vel prævidere potuisti, alterum posse occidi, & tamen, ut id caveatur, debitam diligentiam non adhibuisti, ut si explodas sclopum in loco, ubi frequens solet esse populus, si negligenter cures ægrum &c. quod quidam vocant indirectè voluntarium: vel si des operam rei illicitæ aut prohibitæ, ex qua præter tuam intentionem sequitur occisio, ut si fœminam prægnantem leviter percutias, ex quo postea per accidens sequitur abortus. *Casuale* demum, quod dolô & culpa omni vacat, & fortuitò contingit,

ut

ut si venator in abdito nemore emittat globum in bestiam, & hominem, quem ibi latere vel intercurrere ignoravit, interficiat.

2 Dico 1. Licitum & justum est omne homicidium *Necessarium*, nempe 1. si legitimus Magistratus servato Juris ordine sceleratos adjudicat morti, & per ministros Justitiæ exequitur. 2. Similites in bello justo, offensivo vel defensivo, hostes, & nocentes vel in armis stantes occidunt. 3. Si quis ad defensionem vitæ propriæ aut alienæ, vel membrorum, occîdit injustum aggressorem servato moderamine inculpatæ tutelæ. 4. Vel ad defensionem rerum suarum aut proximi, actu possessarum, magni momenti. 5. Vel si fœmina ad defensionem suæ pudicitiæ occîdit procum, si nimirum aliter defendere nequeat nisi occidendo. 6. Licitum denique & absque peccato, nec mihi materialiter injustum, est homicidium meræ Casuale, aut quod contingit à destitutis usu rationis. Pars 1. claret ex S. Scriptura, quæ *Exodi 22. v. 18.* jubet etiam: *maleficus non patieris vivere.* Ex variis Legibus Civilibus, & ex Jure Canonico *Can. 44. caus. 23. q. 5.* & ex ratione, quia bonum Reipublicæ exigit, ut membra perniciosa tollantur è medio. Pars 2. ex S. Scripturæ exemplis, constanti Fidelium usu, & ex ratione; quia, ubi bellum est justum & licitum, justa quoque & licita esse debent media, & occisiones hostium, modo parcatur innocentibus, nempe infantibus, pueris, Clericis, Religiosis, & iis, qui arma vel nunquam sumpserunt, vel devicti jam deposuerunt. Pars 3. ex eo, quòd omnia Jura, Naturale, Divinum, & Humanum, concedant vim vi repellere, & se defendere,

fendere, defensione etiam occisiva, ubi alia non suppetit. *l. 3. ff. de J. & J. l. 2. seqq. C. ad L. Cornel. de Sicar. Constit. Carol. art. 140. & 150. c. 18. §. fin. h. t. c. 6. de sent. excom. in 6.* Censetur autem servari (quod & in sequentibus assertionis membris attendi debet) *moderamen inculpatæ tutelæ*, si præcessit invasio, & quidem injusta: si alius evadendi modus non suppetat, v. g. fugando, exarmando, humisternendo, mutilando aggressorem, vel fugiendo: si defensio occisiva fiat in continenti, & non primùm postquam aggressor jam fugit, vel destitit &c. tunc enim esset potiùs vindicta, quàm defensio, vel propulsatio injuriæ, aut necis inferendæ. Notant tamen DD. necesse non esse (imò neque consultum) exspectare primum ictum, vel paritate armorum uti. Pars 4. ex *c. 6. cit. l. 9. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* & ratione, quia res & bona fortunæ ad vitam bene ducendam sunt maximè necessaria, vocantúrque alter sanguis, & vita hominis. Confirmatur; quia licitum est bellum, etiam offensivum, ad res fortunæ conservandas & recuperandas, in quo multos occîdi necesse est: ergo à fortiori licebit occîdere unum ex eadem causa. Unde licet raptorem vel furem bonorum, si cum iis nondum pervénit ad locum tutum, & spes recuperandi per viam Juris aut aliam non apparet, petere sclopeto, licèt indè cum contingat occîdi; aut res rapere molientem perimere. si aliter conservari nequeant. Pars 5. defenditur à plerisque, eò quòd pudicitia & virginitas non sit minus, imò majus sit bonum, quàm bona fortunæ, & hic thesaurus non ita sit reparabilis, ac bona fortunæ. Pars 6;

ex

ex *l. 1. C. eod. c. 9. 13. seqq. Clem. si furiosus un. h.t.* Ratio, quia, ubi nec dolus nec culpa est, vel usus rationis non datur, peccatum non est.

3 *Objic.* 1. Fama & vita pari passu ambulant, imò fama & honor præferuntur vitæ à multis. *arg. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus.* sed ad conservandam famam vel honorem non est licita occisio: ergo nec ad conservandam vitam. *Min.* constat ex propositione ab Innoc. XI. damnata, hujus tenoris: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre.* 2. Occisio aggressoris in vita, bonis fortunæ, & pudicitia, est vindictæ species: ergo non est licita. 3. Lex & ordo charitatis exigit, ut bonis fortunæ præferatur vita proximi: ergo propter defensionem rerum nostrarum non licet occidere furem vel raptorem. præsertim cùm tales sint in statu peccati gravis, & manifesto æternæ salutis periculo objiciantur. 4. In *c. 2. h.t.* solùm excusatur, qui *se suàque liberando* occidit alium: ergo, qui *sua* tentum, & non simul *se* defendit occîdendo, non agit licitè. §. Idem Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Regulariter occîdere possum furem propter conservationem pecunius aurei:* ergo propter res temporales occidere fas non est. 6. In *c. 10. h.t.* dicitur, *quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium & rerum sustinere jacturam*, quàm occidere *res viles & transitorias conservandas.* R. ad 1. Pari passu ambulant &c. quoad æstimabilitatem. *Trans. ma.* quoad conservationem *N. ma.* Vita semel amissa nullo modo reparabilis est, bene tamen fama & honor, pro quorum repa-

ratione

ratione exstant remedia Juris. Imò sæpe reparantur per vitam diu inculpatè actam, vel patientem tolerationem injuriæ, vel non auferuntur apud prudentes propter improbitatem calumniatoris. Cæterum propositio damnata loquitur tantùm de calumniatore, adeòque de aggressore *verbali* in fama vel honore: quare ibi non prohibetur se defendere defensione occisiva contra injuriam & aggressionem *realem*, ut siquis tibi impingat alapam, aut fuste percutiat vel percutere attentet ignominiosè, modò observes moderamen inculpatæ tutelæ, & talis persona sis, cui probrosum est fugere, v. g. Nobilis, Militaris &c. Et tali licitum esse honorem, quem aliter conservare non potest, v. g. solùm repercutiendo, humisternendo &c. per occisionem tueri, docent Abb. Covarruv. Coninck, Bonac. Wiestner, Leuren. alii, contra Barbos. Grotium. Puffendorff. eò quòd vita, & fama vel honor, aliter non conservabilis, pari passu ambulent. Id quòque colligi potest ex *Constit. Carol. V art. 140.* Ad 2. Est vindictæ species; si non servetur moderamen inculpatæ tutelæ, vel injuria jam transiit, aut aggressor jam fugit, *C. ant.* secus. *N. ant. & cons.* Ad 3. Lex charitatis non exigit, ut alterius vitam præferamus nostris rebus, si is ultro & ex sua improbitate se conjicit in vitæ, vel etiam æternæ salutis periculum, quod facit res alienas furari aut rapere attentans. Certè si tales prædones aut fures absque periculo vitæ possent aliena invadere, eorum licentia modum & finem non esset habitura, non sine ingenti Reipublicæ detrimento. Ad 4. Sensus est, quòd liceat *& se, & sua, aut se vel sua*, per mortem invadentis

liberare; aliàs sequeretur, quòd neque occìdi possit, qui *se* tantùm, & non *sua*, aggreditur, seu solam personæ vim facit. Dein qui *sua* defendit, defendit & *se*, quia bona respiciunt commodum personæ, eíque sunt accessoria. Ad 5. Non dicimus, quòd *regulariter propter conservationem unius rei* liceat occisio, sed ad defensionem *rerum magni momenti*, quæ respectu magis vel minùs habentis non est eadem semper quantitas, sed respectu pauperis potest sufficere unus aureus, vel adhuc minus, respectu divitis autem nec tres vel quatuor aut adhuc plures. Id observant DD. quòd notabiliter major quantitas requiratur ad licentiam defensionis occisivæ, quàm aliàs ad constituendum peccatum mortale, si res aliena auferatur. Ad 6. Ibi non fuit observatum moderamen inculpatæ tutelæ, dum fures à duobus Monachis jam erant capti & vincti, ac, postquam unus abierat rem Abbati manifestaturus, alter sine necessitate vinctos occîderat. Id quod Pontifex meritò reprehendit.

4 Dico 2. Illicitum & injustum est homicidium *Dolosum*, seu directè vel indirectè *Voluntarium* à privato commissum: item & *Culposum*, ut si quis debitam diligentiam non adhibuit, ne ex sua actione sequatur occisio, si moderamen inculpatæ tutelæ excessit &c. Pars prior constat per se; quod refert, an quis actionem occisivam ponat per se aut physicè, v. g. transfodiendo, vulnus letale infligendo &c. vel per alium; aut moraliter, mandando, consulendo, consentiendo, falsum testimonium dicendo, nimirum efficaciter, seu ita, ut indè sequatur occisio: nec refert, an quis principaliter

paliter influat in occisionem, vel tantùm auxilium ferat, aut solùm cooperetur efficaciter: nec, an positivè occîdat, vel negativè se habeat, ut si Medicus, habens salarium, & sic ex Justitia obligatus, tamen non succurrat ægro. Si solùm ex Charitate obligatus ad succurendum alteri, v.g. in aquas lapso, eum interire sinit, cùm facile posset salvare, est quidem homicidium illicitum, at non injustum. Pars posterior sumitur ex *c. 7. 8. x. c. fin. in 6. h. t. l. 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Const. Carol. art. 146.* & ex ratione; quia, si intervenit culpa, homicidium censetur esse aliquo modo voluntarium, consequenter illicitum & injustum; pro foro utroque, si intérvenit culpa Theologica & Juridica; pro foro externo tantùm si solùm culpa Juridica; erítque illicitum graviter aut leviter, prout fuerit culpa & negligentia in cavendo, ne ex actione aliàs licita sequatur occisio hominis. Siquis autem dedit operam rei illicitæ, seu exercuit actionem de se illicitam, ex qua præter intentionem secutum est homicidium, istud non est illicitum aut peccaminosum, nisi præsumptivè & pro foro externo tunc, quando actio illa est prohibita tanquam periculosa, & ex se facilè inductiva mortis alienæ, quo modo imperitis est prohibitum chirurgiæ, artis balistariæ &c. exercitium extra casum necessitatis, ubi periti non adsunt; quia pro foro externo censetur aliquo modo fuisse voluntarium, nempe in causa. per *c. 8. 20. h. t.* Zœs. *ad h. t. n. 69.*

Dico 3. Pœna homicidii *dolosi* simplicis, quando quis sciens & volens hominem occîdit per se vel per alium, physicè vel moraliter, directè vel

indirectè intendendo &c. vel efficaciter cooperando & propinque, de Jure Civili, hodie sine personarum discrimine, est gladius, seu pœna mortis gladiô infligenda. Constat ex §. *Item* 5. *Lex Cornelia Inst. de publ. Judic. Constit. Caroli V. penali art.* 137. 148. *l.* 13. 15. *ad L. Cornel. de Sicar. Neque interest, occîdat quis, an causam mortis præbeat. l.* 15. *cit.* Conspirat S. Scriptura *Levit.* 24. *& Apoc.* 13. Dixi autem 1. *Dolosi*; nam *Culposum* nunquam punitur pœnâ ordinariâ mortis sed solùm arbitrariâ. *l.* 4. *l.* 7. *ff. l.* 1. *l.* 5. *C. ead. Constit. Carol. art.* 146. 150. v.g. fustigatione, mulctâ pecuniariâ, peregrinatione ad locum sacrum &c. Sicut merè *Casuale*, & omni ex parte *licitum*, nulli omnino subjacet pœnæ. *l.* 1. *& 5. cit. Const. Carol. cit. art.* 146. 150. quia pœna non habet locum, ubi dolus & culpa omnis abest. *c.* 23. *de R. J. in* 6. Dixi 2. *Simplicis*; si enim est *qualificatum*, exasperatur pœna, & adhibetur furca, rota, aut prævia membrorum truncatio, vel adustio ferri candentis &c. pro ratione circumstantiarum & consuetudinis locorum. *Constit. Carol. art.* 137. *cit.* Carpzov. *Pract. Crim. q.* 24. *n.* 16. Dixi 3. *Gladius*, qui est pœna Criminalis: at præter hanc occîdens etiam civiliter conveniri & condemnari potest occisi hæredibus, & aliis, qui per occisionem sunt læsi, ad satisfaciendum pro damno, & solùm, pro ratione spei, quam habebant, si occisus, diutiùs vixisset, ad ampliorem hæreditatem, ad alimenta, ad solutionem debitorum &c. ab ipso accipienda. Extendit se hæc obligatio etiam ad occîdentem per culpam: si occîdat dolosè, vel cum culpa lata mortaliter peccaminosa, tenetur satisfacere

facere in conscientia ante omnem sententiam, si prævidit vel prævidere potuit, aliquos ex suo facto lædi posse: si solùm cum culpa Juridica levi, vel leviſſima, tenetur ex *L. Aquilia*, & primùm post sententiam juxta mea principia: sicut ad nihil tenetur, si omnis abfuit culpa. Dixi 4. De *Jure Civili*; nam de Jure Canonico occisor Laicus est excommunicandus: sed contra Laicos hodie non solet in foro Canonico procedi. Clericus autem est inhabilis ad consequendum beneficium. Trid. *s. 14. c. 7. de ref.* est deponendus ab Officio & Ordine. *can. 12. d. 81. c. 6. §. fin. h. t.* Trid. *lo. cit.* detrudendus in Monasterium, non ut emittat Professionem, sed ut agat pœnitentiam. *can. 7. d. 50. c. 6. §. fin. cit.* quæ detrusio hodie exolevit, & & succeſſit condemnatio ad carcerem, vel triremes; demum, si iterum ruat in idem delictum, excommunicari, &, si rursus repetat, anathematizari debet, &, si necdum resipiscat, degradari ac tradi Curiæ Sæculari. *c. 10. de Judic.* Incurrunt quoque & Laici & Clerici irregularitatem: sed de hac statim. Prius

Objic. Si plures conjunctâ operâ occîdant aliquem, & nesciatur, quis lethale vulnus inflixerit, nullus afficitur ultimô supplicio. *Const. Carol. art. 148.* Si iste sciatur, cœteri operam conferentes non subjacent pœnæ mortis: ergo non semper dolosum homicidium, & cooperantes, plectuntur morte vel gladiô. R. Si illi plures conspiraverint priùs, & ex proposito ad occîdendum concurrerint. *N. ant.* Tunc enim omnes pœnæ ordinariæ sunt obnoxii. *l. 15. cit. & Const. Carol. d. art.* si non prævia conspiratione, & communicatô priùs

inter se consiliô. *C. ant. & N. cons.* quia tunc per accidens fit, ut homicîda, de quo non constat, non plectatur morte: nec enim omnes sic plecti possunt, quia cœteri nec physicè nec moraliter sunt cooperati, quia nec vulnus lethale inflixerunt, nec consiliô, mandatô &c. influxerunt in necem. Jam

De Irregularitate, quæ oritur ex Homicidio & Mutilatione.

6 *Irregularitas* est *impedimentum Canonicum impediens* (non irritans) *susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, & jam susceptorum usum.* Communis, dicitur *Canonicum* quia à solo Jure Canonico introductum est, & ideo nusquam incurritur, nisi in casibus hoc Jure expressis. *c. is, qui. 18. de sent. Excomm. in 6.* Dein *Mutilatio* est amputatio vel truncatio membri: *membrum* verò dicitur pars corporis humani non qualiscunque, sed talis, quæ peculiarem & notabilem functionem habet, utì pes, manus, oculus, lingua, genitalia, mamilla fœminæ &c. non verò dens, cartilago aurium, prominentia nasi, digitus &c. quia sunt tantùm partes membrorum, & solum ad juvant membra in sua functione totali, ut notant communiter DD. proin abscissio talis partis non est propriè mutilatio, multò minùs vulneratio, nec copiosa sanguinis effusio sine amputatione, nec debilitatio membri, ut siquis alterum percussione faciat surdum. Cæterùm irregularitas non solùm in homicidia injusta & illicita à Jure statuta reperitur, sed etiam in licita & justa aliqua, cum hoc tamen discrimine, quòd prior non solùm sit inhabilitas

litas & defectus, scilicet *lenitatis*, sed simul rationem pœnæ habeat, posterior autem merus defectus.

Dico 3. Irregularitas oritur ex homicidio injusto & illícito: & quidem 1. ex omni homicidio *doloso* & voluntario, quod quis committit cum gravi peccato, sive per se sive per alium, physicè vel moraliter, positivè vel negativè (non impediendo, si tamen fuit obligatus impedire est Justitia) principaliter, vel instrumentaliter aut cooperando, utì & qui alterum vulnerat lethaliter, ita ut vulnus per se sit lethale, licèt alius penitus dein occîderit, item, si plures concurrerint ad aliquem occîdendum etiam sine conspiratione, omnes fiunt irregulares, licèt unus tantùm inflixerit vulnus lethale, & iste ignoretur. 2. ex *culposo* tunc saltem, quando intervenit culpa Theologica gravis, aut Juridica lata, cum peccato tamen mortali, utì sæpe contingit, conjuncta, & quando quis dedit operam rei illicitæ, ac aliàs prohibitæ propter periculum occisionis, extra casum necessitatis. 3. Quæ omnia procedunt in mutilatione propriè dicta, taliter facta. 4. Etiamsi occîdens vel mutilans incupabiliter ignoret, irregularitatem à Jure statutam esse in suum delictum. Pars 1. constat ex *Can. 4. d. 50. can. fin. caus. 23. q. 8. c. 6. 7. 18. h. t. c. fin. in 6. & Clem. un. eod. Trid. s. 14. c. 7. de Ref.* atque ex communi DD. Pars 2. ex *c. 7. 8. 10. 12. 16. 22. h. t. c. 9. Ne Clerici vel Monachi.* atque ex communiori cum Suar. & Gonzal. contra quosdam, qui censent, culpam Juridicam, etiam levem, imô levissimam sufficere ad contrahendam irregularitatem. Ratio est, quia 7

irregularitas per modum pœnæ gravis, & quidem spiritualis, statuta est: ergo requirit culpam graviter coram DEO peccaminosam, ut liget animam & pro foro interno; licèt pro foro externo sufficere possit culpa sine peccato gravi coram DEO. Laym. & Avila ex *c. 7. & ibi Gl. de pœnit. & remiss.* quia pro hoc foro præsumitur culpa gravis, licèt probabiliter non fuerit, ut eruitur etiam ex *c. 8. & 12. citt.* Pars 3. ex *can. 4. seqq. & fin. d. 55. c. 5. Ne Cler. vel. Mon. c. fin. h. t. in 6. & Clem. un. eod.* ubi mutilatio in ordine ad comprehendam irregularitatem æquiparatur homicidio: sive dein aliquis mutilet alium, sive se ipsum, per peccatum grave; imò si quis sibi ipsi vim inferat per culpam gravem, efficitur irregularis, licèt propriè se non mutilet, sed solùm digitum v. g. aut partem digiti, nasum promicantem, cartilaginem auris &c. sibi abscindat, vel ab alio abscindi faciat, ob singularem sævitiam in seipsum, & contumeliam Creatori illatam. *Can. 6. d. 55. c. 3. de corpore vitiatis.* Pars 4. ex ratione, quia hæc irregularitas, quamvis habeat simul rationem pœnæ, principaliter tamen non imponitur ut pœna, sed in reverentiam sanctissimæ Evchariſtiæ, ad quam ordinatur susceptio & usus Ordinum Ecclesiasticorum; cùm non deceat, ut, qui occîdit vel mutilavit, immolet & offerat Christum in Ara vel Agnum mansuetissimum, qui sanguinem & vitam pro nobis dedit: quod indè patet, quòd etiam ex occisione vel mutilatione licita subinde incurratur irregularitas, ac proin per modum inhabilitatis principaliter introducta sit, & ob defectum honestatis *Christianæ.*

Qua-

Quæres, an in dubio tenendum, quòd contracta sit irregularitas? 8
℟. 1. In dubio Juris, an nempe actui sit à Jure imposita irregularitas, hæc non incurritur; quia stante tali dubio non potest dici eam in Jure expressam esse; cùm non incurratur nisi in casibus Jure expressis. ℟. 2. In dubio facti, ubi dubitatur de ipso corpore delicti, seu an homicidium revera sit commissum, v. g. an fœtus expulsus ex utero jam fuerit animatus anima rationali, quod contingere in masculis 40. die, in fœmellis 80. post conceptionem præsumitur ex communi Medicorum & Juristarum ac Ecclesiæ sensu, etiam non contrahitur, quia in Jure, id non est expressum. ℟. 3. In dubio facti, an homicidium, quod constat esse commissum, factum sit à te vel ab alio, per tuam vel alienam culpam, an ex tuo mandato aut consilio, vel non, an ex vulnere, quod inflixisti, vel imperitiâ chirurgi, aut intemperantiâ vel culpâ vulnerati &c. irregularitas reperitur expressa in *c. 12. & 18. h. t.* ubi Pontifex dat hanc rationem, *quòd in dubio tutior pars sit eligenda.* ℟. 4. Hoc tamen non extenditur ad dubium circa mutilationem. Sanch. *l. 1. Moral. c. 10. n. 49.* quia pro hoc dubio non exstat in Jure expressa irregularitas. *Objic.* 1. Odia sunt restringenda. Et melior est conditio possidentis. *c. 15. & 65. de R. J. in 6.* ergo in nullo dubio incurritur irregularitas. 2. Ratio, quam dat Papa, *in dubio tutior pars eligenda est*, tanquam universalis debet extendi ad omne dubium: ergo in omni dubio incurritur. ℟. ad 1. Illæ regulæ procedunt in aliis pœnis, & in irregularitate de dubio Juris, & Facti circa corpus delicti, non de alio dubio

facti propter exceptionem *c. 12. & 18. citt.* Ad 2. Illa ratio est quidem universalis, & universaliter intelligenda de omni dubio facti, an vulnus fuerit lethale vel non, à te vel ab alio inflictum &c. at non omni universalitate, ut etiam includat dubium Juris, & de corpore delicti, cùm, sicut leges odiosæ, ita rationes odiosæ non sint extendendæ, licèt universales sint, modò aliquam adhuc universalitatem retineant. *c. 15. cit.*

9 Dico 4. Etiam ex homicidio justo & licito (utì & ex tali mutilatione) contrahitur irregularitas, at non ex alio, nisi quod fit authoritate publica, propter defectum lenitatis Christianæ: utì 1. in Judicio Criminali. 2. In Bello justo. In priori casu eam contrahit *Judex* proferens sententiam mortis vel mutilationis, *Assessores & Consiliarii* tanquam vel con-Judices, vel saltem suò suffragiò vel consiliò sententiam promoventes, *Accusator*, vel *Denuntiator*, si iste egit criminaliter, *Advocatus*, & *Testes* contra Reum stantes, *Notarius* scribens, subscribens, dictans, recitans sententiam, *Ministri Justitiæ* sententiam exequentes, & omnes alii directè, propinque, efficaciter, & propriè *cooperantes* vel ad sententiam vel ad executionem, modò mors vel mutilatio actu secuta fuerit. Ita plerique omnes ex *can 1. d. 51. can. 28. 29. caus. 23. q. 8. c. 5. 9. Ne Cler. vel Mon. c. 21. h. t. c. 2. eod. in 6.* Non autem contrahit *Prælatus Ecclesiasticus, obtinens jus gladii*, qui causas sanguinis delégat Laicis in genere, vel etiam in particulari circa aliquem Reum in individuo, cum hac vel simili clausula, *ut cognitâ causâ administrent justitiam*; modò non suadeat vel man-

mandet, ut talis Reus afficiatur ultimô ſuppliciô, vel mutiletur; ſi enim hoc non facit, non fit cauſa moralis, ſed delegati aliunde excitantur & moventur, nempe ex officio ſuo, ad infligendam pœnam à Jure ſtatutam. Neque contrahit *Clericus* (vel alius) denuntians Reum capitalis delicti *civiliter* tantùm, hoc eſt, ſuam vel Eccleſiæ, vel ſanguine junctorum utilitatem intendens, v. g. ut recuperetur res furtô ſibi vel Eccleſiæ &c. ablata, modò proteſtetur, ſe non intendere vindictam publicam, non obſtante, quòd prævideat, mortem infligendam Reo, & poſtmodùm infligatur, imò quòd res ſuas potuiſſet aliter recuperare. Abb. Barb. & alii ex *c. 2. & 21. citt.* Neque *Clericos*, *Reum educens ad ſupplicium*, ſi moneat ad procedendum, ut ſcalas aſcendat, manus ligandos præbeat, caput ſupponat carnifici, vel ſi factô promoveat celeriorem greſſum, ut pròbabiliter docent Mol. Laym. Palao; quia hæc tam modica pro nihilo reputantur, nec fiunt Judicialiter vel authoritate publica, licèt indè acceleretur mors. Neque *Profeſſor* in ſcholis explicans Leges pœnam mortis inferentes, aut *Jurisperitus*, qui privatim interrogatus de aliquo Reo in particulari, an promeritus ſit mortem, generatim reſpondet & docet, quid Leges in tali caſu ſtatuant, modò non ſuadeat, hunc in particulari eſſe puniendum morte; cùm nec ſit cauſa moralis, nec authoritate publica concurrat. Nec *Opifices*, qui gladios, furcam &c. confecerunt, quia remotè tantùm cooperati ſunt.

In poſteriori caſu irregulares fiunt, qui in bello 10
juſto offenſivo pugnantes per ſe ipſos occîdunt vel

muti-

mutilant. Iterum communis ex *can. 1. d. 51. c. 24. h. t. c. 3. de Cleric. percuſſ.* Extenditur ad eos, qui rationabiliter dubitant, num propria manu aliquem occîderint vel mutilaverint. *c. 24. cit.* Dixi 1. *In bello juſto*; ſi enim injuſtum foret, & vel unicus eſſet occiſus aut mutilatus, omnes non modò pugnantes, ſed etiam cooperantes, arma ſubminiſtrantes, adhortantes &c. evaderent irregulares, licèt ipſi nullum occîdiſſent vel mutilâſſent. per *can. 4. d. 51. c. 6. §. fin. h. t.* Dixi 2. *Offenſivo*; ſi enim foret *defenſivum*, etiam propria manu occîdentes ab irregularitate immunes probabiliùs ſunt. Covar. & alii ex *c. 2. de Immun. Eccl. & Clem. un. h. t.* paritate ducta ab iis, qui contra aggreſſorem privatum ſe defendunt defenſione etiam occiſiva. Dixi 3. *Pugnantes*, nam adhortantes, etiam Clerici (qui tamen ob aliam cauſam, quàm propter opera pia, adminiſtrationem Sacramentorum, prædicationem Verbi Divini bello interreſſe non poſſunt. *c. 24. cit. c. 9. §. fin. de Voto*) vel arma dantes, vel aliter cooperantes, irregularitatem non contrahunt. per *can. 2. caus. 23. q. 3.* Dixi 4. *per ſe ipſos*, licèt à commilitonibus plurimi ſint occiſi. *c. 3. & c. 24. citt.* & ibi DD. *Objic.* 1. In *Clem. un. cit.* illi tantùm excuſantur ab irregularitate, qui mortem aliter evitare non valentes occîdentes potuiſſent id evitare, ſcilicet non dando nomen militiæ: ergo. 2. In *c. 5. de pœnis*, dicuntur Clerici enormiter peccare, *qui perſonaliter exercent conflictum, & qui alios incitant ad pugnandum:* ergo fiunt irregulares ex delicto, qui hortantur alios ad pugnandum, & in bello etiam defenſivo pugnant ipſi. 3. Quando plures con-

concurrunt ad aliquem occîdendum, omnes censentur esse causa saltem moralis homicidii: ergo etiam in bello justo offensivo pugnantes, licèt propriô factô neminem occîderint, omnes efficiuntur irregulares. N. ad 1. *Clem. cit.* loquitur de defensione privata: defensionem publicam Reipublicæ utique non voluerit Pontifex prohibere sub irregularitate, & hoc metu absterrere à nomine dando militiæ. Ad 2. Ibi non statuitur irregularitas, sed depotsitio, & solùm pro casu, quo pugnant vel incitant ad pugnandum in bello injusto, ut explicat communis cum glossa. Ad 3. *N. conf.* Id quidem procedit, quando plures concurrunt ad occisionem illicitam & injustam, utì extra bellum in rixa, & in bello injusto, non verò in bello justo etiam offensivo, cùm pro hoc casu non reperiatur in Jure irregularitas statuta.

Dico §. Ex homicidio justo & licito (saltem non graviter illicito) quod non fit publica auctoritate, non oritur irregularitas: nimirum 1. ex necessario privato, utì siquis ad se, vel alios in vita, vel membris, aut rebus fortunæ magni momenti, defendendos occîdat vel mutilet injustum aggressorem, servato moderamine inculpatæ tutelæ. 2. siquis merè casualiter, vel cum culpa quidem, non tamen mortaliter peccaminosa coram DEO pro foro saltem interno, aut dando quidem operam rei graviter illicitæ, at non prohibitæ propter periculum secuturi homicidii. Pars 1. sumitur ex *Clem. cit.* Pars 2. ex eadem, & simul ex *c. 9. 10. 13. 14. 22. h. t.* Utraque verò ex ratione; quia nec oritur *ex delicto*, cùm tale absit, saltem grave & injustitiæ, *nec ex defectu lenitatis*, quia iste defectus 11

fectus juxta communem supponit voluntariam occisionem: hujusmodi autem occisio vel mutilatio habetur à DD. pro *necessaria* & *non voluntaria*, qui tradunt cum Covarruv. hanc regulam bene notandam: *quicunque privata auctoritate licitè occidit, irregularis non est.* Verùm *Objic.* Tridentinum *s. 14. c. 7. de Ref.* dicit: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur: quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & ad Altaris ministerium &c. jure quodammodo dispensatio debeatur &c. Episcopus dispensare possit.* Ergo ex homicidio casuale quoque, & necessario ad defensionem, incurritur irregularitas. R. Tridentinum explicant declarationes Cardd. subjunctæ apud Gallemart ad *cit. sess. & c.* quod loquatur de eo, qui admisit culpam vel in cavendo homicidio, (v. g. excedendo in sui defensione) nempe gravem pro foro interno, & pro externo saltem præsumptivè gravem, juxta superiùs dicta; atque hanc irregularitatem Tridentinum voluit esse dispensabilem ab Episcopo, quia perfectè voluntarium non fuit occisio.

12 Dico 6. Dispensatio, sine quâ non tolluntur, in his irregularitatibus competit quidem per se Summo Pontifici, ut clarum est, indulgetur tamen etiam Episcopo 1. Quando irregularitas est orta ex mutilatione, etiam plenè voluntaria, & simul occulta. 2. Quando est orta ex homicidio non perfectè voluntario, quod nempe dolosum non fuit, conjunctum tamen cum culpa gravi (quod etiam multi cum Suar. referunt factum in subsidium) modò publicè notorium non fuerit, vel de-

ductum

ductum ad forum contentiosum per litis contestationem. 3. Probabiliùs etiam, quando irregularitas provenit ex homicidio justo & licito, adeóque non ex delicto, sed ex defectu, modò sit occulta. Desumuntur hæc ex Trid. quod *s. 24. c. 6. de Ref.* sic loquitur: *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.* Cùm igitur orta ex mutilatione, vel homicidio non voluntario perfectè (istud enim in materia odiosa intelligi debet, nimirum directè voluntarium & dolosum) utì & orta ex mero defectu, non excipiatur, poterit in ea dispensare Episcopus, si occulta sit, nec ad forum contentiosum deducta. Atque ita sentiunt quoad priores duos casus plerique, licèt quoad tertium plures dissentiant; nobis autem favent Covar. Diana, Less. & octodecim alii apud Pasqual. item Engel, Böckn &c. *Objic.* Tridentinum loquitur de irregularitatibus *ex delicto* ortis: ergo non potest extendi ad ortas ex defectu lenitatis. R. Imprimis tò *delictum* potest referri ad suspensiones, de quibus ibi etiam loquitur Trid. deinde nomine *delicti* in hac dispositione favorabili, utpote à Summo Principe, & quidem in Concilio Generali, facta in Episcoporum & fidelium favorem, etiam venire potest *defectus* in virtute & perfectione, scilicet *lenitate Christiana* perfecta, quæ decet Clericos. Demum non est credibile, quòd Tridentinum voluerit esse melioris conditionis, qui ex delicto, quàm alios piè & sanctè agentes, qui ex merò defectu irregularitatem contraxerunt,

debi-

debitis ſuppliciis afficiendo ſceleratos, vel pugnando juſtè contra hoſtes ſuos. Quid Prælati Regulares circa ſuos ſubditos poſſint quoad diſpenſationem, patet ex privilegio ipſis conceſſo, vi cujus plerique poſſunt etiam diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio perfectè voluntario, & orto ex mero defectu absque delicto, nempe pro foro interno, uti teſtatur Laym. Rodriq. Donat. Pellizar. præſertim Mendicantes, quibus diſpenſationem in quovis homicidio non notorio ſpecialiter conceſſiſſe dicitur Martinus V.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIUM.

1. *Quotuplicis generis ſint Torneamenta.*
2. 3. *Quænam ſint prohibita, & puniantur, item quænam agitatio taurorum.*

1 TOrneamenta, Tournier/ appellantur hæ ſtiludia ſeu pugnæ equeſtres, quibus præcipuè Nobiles Equeſtris Ordinis, ex condicto convenientes, & equis inſidentes congrediuntur. Sunt duplicis generis: aliqua, ſalten olim, inſtituebantur ad oſtentationem virtutis ac audaciæ, atque cùm armis ad vulnerandum & necandum aptis, magna cum celebritate convocatis undique Nobilibus primæ nota alia inſtituuntur ad exercitationem in equis & armis dextrè tractandis, vel in ſignum lætitiæ ob relatas victorias, ob Natales, vel Nuptias Prin-

Principum &c. cum debitis cautelis, talíque moderatione armorum, ut per se nullum sit gravioris læsionis vel cædis periculum, quo modo hodie fieri consueverunt.

Dico. Torneamenta prioris generis sunt graviter illicita, & de Jure Canonico habent pœnam in Homicîdas statutam, & privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, si quis in loco torneamenti, licèt pœnitens, occumberet. 2. Posterioris autem sunt licita. Pars prior constat tum ex Jure Naturali prohibente ob finem tam vanum periculo gravis lesionis vel necis se exponere, tum ex *l. un. C. de Gladiat. lib. 11. c. 1. 2. h. t.* Pars posterior tum ex *c. un. h. t. int. Extrav. Jo. XXII.* ubi revocatur constitutio Clementis V. qui ob immodicos sumptus, in torneamenta etiam cautè susceptа tunc expendi solitos, graviter illa prohibuit: tum ex eo; quia finis est honestus, nec modus periculum habet. 2

Idem tene de Agitatione taurorum, apud Hispanos maximè usitata, quando nempe homines cum tauris vel aliis bestiis in arenam descendunt & luctantur; nam S. Pius V. in speciali sanctione anno 1567. eam, si ex fine vano, & cum periculo gravi, suscipiatur, prohibuit sub pœnis in periculosa torneamenta statutis, non verò susceptam ex fine honesto & cum debitis cautelis. 3

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

SUMMARIUM.

1. *Quid, & quotuplex sit Duellum, præsertim*

tim quando licitum, aut illicitum sit.
2. *An illicitum sit fictè susceptum, aut sine intentione mortis.*
3. 4. *An susceptum ad declinandam ignominiam.*
5. *An susceptum ad conservandum Officium.*
6. *Quæ sint pœnæ illiciti Duelli.*

1 *Duellum* quasi duorum bellum, Græcè Monomachia, *est singulare certamen inter duos* (vel plures) *ex condicto susceptum*, vel accuratiùs: est certamen singulare ex privatis causis, & ex condicto ab utraque parte deliberatè ac sponte susceptum, designato tempore & loco, ad occisionem, mutilationem, aut gravia vulnera infligenda. Gobat. *tr. 7. Theol. Exper. casu 18. n. 572.* cum communi quoad sensum. Essentiale igitur duello est, ut pugna fiat *ex condicto*, seu ex conventione per aliquod temporis intervallum prævia, designatò non solum certò loco, sed etiam certò tempore, ad congrediendum cum armis ad occidendum, vel graviter vulnerandum cum periculo vitæ, per se aptis. Si nihil aliud interveniat, & nullæ solemnitates, est & dicitur *privatum:* si verò interveniat certa forma & ritus, puta, si adhibitis *patrinis*, seu, ut vocant, *secundantibus*, missis litteris provocatoriis, vulgò Chartell/ vel chirothecâ, aut datò annulo, & fide inde etiam locò securitatem præstante, quem vocant *campum francum*, constitutò, vocatur *solemne*. Ulteriùs dividitur in Licitum & Illicitum.

Licitum est 1. quod assumitur ob bonum Reipublicæ, v. g. ad finiendum bellum, ejúsve calamitá-

mitates, vel ad parcendum sanguini, qui effunderetur, si totus exercitus dimicaret: hunc in finem duellavit David cum Goliath, & Carolus V. Imperator duellum obtulit Francisco I. Regi Galliarum &c. nemine improbante. 2. Quod ex necessitate assumitur ad defensionem vitæ vel bonorum; maximè ob defensionem honoris Divini, Religionis, Reipublicæ, ut siquis tibi intentet mortem, incendium domûs &c. vel non desistat blasphemare Deum, persequi Rempublicam &c. nisi cum ipso duellum ineas. 3. Quod à Judice defertur duobus ad mortem condemnatis sub conditione, ut victor obtineat vitæ gratiam; licèt Judex licitè vix deferat; cùm talis delatio crudelitatis speciem habeat; & hæc duella, maximè quæ auctoritate publica fiunt, strictè duella non esse videantur.

Illicitum econtra est, quod offertur vel acceptatur ex fine superstitioso, vel vano, vel illicito, uti 1. Si suscipiatur ad manifestandam veritatem, innocentiam, objecti criminis purgationem, vel ad dubiæ litis decisionem, quo modo olim sæpius adhibebatur hæc purgationis vulgaris species, tentationem DEI involvens, dum nempe litigantes in Judicio confugiebant ad singulare certamen (sie gebrauchten das Faust-Recht) ea lege, ut succumbens perderet causam. 2. Si suscipiatur ad ostentationem virium, audaciæ, vel armorum peritiæ, aut ad oblectationem spectantium. 3. Si suscipiatur ad vindicandam injuriam exodio, petulantia &c. Hujusmodi enim duella repugnant gravissimè omni Juri: *Naturali*, cùm taliter duellantes contra Justitiam, & Charitatem

tum erga se tum erga proximum, vitam propri-
am & alienam, cujus dominium non habent, imò
& salutem æternam, stolidissimè evidenti peri-
culo objiciant: *Divino*, disertè prohibenti, *non*
occîdes. Exod. 20. Deuter. 5. & solis Magistrati-
bus flagitiosos occîdendi potestatem indulgenti
Canonico c. 2. h. t. ac Trident. *s. 25. c. 19. de ref.*
ubi duella vocat *detestabilem usum fabricatum*
diabolo introductum: quibus consonant variorum
Pontificum Bullæ, utì Julii II. Leonis X. Pii V.
maximè Gregor. XIII. anno 1582. & Clem. VIII.
1592. qui ultimi duo extenderunt Tridentinum
etiam ad duella privata, ubi *nulli patrini vocati,*
nec loci securitas habita, nullæque provocatoriæ
litteræ, aut denuntiationis chartulæ, præcesserunt.
Denique & *Civili* in *l. un. C. de diglad.* ubi Inter-
pretes, & in sanctione Imperatoris Leopoldi I.
cum consensu Statuum in Comitiis Ratisbonen-
bus congregatorum edita, ubi pœnam capitis sta-
tuit in eum, qui in duello alterum occîderit. Gob.
in Theol. Exper. to. 1. p. 1. tr. 7. n. 573. in Ap-
pendice Duellari. Et hæc sunt certa. Dubium
tamen movetur 1. De casu, quo duellum susci-
tur fictè, aut sub conditione, ut uno vulnerato
vel post certum ictuum numerum, cessetur. 2.
De casu, quo provocatus acceptat duellum
evitandam ignominiam. 3. De casu, quo duel-
recusans non solùm periclitatur de honore, s
etiam de officio amittendo.

2 Dico 1. Illicitum quoque est duellum, fi
& sine animo vulnerandi susceptum: item
lege initum, ut uno vulnerato, vel post certu
ictuum numerum, cessetur. Communis ex
tione,

tione, quia præbetur ſcandalum, & Clemens VIII. *in Conſtit. Illius vires 1592.* prohibuit duella etiam non fatalia. Accedit in poſteriori caſu periculum fatalis vulneris, cùm difficile ſit ita moderari ictum per arma ad occîdendum apta, & cum intentione vulnerandi adhibita, ut vulnus lethale non infligatur.

Dico 2. Omni Jure, Naturali, Divino, & Humano illicitum quoque eſt acceptare (multò magis offerre) duellum præcisè ob punctum honoris, ſeu ad declinandam ignominiam vel dedecus. Idem eſt, ſiquis ab altero injuriam paſſus eſt vel per verba ignominioſa, vel per alapam &c. ſi ad reparandum honorem offerat duellum. Ita iterum communis, & certa, cùm Alexander VII. anno 1665. tanquam ſcandaloſam & perniciosam prohibuit hanc propoſitionem ordine ſecundam: *vir equeſtris ad duellandum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat:* cujus ulterior ratio eſt, quia acceptatio, vel oblatio duelli nec eſt remedium *neceſſarium* defendendi honoris, cùm alia ſuppetant media, ut videbimus: nec *idoneum*, quia duellare, & ſic non ſolùm vitam propriam aut alienam (cujus dominium nemo habet, aut poteſtatem occîdendi, niſi cui DEUS, vitæ ac necis dominus dederit) ſed etiam æternam utriusque ſalutem evidenti periculo exponere, ſumma dementia ac inſania eſt, ſumma injuria erga DEUM & Rempublicam, cùm illi ſervus, huic civis iniquè eripiatur, atque ſummum crimen contra charitatem ſui ipſius, & ſimul proximi: quid honoris acquiritur ex tali ſtoliditate & malitia deteſtanda? Bone DEUS! quo- 3

modo duellum ob punctum honoris reparandi vel conservandi offerens vel acceptans aptè meretur honorem? vel enim erit victus, vel victor? si victus, hoc ipsi utique glorioſum non erit, præſertim ſi in ipſa pugna deceſſerit; tunc enim veluti notoriè in peccato mortali decedens, & tanquam præda diaboli, nec mortuus inter fideles tolerabitur, ſepulturâ ſacrâ perpetuò privandus inſtar beſtiæ. Si victor, tanquã infamis & graviſſimi ſceleris reus, nempe homicidii & duelli tantopere prohibiti, in manus carnificis incidet, aut à ſuis ſeparatus, officióque, ſiquod habuit, exutus, in alienas terras inſtar furis, prædonis &c. aufugere, miſeréque vivere, & vagari cogetur: quid inde habebit honoris, cùm ne quidem conſpectum honeſtorum hominum, quibus erat notus, ſubire audeat? Honor genuinus virtutis eſt præmium, non comes vel ſoboles actionis ſtolidæ, injuſtæ ac omnibus Legibus prohibitæ.

Objicies 1. Si provocatus non accepto duello vel in honore læſus illud non offero, audiam timidus, ignavus, imbellis, cenſebor eſſe vilis & abjecti animi, è Nobilium & Militum ſocietate excludar: Ich paßier für kein ehrlichen Cavallier/ für kein rechtſchaffenen Soldaten/ für kein redlichen Kerl/ ich werd gehalten für ein Leckfeigen/ für eine H. ꝛc. ergo acceptare vel offerre duellum eſt remedium neceſſarium ad tuendum honorem; præſertim 2. cùm nulla ſufficiat proteſtatio qua aſſero, me duellum declinare non ex timiditate, ſed ex reverentia erga Leges Humanas aequas ac Divinas & Naturales, ac ſæpe ad Superiorem recur-

4

recurrere non liceat, vel ille imploratus efficaciter non succurrat. 3. Ad tuendam vitam, imò & res temporales, licitum est duellare: ergo etiam ad tuendum honorem, cùm honor apud Nobiles æquiparetur vitæ, & præferatur rebus temporalibus. 4. Vir nobilis, aut miles, cui probrosum est fugere, si injuriosè percutiatur, licitè occidit aggressorem præcisè ob defensionem honoris, alio modo non conservabilis: ergo & provocatus potest acceptare duellum ad defendendum honorem, cùm provocans sit aggressor in honore, aliter non conservabili

R. ad 1. *dist. Antec.* Audies timidus &c. apud quosdam malè sanos, perversos, & depravatæ mentis homines. *transeat.* apud cordatos, prudentes, probos. *N. Ant. & cons.* Dein etsi totus mundus te haberet pro ignavo &c. tamen ob punctum honoris non liceret suscipere duellum, ut probant adductæ rationes, cùm sit intrinsecè malum, nisi DEUS dederit potestatem, quam in his circumstantiis nullatenus concedit. Quæso te, si commilitones tui, vel omnes homines dicerent: si non furaberis, si adulterium non committes, si parentem tuum non occides &c. habebimus te pro fungo, homine ignavo &c. an putas id tibi propterea licere? Denique jam audisti, quòd duellum suscipere non sit remedium idoneum ad tuendum honorem; uti & nec necessarium, quia eum alio modo utiliori tueri potes, dicendo v. g. ad provocantem: *non recuso duellum, quia te, sed quia DEUM timeo, & crimen, quod me redderet legum Divinarum & Humanarum transgressorem, vitæ temporalis simul ac æternæ, imò & veri honoris prodigum, carnifici, si vincerem, obnoxium, vel exulem, aut,*

si vincerer, diaboli prædam, ac æternè miserum. Interim si per tuam malitiam, quod nonnisi profligatissimi, desperatissimi, ac insani faciunt, me invaseris, invenies me cordatum & virum fortem &c. Ad 2. Hujusmodi protestatio, primùm adducta, certè proderit ad conservandum honorem apud homines prudentes, aliorum autem judicia curare non debes in re tali, ubi de vita & salute tua agitur. Si tamen nec ista proficeret, & à provocantis petulantia te non liberaret, accede Superiorem, cujus est effrœnem ac puerilem malè feriatorum hominum insolentiam compescere. Si neque hic auxilium inveneris, provoca ad supremum Principem, qui haud dubiè, uti tenetur, te & honorem tuum defensabit. Si demum & hoc frustra tentares, pati potiùs deberes ad tempus injuriam, quàm illicitum, & nihil profuturum, remedium arripere. Ad 3. *N. Conf.* quamvis enim honor & vita quoad æstimabilitatem æquiparentur, non tamen æquiparantur quoad conservationem, quia honor aliis modis conservari, & amissus reparari potest. Propter res temporales solùm tunc licebit duellum, quando ex una parte aliter conservari nequeunt, & ex altera spes victoriæ apparet; quia tunc periculum incertum ad evitandam certam jacturam gravem non imprudenter acceptatur, & malum minus præfertur majori. Honor non defenditur duellando, atque alio modo defendi potest. Ad 4. *Transf. Antec.* si servetur moderamen inculpatæ tutelæ. *N. Conf.* Cùm honor contra provocantem ad duellum aliter fit conservabilis, & per acceptationem duelli ne quidem defendatur.

5 Dico 3. Probabiliter tamen licitum est duellum,

ellum, quod quis non præcisè ad declinandam ignominiam, sed etiam ad conservandum officium ad suam & familiæ sustentationem necessarium, quod aliàs certò amittit (v. g. si sub vel penes Officialem Militarem nemo ampliùs faciat officia militaria, nisi suscipiat duellum) acceptat, vel etiam offert, modò alia ipsi via efficax non superfit conservandi se in officio, etiam per recursum ad Supremum Principem, & modò habeat probabilem victoriæ spem. P. Seybold *in Dicæomachia p. 2. sect. 4. §. 1. n. 14. seqq.* citans Less. Laym. P. Wiestner, & P. Reiffenstuel *h. t. n. 31.* accessit nuper P. Ad. Huth me citato *ad h. t. q. 2. Resp.* 3. imò omnes pro hac doctrina allegari posse videntur, quotquot duellum permittunt ob necessariam defensionem rerum temporalium magni momenti, qui sunt plurimi. Ratio est, quia in tali casu acceptatio, vel oblatio duelli est omnino necessaria, consequenter licita defensio contra iniquum aggressorem non modò famæ ac honoris, sed in consequentiam etiam bonorum fortunæ, ad se ac suos alendos necessariorum, & sic æquivalenter etiam vitæ. Dein talis minus malum majori, & periculum dubium certæ officii ac indè dependentium bonorum jacturæ præfert; cùm utrumque malum evitare nequeat; quod est secundùm regulas Prudentiæ, consequenter licitum.

Dico 4. Pœnæ illiciti duelli, sed solennis tantùm, statutæ in Concil. Trid. *s. 25. c. 19. de ref.* sunt sequentes. 1. Excommunicatio latæ sententiæ in ipsos duellantes, patrinos, subsidium vel favorem præbentes, & dominos temporales, duelli locum seu *campum francum* concedentes, imò 6

& in ſpectatores 2. Proſcriptio omnium bonorum cum perpetua infamia in ipſos düellantes, & patrinos. 3. Amiſſio jurisdictionis ac dominii, quod habuerunt Domini temporales in loco, ubi duellum permiſerint, ſi illum locum ab Eccleſia, vel in feudum obtinuerunt. 4. Privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ in eos, qui *in conflictu* ſeu in ipſa arena deceſſerint, licèt dederint ſigna Pœnitentiæ, ut declarat Rituale Romanum; ſi tamen ante obitum confeſſi & ſacramentaliter abſoluti eſſent, probabilius gauderent ſacrâ ſepulturâ. Quamvis autem poſteriores Pontifices dictas pœnas exaſperaverint, & aliqui etiam ad duella privata extenderint, atque excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervaverint, eorum tamen Conſtitutiones in Germania non videntur eſſe in uſum deductæ ob defectum vel debitæ promulgationis, vel ſufficientis acceptationis, ut cum Laym. notant Mendo, Gobat, Pirhing &c. ſicut etiam ipſum Tridentinum quoad pœnas temporales proſcriptionis bonorum, infamiæ, privationis jurisdictionis in his partibus receptum non eſſe multi exiſtimant. Quin verò quoad excommunicationem, & privationem ſepulturæ, etiam ex privatis duellis incurrendam, & Trident. & Conſtit. Gregor. XIII. recepta ſint uſu in Germania, nemo eſt, qui dubitet, ait P. Reiffenſtuel *h. t. n. 42.* Circa *ſpectatores* duelli, ſolennis ſaltem, adhuc notandum, eos ſolùm tunc excommunicari, quando *ex compoſito*, & *de induſtria* ſpectant, & ſic quaſi approbant duellum, & ſuâ præſentiâ animant duellantes, uti Greg. XIII. & Clem. VIII. explicant Tridentinum. Demum Clerici duellantes

præter

præter pœnas omnibus commmunes incurrunt depositionem. *c. 1. h. t.* seu suspensionem ferendæ sententiæ; item privationem Beneficiorum, & inhabilitatem ad illa. Pius V. *in Const. Ea, quæ. anno 1560.* editâ.

TITULUS XV.

De Sagittariis.

SUMMARIUM.

1. *Sagittarii, Ballistarii, Tormentarii qui.*
2. *An suam artem licitè exerceant.*

Sagittarii olim dicebantur, qui ex arcubus plures simul & semel sagittas, & *Ballistarii*, quorum in *h. t.* etiam fit mentio, qui ex ballistis seu catapultis saxa in hostem dextrè noverant jácere cum strage plurium simul & semel, vel etiam mœnium. Hodie, cùm Arcus & antiqui moris Ballistæ in desuetudinem abierint, per ejusmodi genus hominum venire possunt *Tormentarii*, seu qui ex Tormentis, Stuck/& Mortariis bellicis, Mörseln/ glandes, globos plumbeos, pilas ferreas vel lapideas, quibus longè major strages editur, quam illis machinis, in hostes hostiúmque urbes ejaculandi artem sciunt, & exercent. 1

Dico. Quamvis olim in *c. un. h. t.* prohibitum fuerit illam mortiferam Sagittariorum & Ballistariorum artem exercere adversùs Christianos & Catholicos; hodie tamen permissum est exercere artem Tormentariam etiam contra Christianos & Catholicos in bello justo. *arg. can. 2. caus. 23. q. 2.* id quod confirmat praxis tolerata. Illicitum 2

tamen

tamen foret Christianis pro Infidelibus contra Fideles exercere, utì & arma aliáque instrumenta Belli ad Infideles, Paganos, Turcas &c. deferre. *c. 6. de Judæis. Bull. Cœnæ. §. 7.*

TITULUS XVI.

De Adulteriis, & Stupro.

SUMMARIUM.

1. *Tractatur hìc de peccatis Luxuriæ, consummatæ & non consummatæ.*
2. 3. 4. *Quid sit Fornicatio: Concubinatus: Stuprum: & quæ eorum pœnæ.*
5. 6. 7. *Quid Raptus: Incestus: Sacrilegium: & quæ eorum pœnæ.*
8. 9. *Quid Lenocinium: Adulterium: & quæ eorum pœnæ.*
10. *An conjunx adultera, quæ indè prolem peperit, teneatur marito manifestare delictum, vel proli.*
11. *A quo alenda sit proles ex illicito concubitu genita.*
12. *Quædam notanda circa prædicta delicta.*
13. *Vitium contra Naturam, nempe Sodomia, Bestialitas, & Mollities seu Pollutio. Et quas habeant pœnas.*
14. *Delectatio Venerea, quæ etiam Carnalis, vel Morosa dicitur, voluntariè habita semper est peccatum mortuale. Differt à delectatione sensuali, & à Desiderio.*

15. *An*

15. *An, & quale peccatum ſit per cogitationem de re turpi, vel per actum externum ſenſitivum dare acuſam delectationi vel commotioni Venereæ.*

16.17.18.19.20. *An, & quando peccata ſint Aſpectus, Verba & Cantiones turpes, Lectio obſcœnorum, Oſcula, & Tactus proprii vel alieni corporis.*

21. *An, & quando ponere actiones honeſtas, vel indifferentes (vel etiam illicitas) ex quibus oritura prævidetur commotio vel delectatio carnalis, vel etiam pollutio. Quomodo hæc differat à diſtillatione.*

22.23. *Quænam ex dictis liceant Conjugibus, & Sponſis.*

POſt delicta, quibus nocetur proximo in vita & corpore, modò ſubjunguntur delicta carnis ſeu luxuriæ, quibus violatur thorus alienus, & pudicitia. In *Rubrica* exprimuntur duæ tantùm ſpecies Luxuriæ conſummatæ; indè tamen Canoniſtæ occaſionem arripiunt de reliquis quoque ſpeciebus Luxuriæ conſummatæ tractandi, nos verò etiam breviter de ſpeciebus Luxuriæ non conſummatæ, nimirum de delectatione moroſa, oſculis, tactibus &c. obſcœnis, ut ſtudioſiùs evitentur hæc turpia vitia, & ii, qui Theologiæ Morali nunquam ſtuduerunt, & tamen labuntur, ſua peritiùs confiteri diſcant. Tam in illis quàm in iſtis progrediemur à levioribus ad graviores ſpecies. Antequam autem, mi peramande Juvenis, hanc materiam partim nimis utique craſſam, partim valde ſubtilem, ex toto autem lubricam & ſpurcam, quam pro utilitate 1

tua

tua ex multis & optimis Auctoribus magno labore in compendium redactam optima mente hic propono & breviter explico, aggrediaris legere, præsertim si hac in re periculosior es, paternè te monitum volo, atque vehementer te obtestor, ut priùs mentem ad DEUM erigas invocatô auxiliô, & solo veritatis syncero amore, secluſa vitiosa curiositate, & obfirmatô contra omnem motum vel delectationem turpem, vel saltem consensum, animô interpolatis quoque non rarò ad DEUM precibus, pérlegas, ne hac lectione, quæ ad tuam, vel aliorum etiam, conscientiam meliùs dirigendam tibi utilis vel necessaria esse potest, atque pro medicina contra tuæ (vel aliorum quoque) animæ venereamm pestem servire, venenum tibi vel perniciem pares. Prodesse tibi, non obesse, scopus & labor meus est.

2 Dico 1. *Fornicatio*, dicta à fornicibus seu locis obscuris, sub quibus olim scorta seu meritrices Romæ solebant prostare, *simplex* & specificè accepta, est concubitus soluti cum soluta jam defiorata. Per *solutam* intellige personam nullo vinculo, Matrimonii, Voti solennis, Consanguinitatis &c. ligatam, ita ut cum complice validum posset contrahi Matrimonium. Est peccatum mortale, Juri Divino repugnans & Naturali. *Eph. 5. Gal 5. Rom. 1.* Oppositam sententiam damnavit Innoc. XI. anno 1679. De Jure Civili pœnam non habet tantam: à plerisque tamen Nationibus honestata laude florentibus variè puniri solet, prima mitiùs, secunda & ulterior asperiùs, ut fit, & fieri deberet in Bavaria juxta Mandatum & Novellam 20. Sept. 1635. editam.

Dico

Dico 2. *Concubinatus* propriè dictus eſt concubitus ſoluti cum ſoluta jam defloratâ frequentatus, adeóque eſt fornicatio frequentata cum eadem perſona. Quamvis Jus Civile neque hunc puniat, in plerisque tamen locis ſuas habet pœnas vel ex conſuetudine vel ex ſtatutis. Quomodo puniatur de Jure Canonico Clericus fornicarius, & concubinarius, diximus *tit. 11. lib. III.* 3

Dico 3. *Stuprum* preſsè acceptum eſt concubitus cum virgine nondum corrupta. *can. 2. v. ſtuprum autem. cauſ. 36. q. 1.* Additur (in ordine ad pœnam ordinariam) *non præcedente conjugali pactione.* De Jure Civili ſtuprum committitur etiam in viduam honeſtè viventem. *§. 4. Inſt. de Publ. Jud. l. 101. ff. de V. S.* Dividitur in *violentum*, Noth-Zucht / Noth-Zwang / quo opprimitur & defloratur virgo (vel vidua honeſta) penitus invita, & totis viribus renitens: & in *non-violentum*, quod committitur cum conſentiente in violationem: quod vix differt in ordine ad novum ſpecie peccatum conſtituendum à fornicatione. Pœna ſtupri non-violenti cum virgine de Jure Civili apud honeſtiores erat publicatio dimidiæ partis bonorum, apud viliores fuſtigatio cum relegatione. *§. 4. cit.* quæ tamen pœnæ uſu exoleverunt. De jure Canonico apud Clericos eſt depoſitio (hodie autem pœna arbitraria) cum dotatione puellæ: apud Laicos obligatio ducendi vel dotandi corruptam, optione penes hanc relicta. *c. 1. 2. h. t.* Pœna ſtupri violenti perfecti eſt pœna capitis, imperfecti pœna deportationis aut fuſtigationis &c. *l. 1. §. 2. ff. de Extraord. crim. Conſtit. Pœnali Caroli V. art. 119.* 4

Dico

5 Dico 4. *Raptus*, quo virgo vel alia mulier de loco in locum violentè abducitur libidinis exercendæ causâ, de Jure Civili punitur morte & amissione bonorum, si rapta sit virgo, vel mulier honestè vivens, ac per vim violata. De Jure Canonico excommunicatione, &, si Clericus rapuit, depositione. *can. 1. seqq. caus. 36. q. 2.* Si Raptus fiat Matrimonii causâ, incurritur excommunicatio ipso facto, infamia (&, si Raptor fuit Clericus, depositio ferendæ sententiæ) cum obligatione dotandi raptam, sive ducatur sive non. Trid. *s. 24. c. 6. de ref. Matrim.*

6 Dico 5. *Incestus* est concubitus inter personas consanguineas, vel affines, in eo gradu, in quo Matrimonium nequeunt contrahere. Pœna illius de Jure Civili non est satis determinata. *Ordinatio* tamen *Criminalis* Josephi I. *art. 19. §. 21.* dicitur statuisse pœnam gladii, si incestus committatur inter parentes & liberos: fratrem & sororem: privignum & novercam: vitricum & privignam: socerum & nurum. Ferè consonat Jus Bavaricum *in Nov.* 3. Aug. anno 1700. edita, conformiter Juri Palatinatûs Superioris. De Jure Canonico committentes incestum simplicem excommunicandi. *can. 9. caus. 35. q. 2.* Clericos autem deponendi, præsertim si incestui conjungatur adulterium. per *can. 10. 11. d. 81.* In pœna incestûs attenditur computatio graduum secundùm Jus Canonicum in utroque foro.

7 Dico 6. *Sacrilegium*, prout est delictum carnis, & in foro externo punitur, est concubitus cum persona DEO dicata per votum solemne castitatis, videlicet cum Moniali. De Jure Civi-

Civili decreta est pœna mortis. *l. 5. C. de Episc. & Cler. Nov. 123. c. 43.* De Jure Canonico Laicus excommunicetur, Clericus autem ab Ordine depositus, & Beneficiô privatus, in Monasterium detrudatur ad agendam pœnitentiam. *can. 6. & 28. caus. 27. q. 1.* Monialis verò violari se passa in arctius Monasterium vel in carcerem compingatur. *can. 11. 28. 30. q. cit.* Dixi, *prout in foro externo punitur*; nam pro foro interno committitur quoque sacrilegium, in Confessione Sacramentali aperiendum, si unus, vel uterque delinquens voto simplici castitatis ligatus est, & à fortiori, si vir delinquens habeat votum solenne castitatis, utì sacerdotes & Religiosi; ut sacrilegi tamen non puniuntur, sed solùm ut fornicarii, in foro externo.

Dico 7. *Lenocinium* est delictum, quo virgines vel aliæ fœminæ, aut, quod deterius est, liberi vel uxor prostituuntur aliis ad illicitum commercium carnale. Si parentes prostituant liberos, vel maritus uxorem, probabiliter pœna est gladius. per *l. 2. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* Si prostitutio fiat ab aliis personis, est arbitraria, v. g. fustigatio, relegatio, præcisio aurium &c. pro qualitate delicti & personarum. 8

Dico 8. *Adulterium* strictè acceptum, quod *can. 2. caus. 36. q. 1.* dicitur *alieni thori violatio*, de Jure Canonico Divino & Naturali est concubitus cum conjuge alieno vel aliena, seu est concubitus mariti, vel uxoris, cum persona extranea, soluta, vel ligata Matrimoniô aliô. Si maritus cum soluta, vel uxor cum soluto commisceatur, vocatur adulterium *simplex*. Si verò utraque pars delinquens est in conjugio, si nempe maritus cum alie- 9

na conjuge, vel uxor cum alieno marito congrediatur, *duplex* appellatur. De Jure Civili propriè adulterium non committitur, si maritus peccet cum soluta. *l. 6. §. 1.* ibi: *propriè adulterium in nupta committitur. & l. 34. ff. ad L. Jul. de adult.* Sed hodie etiam in foro Civili maritus cum soluta peccans habetur pro adultero. Omne adulterium præter peccatum luxuriæ involvit quoque peccatum injustitiæ, non obstante, quòd forte maritus consentiat in copulam conjugis cum alio; nam contrariam propositionem damnavit Innoc. XI. Pœna adulterii alia est Criminalis, alia Civilis infligenda per Judicem post institutam actionem Criminalem vel Civilem, & probatô sufficienter adulteriô. Pœna *Criminalis* de Jure Civili *Legis Juliæ de adulteriis* olim erat deportatio seu exilium, postea gladius, quem rigorem respectu mulierum adulterarum mitigavit Justinianus (an ejus uxor Theodòra?) & virgis cæsas jussit detrudi in Monasterium: sed Carolus V. *in Constit. Pænal. art. 120.* ut volunt Interpretes, innovavit pœnam gladii. Verùm hanc in praxi ferè nullibi propter primum saltem adulterium, irrogari experientia docet, sed puniri consuevit vel mulctâ pecuniariâ, vel relegatione, vel statione ante fores Ecclesiæ cum accensa candela, vel etiam virgis, aut aliâ pœnâ pro diversa locorum consuetudine vel statuto. Quomodo gradatim puniatur adulterium, vel puniendum esset, in Bavariâ videre est in der Landts- und Policey-Ordnung *tit. 9. art. 2. seqq.* ac in *Novella* seu *Mandato* anno 1635. ubi pœnæ exasperantur, & secundum (postquam nempe jam semel quis ob adulterium puni-

punitus eſt) cum conjugata commiſſum gladiô puniri jubetur. Expedit autem ſeverè puniri adulteria, ne huic graviſſimo ſceleri anſa præbeatur. De Jure Canonico Laici excommunicari, fœminæ in Monaſterium detrudi poterant. *c. 6. h. t. c. 19. de conv. conjug.* Clerici autem deponi, & in Monaſterium detrudi. *can. 10. 11. d. 81.* cui hodie ſucceſſit vi conſuetudinis incarceratio, vel mulcta pecuniaria, vel alia pœna arbitraria. *Civilis* pœna eſt divortium, quod conjunx innocens inſtituere poteſt, de quo ad *tit. de divortiis* lib. IV. & amiſſio dotis, vel donationis propter nuptias, quam à parte adultera lucratur innocens. Actio, qua petitur divortium, ſecundum quid eſt Criminalis privata, & *mixta inter Civilem & Criminalem* appellatur *c. 5. de Procurat. in f.*

Quæres, an uxor adultera, quæ prolem concepit & peperit ex adulterio, teneatur in conſcientia id manifeſtare marito, vel proli ſpuriæ, ne maritus in aliena prole nutrienda, & liberi legitimi vel alii hæredes in ſucceſſione hæreditaria, damnum patiantur? 10 R. Quamvis talis adultera (uti & adulter, cujus eſt proles) teneatur pro poſſibili tale damnum cavere vel ex bonis adulteri, vel ex ſuis paraphernalibus, vel parciùs vivendo, vel proli ſpuriæ ſuadendo ingreſſum in Religionem ſucceſſionis incapacem &c. ſi verò neque id poſſit efficere, ordinariè tamen ſuum delictum manifeſtare non tenetur viro propter manifeſtum periculum vel mortis ſibi aut proli adulteræ imminentis, vel perpetuæ exprobrationis, rixarum, odiorum inter conjuges, vel propinquos, aut divortii &c. minùs verò proli adulterinæ, quia hæc non

tenetur credere matri, id etiam juranti, ut notant DD. Accedit, quòd sæpe præsumi possit, maritum & ejus liberos legitimos malle aliquod grave præjudicium in bonis fortunæ, quàm uxorem vel matrem suam, ita confundi vel coram se tantùm, præsertim si foret periculum diffamationis enim apud alios, ex qua in se quoque redundaret aliqua macula, opprobrium, tristitia &c. ubi hujusmodi causæ excusantes non adsunt, utique teneretur suum aperire delictum aliis graviter perniciosum adultera.

11 Petes, à quo alenda sit proles, ex fonicatione, stupro, adulterio, vel alio illicito concubitu nata? R. Per se ab illo, qui pater est prolis (excepto tempore lactis) usquedum se ipsam alere possit labore &c. nisi nempe ob paupertatem pater nihil posset; tunc enim mater, &, si neque huic suppeterent media alendi, avus paternus, & in hujus defectu maternus teneretur. text. & DD. *in c. 5. de eo, qui duxit. & l. 5. §. 1. 5. ff. de agnosc. lib.* Mol. *tr. 2. d. 168. n. 11. seqq.* Berlich. *p. 5. concl. 31. n. 41. seqq.* In dubio, quis pater sit, eò quòd fœmina cum pluribus rem habuerit, attendendum erit ad spectu cujus coincidat tempus partûs, ubi quando que creditur juramento fœminæ. Berlich. *n. &c.* Si ex circumstantiis deprehendi nequeat, sit pater, tunc singuli, qui cum fœmina congressi sunt, pro rata debent concurrere ad alendam prolem; nisi de unius tantùm congressu constaret, liqui autem negarent, tunc enim huic soli incumberet hoc onus: si tamen contra alios militarent graves præsumptiones de habito congressu, deferret fœminæ deferri juramentum, quo se purgaret suspe-

ſuſpicione fornicationis cum aliis vel alio habitæ, certúmque prolis patrem prodat. König *h. n. 30.* cum Carpzov. &c.

Notandum præterea eſt 1. quòd pro foro inter- 12
no ſpecialis malitia adulterii, ſacrilegii, inceſtûs (exponenda in Confeſſione Sacramentali) præter peccatum contra caſtitatem contrahatur etiam per tactus impudicos, oſcula laſciva, & amplexus vel compreſſiones libidinoſas perſonæ conjugatæ, votô caſtitatis obſtrictæ, vel conſanguineæ ut affinis, licèt concubitus perfectus non acceſſerit. 2. Non ſolùm marito licitum eſſe propter adulterium criminaliter accuſare uxorem, ſed etiam uxori maritum. *can. 22. & fin. cauſ. 32. q. 5. Conſtit. Pœn. Caroli V. art. 120.* licèt olim *l. 1. C. ad L. Jul. de adult.* id uxori non fuerit permiſſum. Ratio datur *in can. 4. cauſ. cit. q. 1.* quia vir & uxor *non judicantur ad imperia,* h. e. inæqualiter. 3. Delicta carnis recenſita, cùm ſoleant committi in occulto ac ſine arbitris, probari in Judicio poſſe etiam per præſumptiones violentas, ex talibus indiciis ortas, quæ faciunt moralem certitudinem. per *c. 12. de Præſ. l. fin. C. de probat.* ut ſi ſolus & ſola uno in lecto deprehenſi ſint &c. Maſc. *concl. 57. ſeqq.* Farinac. *in Praxi Crim. de delictis carnis &c.* 4. Judicem in præfatis delictis, quia ſunt mixti fori, tam Eccleſiaſticum quàm Sæcularem eſſe quidem poſſe. per *l. 30. C. ad L. Jul. de adult. c. 8. de for. comp. c. 5. de Procur.* &c. in Praxi tamen contra Laicos procedere non ſolere Judicem Eccleſiaſticum. Ubi tamen ob adulterium agitur ad divortium, Judex Eccleſiaſticus, & ubi agitur principaliter ſuper cauſa dotis, vel ad intereſſe

temporale, velut ad restitutionem eorum, quæ maritus impendit in prole adulterina &c. Sæcularis privativè competens est.

13 Dico 9. *Vitium contra Naturam*, quod in genere luxuriæ turpissimum & nefandissimum dicitur, distinguitur in tres species. Prima vocatur *Sodomia*, aliáque est *perfecta*, quando coëunt duo ejusdem sexûs, mas cum mare, aut fœmina concumbit cum fœmina: alia autem imperfecta, quando quidem servatur diversitas sexûs, non tamen vas naturale sed coitus fit in parte corporis non ordinata ad generationem. Secunda est *Bestialitas*, seu coitus, vel commixtio hominis cum bruto animali qualicunque. Quò etiam referre potes concubitum cum dæmone in hominem se transfigurante. Tertia & infima est *Mollities* seu *Pollutio*, quæ est voluntaria humani seminis effusio absque omni concubitu, quæ nunquam fit sine peccato mortali, si studiosè procuretur, aut cum plena deliberatione admittatur. Hæc, quia vix unquam ad forum contentiosum deducitur, pœnam ordinariam in Jure non habet. Concubitus *cum dæmone*, cùm non facilè contingat, nisi apud magas & sagas, unà cum magia plectitur. *Bestialitas* punitur igne, ita ut non tantùm homo (ordinariè tamen priùs suffocatus vel capite plexus.) sed etiam brutum consumatur flammis. *Const. Pen. Carol. V. art. 116.* Ubi eadem pœna ignis statuitur in *Sodomiam perfectam*; quam tamen Jus antiquum *l. 1. §. 2. ff. de Extraord. crim.* & maxime *l. 31. C. ad L. Jul. de adult.* solùm gladiò puniebat. De Jure Canonico sodomiæ perfectæ reus, si Laicus est, excommunicari, si Clericus, ab Ordine de-

depoſitus & beneficio privatus in arctum Monaſterium detrudi debet. *c. 4. de Exceſſ. Prælat.* imò S. Pius V. in *Conſt. Horrendum.* Clericos, ſaltem ſi hoc cirmen frequentiùs commiſerint, ídque notorium ſit, degradatos tradi voluit Curiæ ſæculari ſecundùm Leges Civiles puniendos.

Jam de ſpeciebus Luxuriæ non conſummatæ, in quibus non fit effuſio ſeminis,

Dico 10. *Delectatio Venerea,* quæ etiam dici- 14
tur *carnalis* vel *turpis,* aut *moroſa,* ſtudiosè quæſita, vel voluntariè admiſſa, in perſonis ſolutis ſemper eſt peccatum mortale (& in perſonis voto caſtitatis ligatis accedit inſuper nova malitia ſacrilegii.) licèt ſiſtatur in tali delectatione. Ita communiſſima ex SS. litteris *Matth. 5. v. 28. & Eph. 5.* Ratio, quia talis delectatio ex natura ſua & per ſe tendit ad profuſionem ſeminis tanquam commotio ſpirituum genitalium, ac ſeminis, etſi per accidens effuſio non ſequatur. Et niſi Natura talem delectationem ſub mortali prohiberet, proniſſimum foret in tanta hominum fragilitate ulteriùs progredi, ſæpiſſime effundi ac fruſtrari ſemen humanum cum graviſſimo propagationis humani generis præjudicio. Atque hæc doctrina ita eſt vera, ut oppoſitam ne quidem probabilem cenſeam.

Dixi 1. *Delectatio,* ſeu complacentia in objecto 15
turpi, ad luxuriam ſeu Venerem ſpectante, atque orta ex cogitatione circa rem veneream, v. g. circa fornicationem præteritam vel futuram &c. Dixi 2. *Venerea, Carnalis,* vel *Turpis,* quæ nimirum ſentitur circa partes genitales per commotionem ſeminis vel ſpirituum generationi deſervientium, quæ à quibusdam ſubinde etiam vocatur

ſenſitiva vel *ſenſualis*, ſed hæc, ſi preſsè ſumatur, eſt illa delectatio, quæ à ſenſibus percipitur ex proportione & connaturalitate, quam res habent cum organo alicujus ſenſûs, & ferè circa pectus, vel aliquem ſenſum, auditûs, tactûs &c. per motum ſpirituum vitalium ſentitur, cujusmodi delectatio percipitur ex tactu holoſerici mollis, ex ſelis blandæ, auditu Muſicæ, aſpectu picturæ, odoratu floris, guſtu ſacchari &c. & hæc per ſe vacat culpâ, niſi præcisè ſiſtatur in ea; tunc enim fiet peccatum veniale propter aliquam inordinationem. Dixi 3. *Moroſa*, quando nempe voluntas delectationem advertens *moratur*, & ſic ſe detinet in ea, quod fieri poteſt in unico inſtanti: unde moroſa non dicitur à mora temporis, ſed à detentione, approbatione, & conſenſu voluntatis in eam, licèt non detur conſenſus in aliquod turpe opus; nam aliud eſt conſentire in delectationem, & aliud in opus turpe externum, quæ duo imperiti ſæpe non diſtinguunt. Dixi 4. *Semper eſt peccatum mortale*, ut adeò in re & delectatione venerea non detur parvitas materiæ, quamvis ob imperfectionem actûs, ſeu propter defectum plenæ advertentiæ, deliberationis, aut conſenſûs ad illam non plenè liberi, aut propter admiſſam ibi quam negligentiam, tarditatem, oſcitantiam in repellenda cogitatione turpi ad turpem delectationem provocante, fiat peccatum veniale. Dixi 5. *Studiosè quæſita*, h. e. voluntariè intenta per cogitationem de re turpi ad capiendam delectationem. Dixi 6. vel *voluntariè admiſſa*, licèt prius non ea intentione cogitatum ſit de re turpi, modò poſtmodum oborta tali cogitatione cum ple-

na advertentia ad malitiam, & deliberatione, approbetur, ametur, & acceptetur cum conſenſu voluntatis delectatio. Dixi 7. *Licèt ſiſtatur in tali delectatione;* ſi enim accederet deſiderium efficax adulterandi, fornicandi, impudicos tactus exercendi &c. eſſet ſpecie diverſum peccatum, in Confeſſione exprimendum, & ſi tale deſiderium ferretur v. g. erga perſonam matrimoniô ligatam, etiam hoc foret exprimendum.

Quæres, an etiam ſemper ſit peccatum mor- 15
tale per cogitationem de re turpi, vel per actum externum ſenſitivum, dare cauſam delectationi vel commotioni Venereæ? R. 1. generaliter: ſi delectatio non quæratur, nec voluntariè admittatur; ſeu ſi conſenſus in eam, aut periculum conſensûs proximum, non accedat, nunquam eſt peccatum mortale; nam aliud eſt delectatio Venerea, in quam conſentitur, ac in qua non dari parvitatem materiæ diximus, & aliud eſt cauſa delectationis & commotionis carnalis, non tamen quæſitæ vel admiſſæ. Karchne in *tract. de actib. human. diſſ. 1. n. 721.* dicit, non quidem dari parvitatem materiæ in delectatione Venerea directè voluntaria, bene tamen in indirectè voluntaria, dum nempe aliquis vult cauſam illius abſque conſenſu vel periculo proximo conſensûs in eam. R. 2. ſpecialiter. Si cogitatio de rebus Venereis ſit merè ſpeculativa, ſeu talis, quæ quidem proponit objectum delectabile, ſed non delectabiliter, & modo provocante ad delectationem carnalem, atque ſiſtit in ſola contemplatione objecti, per ſe nullum eſt peccatum, ſi talis cogitatio fiat ex rationabili cauſa, etiam tunc,

quando per accidens contra-vel præter intentionem moventur ſpiritus carnales, & ſequitur motus ſenſibilis, utì ſiquis ſtudet Caſibus, explicat materiam luxuriæ, aut ſi Confeſſarius legit, audit, loquitur, declarat turpia. Ratio eſt, quia non placet res cogitata, ſed cogitatio, ſeu cognitio & notitia veritatis, quam quis ſpeculando aſſequitur, vel ex juſta cauſa applicat, & cogitando tractat. ℣. 3. ſi cogitatio ſit practica, quæ nimirum cognoſcitur objectum turpe modo delectabili & provocante ad delectationem ſenſibilem vel carnalem, ita ut moveantur ſpiritus carnales, tunc, ſi parùm duntaxat, vel mediocriter tantùm ex ſe, excitat commotionem ſpirituum genitalium, talis verò cogitatio absque juſta cauſa excuſante ſuſcipitur, peccatum eſt veniale tantùm, niſi fortè apud valde debiles per accidens ſit periculum proximum conſensûs in ipſam delectationem Veneream. Si verò illa cogitatio practica de ſe eſt vehemens, ac ex natura ſua vehementer provocat ad Venerem, & proximè ad pollutionem, eſt peccatum mortale, ſi voluntarie foveatur talis cogitatio, & neceſſitas valde urgens non expoſcat talem cogitationem, & periculum conſensûs in delectationem non abeſt. Cardenas *in Criſi diſp. 42. n. 118. 117. 131. 134.* Karchne *lo. cit. n. 83.* ℣. 4. de actibus externis qui poſſunt vel ſolent excitare motus carnales, ſentè idem dicendum, quod reſpondi de cogitatione interna practica: ſi enim ſolùm modicè, vel mediocriter excitant, & juſta eſt cauſa tales actus exercendi, & periculum conſensûs in delectationem abeſt, tunc nullum eſt peccatum, ut ſiquis exci-

qui-

quitatione, attactu rei mollis, aſpectu fœminæ in vultu &c. experiatur ejusmodi motus: veniale autem, ſi ſine juſta cauſa exerceantur: mortale verò, ſi ex natura ſua valde vehementer provocent ad delectationem carnalem ex una, ex altera verò parte non urgens adſit neceſſitas ponendi tales actiones, & periculum conſensûs proximum non abſit, utì foret aſpectus vel tactus non obiter aut fortuitus partium obſcœnarum alieni corporis, maximè diverſi ſexûs. Sed de his actibus externis in ſpecie ulteriùs.

Dico 11. Aſpectus rerum de ſe non inhoneſta- 16
rum, & non provocantium ad commotionem carnalem, licèt hæc præter intentionem ſequatur, at ſine periculo conſensûs, culpâ vacat. 2. venialis tamen culpa erit, ſi per ſe poſſit ac ſoleat in aſpiciente leves motus excitare, & fiat ſine juſta cauſa, v. g. ex curioſitate, atque ſine animo Venereo, periculóque conſensûs in delectationem. 3. gravis autem, ſi objectum ſit valde turpe, per ſe graviter libidinem provocans quoslibet (ſeclusa neceſſitate aſpiciendi, & ſtante periculo proximo conſensûs) vel ſi intendatur delectatio Venerea per aſpectum etiam de ſe non inverecundum, ut ſi aſpiciatur ex tali intentione facies fœminæ. P. Sporer & communis.

Dico 12. Verba turpia, lectio obſcœnorum, 17
ſpectatio comœdiarum turpium, cantiones inhoneſtæ, geſtus, litteræ, vel dona amatoria, ſi fiant tantùm ex levitate, curioſitate, oſtentatione ingenii, vano ſolatio &c. absque ſcandalo aliorum, & delectatione Venerea propria, utì & riſus ad turpiloquium, non ſunt mortalia peccata;

ta; bene tamen, si fiant animô impurô & cum dilectatione turpi, directè intenta, vel deliberatè admissa, aut cum gravi scandalo seu periculo ruinæ spiritualis aliorum. Sanch. *de Matrim. l. 9. d. 46. n. 31. seqq.* Filluc. Busenbaum &c.

18 Dico 13. Choreæ secundùm se non sunt malæ, nec actus libidinis, sed lætitiæ. Facilè tamen fiunt malæ, val venialiter propter vanitatem, petulantiam, amorosa verba vel gestus &c. vel mortaliter propter pravam intentionem se vel alios concitandi ad libidinem per oscula, tactus impuros, gestus graviter scandalosos &c. La Croix *l. 3. p. 1. n. 887.* & alii.

19 Dico 14. Oscula non obscœna, uti & amplexus, si fiant officii causâ vel ex more patrio, vel amoris aut benevolentiæ augendæ ergo, non sunt peccata, licèt per accidens suboriatur commotio & delectatio Venerea, modò absit consensus in illam. Si autem fient ex vanitate, levitate, petulantia, joco, vel etiam sensualitate, prout hæc dicit sensualem ac naturalem affectum, non delectationem Veneream, sunt peccata venialia, ut & oscula teneræ ætatis ex affectuoso amore, licet (at citra consensum vel periculum consensûs) sequatur commotio Venerea & delectatio, aut delectatura prævideatur; quia tantùm indirectè est voluntas in causa, non mortaliter peccaminosa. Si verò oscula figantur cum ardore vel mora, vel in parte valde impudica, aut si intendatur ad percipiendam delectationem Veneream, licèt nihil aliud intendatur, & absit periculum consensûs in ipsam pollutionem, sunt peccata mortalia, ut constat ex decisione Alexandri VII. oppositam propo-

sitioni

ſitionem ordine 40. am. damnantis. Sanch. Sporer, Diana, la Croix *n. 893. ſeqq.*

Dico 15. Tactus proprii vel aleni corporis in parte honeſta, ſi fiunt ex cauſa rationabili, vel juxta morem patriæ, non malo fine, culpâ vacant, licèt præter intentionem & absque periculo conſensûs oriantur commotiones turpes. Si verò fiant ex joco, levitate, petulantia &c. etiam in parte nuda alieni corporis, ejusdem tamen ſexûs, vel ſuper veſtes alterius ſexûs, vel in animalculis etiam ad genitalia, ordinariè peccatum eſt tantùm veniale, ſi abſit periculum proximum conſensûs in delectationem Veneream, quæ indè fors oritur. Si autem per tactum proprii vel alieni corporis intendatur delectatio Venerea, vel etiam omnino pollutio, vel deliberatè admittatur, clarè eſt peccatum mortale; ità & ſi tactus contingat in partibus inhoneſtis alieni corporis, maximè alterius ſexûs. La Croix *n. 887. cit.* 20

Dico 16. Ponere actiones de ſe honeſtas, vel ſaltem indifferentes, quas tamen ſuadet aliqua cauſa neceſſitatis vel utilitatis, vel etiam aliqua naturæ convenientia, quamvìs prævideatur indè oritura commotio & delectatio carnalis, vel etiam ipſa pollutio, modò abſit periculum conſensûs in illam, nullum eſt peccatum, ut eſt audire, dirigere, vel, ubi opus eſt, interrogare pœnitentes turpia confitentes, legere libros de rebus obſcœnis ſtudii causâ, tangere proprium corpus ex juſta cauſa, cautè loqui cum fœmina, edere ac bibere ſervatâ temporantiâ &c. Veniale autem erit ponere actiones illicitas, etiam ad genus Luxuriæ pertinentes, quæ ſecundùm & per ſe ſolùm leviter 21

influ-

influunt in commotionem carnalem vel pollutionem, ac ideo solùm leviter in se peccaminosæ sunt, licèt prævideatur commotio carnalis, vel etiam pollutio, at sine periculo consensûs, uti est cogitatio practica de objecto Venereo tepida, tactus manuum fœminæ, verba amatoria, & universim illi aspectus, oscula, tactus &c. quos superiùs diximus non excedere peccatum veniale. At verò ponere actiones in genere Luxuriæ illicitas, quæ per se vehementer provocant Venerem, & ex natura sua tendunt ac graviter influunt ad commotionem carnalem aut pollutionem, licèt abesset periculum consensûs in eam, peccatum mortale est, nisi urgens necessitas eas ponendi daretur sine periculo consensûs proximo, uti est cogitatio practica vehemens voluntariè habita, osculum lascivum, aspectus vel tactus valde impudicus non obiter factus, v. g. pudendorum alterius sexûs. Ratio, quia, sicut delectatio Venerea & pollutio, voluntariè admissa vel procurata, Jure Naturali graviter est prohibita ac intrinsecè mala, ita & illius causam de se efficacem ponere, nam quando graviter illicitum est directè aliquid velle, etiam graviter est illicitum indirectè & in sua causa illud velle. Vid. Sanch. *d. 45. n. 4. 14. 15. &c.* Karchne *n. 79. 88. &c.* Notant insuper DD. quòd idem intelligendum sit de distillatione, quod dicitur de pollutione. *Distillatio* differt à *Pollutione* per hoc, quòd in pollutione effundatur verum semen ad generationem destinatum, & ordinariè cum vehementi delectatione motúque carnis, in distillatione verò humor quidem subtilior, inter semen & urinam medius, ordinariè cum minori delectatione

tione & carnis commotione, imò quandoque imperceptibiliter ſeu absque carnali motu.

Objic. 1. Grave peccatum eſt ponere actionem de ſe licitam, ſi ex ea prævideatur ſecutum homicidium, fornicatio &c. ergo etiam, ſi ex ea prævideatur ſecutura pollutio, à fortiori, ſi illa actio in genere Luxuriæ eſt illicita: ergo primum & ſecundum membrum non eſt verum. 2. Si pollutio eſt intrinſecè mala, tunc datur obligatio in ſomno naturaliter cœptam reprimendi omni poſſibili modo: ſed hoc eſt contra communem. R. ad 1. *N. conſ.* nam homicidium cauſat damnum irreparabile, & fornicatio non ſequitur niſi ex cauſis per ſe ordinatis ad coitum, quæ non verificantur de pollutione; nam hæc ſequi poteſt ex cauſis licitis, vel leviter tantùm illicitis, & per ſe cum illa non connexis: ergo tales cauſas pollutionis ponere non ita eſt prohibitum, ſicut ponere cauſam homicidii aut fornicationis. Vid. Sanch. n. 14. Karchne *n. 43. 44. 78.* Ad 2. *N. ſequelam:* eſt quidem obligatio non promovendi, vel poſitivè non cooperandi ad cœptum aliunde naturalem ſeminis fluxum, non tamen impediendi vel cohibendi, ne natura aliunde, v. g. in ſomno, irritata ſe exoneret; hoc enim non eſt procurare, ſed pati vel permittere fluxum homoris, ne corruptus noceat. Sed, ut evitetur conſenſûs, omni modo cavendum, DEUS rogandus, mens avertenda, manus cohibenda &c.

Quæres, an hucusque dicta de delectatione 22
Venerea, oſculis, tactibus &c. etiam procedant in Conjugibus? 2. item in Sponſis? R. ad 1. Conjugibus licent delectatio Venerea, aſpectus, tur-

pilo-

piloquia, oscula, tactus etiam impudici &c. si referantur ad copulam, qua concipi possit proles; cùm, ubi finis est licitus, etiam media ad illum ordinata non sint prohibita: si tamen hæc ordinarentur *præcisè* ad augendam voluptatem, seclusô pollutionis periculô, essent peccata venialia, sicut ipsa copula *præcisè* ordinata ad voluptatem, eò quòd inordinatio sit *præcisè* in voluptate quiescere; sicut edere & bibere *præcisè* ideo, quia percipitur indè voluptas, inordinatum est: pariter, si dictos actus exercerent conjuges absque animo perveniendi ad copulam, aut sine alia causa, v. g. ad conservandum amorem conjugalem, & absque periculo pollutionis, peccatum foret veniale. Si tamen exercerent actus sodomiæ imperfectæ proximos, vel congrederentur modo valde dedecente, ac tali, ut prorsè proles concipi non possit, vel pollutionem procurarent, vel semen perderent studiosè aut voluntariè, essent peccata gravia contra Naturam. Sanch. *l. 9. d. 45.* Dian. Gob. Karchne, & alii. Quæ in re habent conjuges, ut attendant. Et utinam non toties abuterentur suo statu (in quo multa ipsis licent) & non turpissimè peccarent!

23 R. ad 2. Sponsis, sicut copula & pollutio non minùs ac solutis, graviter est prohibita & delectatio carnalis proximè ad pollutionem disponens, cùm sit inchoatio illius, uti & actus impudici, de se vehementer provocantes ad venerem, etiam seclusô pollutionis periculô, iisdem graviter sunt illiciti. Licent tamen ipsis actus pudici, in signum benevolentiæ exciti sine pollutionis periculo, uti amplexus

plexus, oscula, & tactus non impudici, locutiones amatoriæ, aspectus affabiles; quia Sponsalia dant jus ad talia amoris & benevolentiæ signa ad conciliandum futurum Matrimonium; quamvis & ista ego dissuadenda censeam ob periculum progrediendi ulteriùs. Vid. Sanch. *disp. 46. lib. 9. cit.*

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

1. *Quinam sint Raptores, Incendiarii, & Violatores Ecclesiarum: quid & quotuplex Rapina, Incendium, Sacrilegium.*
2. *Quæ sit pœna Raptoris, vel Rapinæ.*
3. *Quæ Incendii Dolosi, & Culposi.*
4. *Et quæ Violationis Ecclesiarum.*
5. *An præsumendus sit dolus, vel culpa, casu quo oritur Incendium, & nescitur origo.*

JAm sequuntur delicta, quibus læditur proximus in bonis & rebus Fortunæ, nimirum Rapina, à qua hoc loco *Raptores* Rauber/ Incendium, à quo *Incendiarii*, Brenner/ Mord-Brenner/ & violatio ac spoliatio Ecclesiarum, à qua *Violatores Ecclesiarum* denominantur, & hoc titulo explicantur; dein Furtum, Usura, Crimen falsi, Sortilegium, & Collusio, quæ in sequentibus. Porro *Rapina*, nempe rerum (de *Raptu* enim personarum in *tit. præced.* & *tit. I. lib. IV.* jam actum est) strictè sumpta de-

finitur esse *injusta rei alienæ mobilis per vim factæ ablatio, lucri faciendi causâ:* adeóque differt à furto, quòd Fur auferat rem occultè & sine violentia ac nemine resistente, licèt subinde per violentiam aut effractionem sibi viam faciat ad auferendum: Raptor autem violentè & manifestè rem extorqueat, ac duplicem inferat proximo injuriam, unam in rebus, utì fur, alteram ipsi personæ: quare & duplicem contrahit obligationem restituendi rem ablatam, & satisfaciendi personæ pro illata injuria. Differt quoque à *Praedatione*, quam etiam vocant *viarum grassationem* vel barbarè *Roboriam*, quòd hæc superaddat insidiosam in viis, sive publicis sive privatis, aggressionem, at citra occisionem: qui sic agunt, vocantur Strassen-Rauber. Per *vim* intelligitur tam *privata*, quæ fit sine armis, quàm *publica*, quæ fit cum armis: nihil tamen interest, an vis inferatur actu, vel solùm paretur contra resistentem; nec an quis vim inferat per se ipsum, vel per alios auxilium ferentes. *Incendium* est damnum igne datum, quando nempe quis ædificia, domos, prædia, pagos, oppida, Ecclesias, aut bona aliena, segetes, fœnum, fructus appositio igne incendit aut devastat: si id fiat deditâ operâ, deliberatè, dolô malô, *Dolosum:* si non studiosè, at non sine culpa negligentiæ vel imprudentiæ, *Culposum*, sine dolo & culpa, *Casuale* nuncupatur, quod nempe prævideri, vel prævisum averti non potuit. *Violatio Ecclesiarum* hìc dicit violentam effractionem locorum sacrorum cum spoliatione, atque involvit sacrilegium, quod tripliciter committi potest: si res sacra de loco sacro: res sacra de loco sacro:

sacro: si res non sacra de loco sacro (ibi depositâ) surripiatur.

Dico 1. Pœna Raptoris de Jure Civili est duplex, 2
Civilis & Criminalis: *Civilis*, si agatur civiliter *actione vi bonorum raptorum*, & hæc actio instituatur intra annum utilem, est quadruplum, cui tamen simplum seu persecutio rei ablatæ inest. *pr. Inst. & l. 2. C. de vi bonorum raptor.* ubi etiam conceditur actio furti contra Raptorem. *Criminalis*, si agatur criminaliter ad vindictam publicam, est pœna extraordinaria. *l. ult. ff. de privat. delict.* nisi accesserit qualitas prædationis; tunc enim est pœna capitalis. *l. 28. §. 10. ff. de pœnis*, etsi unica vice contigisset. *Const. Pœn. Caroli V. art. 126.* Hodie proin Rapina accensetur delictis publicis; cùm tamen olim inter privata numerari consueverit. In Germania ferè solet esse pœna gladii cum impositione cadaveris ad rotam. Actio *vi bonorum raptorum* & actio *furti* in multis hodie locis videntur exoleviſſe, postquam rapina & furtum publicis vindicantur pœnis. D. Greneck *h. n. 6.* De Jure Canonico Raptor excommunicari jubetur, &, nisi plenè satisfecerit, ipsi neganda absolutio, atque, si renuat satisfacere, mortuo sepultura sacra. *c. 1. 2. 3. h. t.*

Dico 2. Pœna Incendii Dolosi de Jure Civili 3
moderno est ignis, & vivicomburium. *Constit. Carolin. art. 125.* vi consuetudinis tamen vel statuti alicubi solent priùs strangulari, & tum corpora rogo injici, ad evitandum desperationis periculum. Dixi, *Dolosi*; *Culposum* enim pro qualitate culpæ, latæ, levis, leviſſimæ puniri arbitrariè potest; cùm neque lata culpa in delictis æquipare-

tur dolo : locum tam habet actio Civilis ad reparationem damnorũ & intereſſe, ad quod ante ſententiam non obligatur, qui per culpam merè Juridicam fuit cauſa incendii non conjunctam cum Theologica, bene tamen, ſi culpa Theologica, ſaltem gravis, interveniſſet. Incendium *Fortuitum* vel *Caſuale* nulli ſubjacet pœnæ. De Jure Canonico qui templa & loca ſacra aut religioſa dolosè incendunt, ipſo facto ſunt excommunicati, qui loca profana, præter pœnitentiam trium annorum excommunicandi. *can. 31. 32. cauſ. 23. q. 8. c. 19. de ſent. Excomm. c. 6. de injur.* Sed nec iſti, nec illi abſolvendi ſunt, vel in loco ſacro ſepeliendi, niſi prius damna data reſarciverint. *can. 32. cit. c. 5. h. t.* nisi inſuper obligatio reſarciendi tranſire dicitur ad hæredes injuſtè damnificantium, nempe in quantum patitur hæreditas.

4 Quæres, quid præſumendum, dolus, culpa, an caſus fortuitus, ſi v. g. in ædibus ortum ſit incendium, neſciatur tamen, quo authore vel origine. R. Dolus non præſumendus. per *l. 6. C. de dolo malo.* bene tamen aliqua culpa inhabitantium imponere. per *l. 3. §. 1. ff. de Off. Præf. Vig.* nullius culpa tamen in particulari præſumenda eſt culpa, niſi poſt inquiſitionem gravia contra aliquem indicia deprehenſa ſint. Quamdiu autem de nullo ex domeſticis in particulari præſumi poteſt culpa, ne paterfamilias nec ullus alius compelli poteſt ad reparandum damnum incendiô datum aliis. Gail. *obſ. 21. n. 4. ſeqq.* Harpprecht *§. 14. Inſt. de L. Aq. n. 9.* & alii ex *l. 23. inf. ff. de R. J.* contra Faciñ. Weſenbec. Si verò certò, ſaltem præſumptivè conſtet de alicujus determinati culpa; vel is eſt pœ-

fami-

familias ipse, & conveniri potest ad reparanda damna, vel est unus ex famulis, & tunc paterfamilias, si famulus deliquit extra officium suum, ad quod assumptus est, aut pro diligente semper habitus, conveniri nequit. P. Schmalzgrueber *h. t. n. 97. 98.* cum Masc. Farinac. Carpz.

Dico 3. Pœna Violationis Ecclesiarum de Jure § Civili antiquo fuit varia, hodierno autem *Carolin. Const. art. 172. seqq.* sic punitur: siquis etiam, sine effractione, aufert sacram hierothecam, Monstrantz / cum hostia consecrata, vivus est comburendus: si aliud vas sacrum, aureum vel argenteum, patenam vel calicem, etiam extra locum sacrum, aufert; item si furandi causâ effringit, vel dolosis instrumentis aperit, templum, sacrarium, sacristiam, cippum, vel capsam eleemosynariam, alio mortis genere plectendus est: si verò sine effractione res sacras minoris considerationis, v. g. candelabrum, mappas altaris, aut res profanas in Ecclesia depositas aufert, sicut fur profanus, pœnâ tamen non ita facilè mitigatâ, puniri debet. De Jure Canonico, qui cum effractione spoliant Ecclesias, ipso facto dicuntur excommunicati. *c. 22. de sent. Excomm.* (quæ excommunicatio, secuta denuntiatione, reservatur Pontifici) neque absolvendi sunt, vel in loco sacro sepeliendi, nisi pro posse priùs satisfecerint, utì de Incendiariis dictum.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit furtum.*

2. *Quotuplex; præsertim quid Magnum & Parvum.*
3. *Quinam reos se faciant furti.*
4. *An, qui in necessitate aliquid auferunt.*
5. *Quæ dentur actiones ex furto.*
6. *Quæ sit pœna furti.*

1 FUrtum, quamvis sub eo latè accepto venit omnis injusta rei alienæ acceptio vel usurpatio, propriè tamen sumptum à Legistis ex §. 1. *Inst. de obl. quæ ex del.* definitur esse *contrectatio frautulosa rei, vel usûs, aut possessionis, lucri faciendi causâ.* Dicitur 1. *contrectatio*, seu talis acceptio, per quam res de loco in locum movetur. 2. *fraudulosa*, id est, occulta, inscio & invito domino, qui nempe quodcunque jus reale habet in re, cum dolo, & scientia, rem esse alienam, sive vi tamen. 3. *rei*, scilicet alienæ, & corporalis: nam jura incorporalia, servitutes, actiones &c. cum tangi non possint, occupari potiùs, vel usurpari dicuntur, quàm contrectari, vel auferri, uti & res immobiles. 4. *usûs*, ut siquis re deposita, vel in pignus data, clàm utitur & fraudulenter. §. *possessionis*, ut siquis, licèt dominus sit, possessionem vel detentionem rei, alteri competentem, occultè auferat, v. g. debitor rem alteri in pignus datam. 5. *lucri faciendi causâ*, undè, qui rem alienam contrectat malitiosè destruendo, lacerando, in ignem projiciendo, non furti, sed damni injuriâ dati reus est. Cum dicta definitione taliter explicata quoad substantiam convenire videtur definitio furti, quam cum S. Thoma communiter tradunt Theologi his verbis: *Furtum est occulta accepti-*

rei

rei aliena, dominô rationabiliter invitô. Ratione rei ablatæ soritur varia nomina ac species: si homo liber clàm abducitur, *Plágium:* si pecora ex pascuis, *Abigeatus:* si pecunia publica, seu ad erarium Reipublicæ vel ad fiscum Principis pertinens, ab eo sublegitur, cujus fidei non erat commissa, *Peculatus:* si verò ab eo, cujus fidei erat commissa, seu ab administratore retinetur, vel in proprios usus convertitur, *Crimen de residuis* appellatur &c.

Furtum dividitur 1. in *simplex & qualificatum:* 2
istud est, quod fit cum violenta effractione, vel armis, ac propterea etiam dicitur *periculosum:* illud, quod fit sine tali circumstantia aggravante, licèt fortè janua vel arca rumpatur manu, vel aperiatur clave adulterina, mit einem Dietrich/ aut horreum, vel tugurium effringatur securi, aut de tecto removeantur tegulæ. 2. in *manifestum*, quando fur vel in ipso actu deprehenditur, & inclamatur, vel saltem antequam rem deportaverit ad locum illo ipso die, ad quem deportare destinavit, & ibi permanere: ac in *non-manifestum*, vel, ut loquuntur *nec-manifestum*, quando fur non ita deprehenditur, & inclamatur. 3. in Magnum & Parvum: *Magnum* in consideratione Juridica & in ordine ad pœnas publicas esse censetur, quod adæquat vel superat 5. solidos in pretio vel valore rei ablatæ. *Feud. 27. §. fin. Constit. Carol. V. art. 157. & 160.* Intelligitur autem per *solidum* aureus Hungaricus seu optimus, vulgo Kremnitzer/ qui apud nos modò valet 4. florenis & 10. crucigeris. Constitutio Carolina exprimit 5. solidos per verba, fünff Gülden / id

est, per florenos aureos optimos. Proinde *Parvum* erit, si valor rei ablatæ non attingat 5. solidos; neque hìc attenditur, an pauper vel dives sit, cui aliquid furtò subtrahitur. *Magnum* in consideratione Theologica & in ordine ad constituendum peccatum mortale, & ad inducendam obligationem gravem restituendi in conscientia, in genere rectè dicitur illud, quo auferatur tanta quantitas, ut dominus rationabiliter sit graviter invitus, seu quæ per se apta est causare gravem animi dolorem vel tristitiam in eo, cui auferetur. Quænam autem illa sit quantitas in specie, valde variant Theologi: aliqui statuunt quantitatem absolutam, & respectu omnium, quibus aliquid aufertur, æqualem: alii meò judicio meliùs quantitatem respectivam, ita ut major requiratur summa ad furtum magnum apud ditiores & minor sufficiat apud pauperiores, quibus aliquid sublegitur: & ex his aliqui quantitatem furti magni explicant per monetam pecuniariam, alii fortè meliùs per victum diurnum, & dicunt, tunc dominum rationabiliter esse graviter invitum, adeóque peccatum mortale committi, quando res in pecunia vel in aliis rebus tantum aufertur, quantum requiritur & sufficit ad comparandum victum unius diei, proportionatum statui & conditioni personæ, cui aufertur. Nec indè inferas, peccatum grave non esse, si Regi, Principi, vel alteri opulentissimo auferantur duo, tres, quatuor &c. aurei, quia his personis vix 10. vel 20. aurei sæpe sufficiunt ad victum unius diei; nam R. quamvis hujusmodi personæ subin in uno die consumant 10. vel plures aureos, iste tamen victus secundùm

desi-

designationem morali judicio factam non censetur esse proportionatus. Accedit, quòd, nisi respectu talium personarum duos vel tres aureos suffurari esset graviter prohibitum, via aperiretur nimis multa suffurandi Principibus &c. cum gravi Reipublicæ, & privatorum etiam, detrimento; cùm aliqui haud multum curent peccata venialia. Plura Theologis relinquo. 4. Dividitur in *Primum*, quod non præcessit aliud ab eodem homine commissum, & *Iteratum*, quod post unum vel plura præcedentia ab eodem homine committitur, adæquatè & moraliter à prioribus distinctum.

Dico 1. Furti reos se faciunt non tantùm, qui 3
per se ipsos res alienas fraudulenter sublegunt, sed etiam auxilium ferentes, & efficaciter cooperantes mandando, consulendo, consentiendo, approbando, farem cum re furtiva recipiendo & occultando, de re furtiva participando, rem furtivam emendo, furtum non impediendo, non manifestando &c. *§. 11. Inst. de obliq. quæ ex del. l. 48. §. 1. l. 50. §. 1. seqq. l. 52. §. 19. ff. l. 2. & 5. C. h. t. c. 4. eod.* Quæ ferè per hos versus exprimuntur: *Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, non Obstans, non Manifestans.* Unde illud axioma Germanicum, **der Hähler ist wie der Stehler.** Maximè ista procedunt quoad forum internum, & quoad obligationem restituendi: siquidem in foro externo non omnes illi cooperantes æquali pœna criminali afficiuntur cum ipsis furibus, sed solùm illi, qui ante furtum cooperati sunt proximè, & efficaciter (ita ut aliàs furtum non sequeretur) ac lucrandi animô, & qui in ipso actu furti taliter coope-

rantur, v. g. applicando ſcalas &c. Et de his procedit alterum axioma Germanicum: Mit geſtohlen mit gehencket.

4 Quæres, an Furti reus fiat (vel Rapinæ) qui in extrema vel quaſi extrema neceſſitate furripit, aufert, vel uſurpat res ad alium pertinentes, ut ſi quis aliàs perire fame, vel incidere in hoſtes, vel aliud vitæ vel membri amittendi, vel morbi incurabilis, aut ſaltem gravis contrahendi periculum incurrere deberet, niſi ex alieno acciperet alimenta, vel equum abduceret alienum ad capeſſendam fugam &c. R. negativè. Ita plerique omnes teſte Lugo ex ratione, quia in tali neceſſitate omnia fiunt iterum communia, ſicut erant ante diviſionem rerum Jure Gentium introductam, cùm ipſi Natura velit omnes & ſingulos homines extremè indigentes ex rebus creatis ſuſtentari & juvari, cui Jus Gentium derogare non potuit. Sed éſtne obligatio iterum reſtituendi vel compenſandi ablatum, caſu quo ille, qui furripuit alienum extremè indigens, poſtea pervenerit ad pinguiorem fortunam? R. Cum diſtinctione: vel res, quam abſtulit vel uſurpavit ad ſuccurrendum præſenti neceſſitati, adhuc exſtat in ſe, v. g. equus, quo quis evaſit hoſtes & periculum mortis? & puto dari obligationem reſtituendi tum propter communem ſenſum DD. tum quia res aliena clamat ad dominum, & datur radix reſtitutionis, nempe *res acceptа*. Vel res fuit conſumpta ab extremè indigenti, v. g. alimenta, vel pecunia, qua ſibi procuravit alimenta ad conſervandam vitam &c. Et tunc probabiliùs non eſt obligatio faciendi compenſationem. Sylv. Laym. Barboſa &c. Contra Nav. Covar. Lugo.

Lugo. Ratio est, quia non datur obligatio *ex injusta acceptione*, quia accipiens in extrema necessitate alienum (imò non alienum, cùm hoc casu facta sit res accipientis) non egit illicitè, nec *ex re accepta*, utpote quæ ponitur non ampliùs exstare, nec *ex contractu*, quia accipiens nullum celebravit: ergo ex nullo capite datur obligatio restituendi, cùm alia radix restitutionis non detur. Accedit, quòd licitè rem consumens acquirat ejus dominium irrevocabiliter, ita ut nihil teneatur ampliùs restituere, cùm talis consumptio sit modus acquirendi dominium. *arg. l. 48. ff. de acquir. rer. dom.* Verùm *Objicies:* In extrema necessitate res non fiunt communes absolutè, sed solùm conditionatè; item dominus non absolutè consentit in ablationem, sed sub conditione restitutionis, casu quo accipiens poterit, & hinc non acquirit dominium absolutè, sed rem accipit quasi mutuam, & sic ex contractu *Mutui* taciti datur obligatio restituendi: ergo. R. *N. ant.* In statu primævo ante rerum divisionem, ad quem res deveniunt in extrema necessitate, res fuerunt communes non conditionatè, sed absolutè: dein in potestate domini non est sub conditione compensationis concedere usum & consumptionem rei, quam Jus Naturæ omnibus voluit esse communem ad tollendam præsentem necessitatem, nec rem, non ampliùs exstantem, concedere per modum *Mutui*, aut translationem dominii irrevocabilis, quod Jura tribuunt consumptioni justæ, impedire.

Dico 2. Ex furto pro foro externo dantur duplicis generis actiones: *Civiles & persecutoriæ rei*, utì vindicatio, condictio furtiva, &, quæ ad §

has

has præparatoria est, actio ad exhibendum. *§. fin. Inst. de obl. quæ ex del. l. 7. ff. de condict. furt. l. 19. §. 1. l. 54. §. 3. ff. h. t.* Rei vindicatio tæquam actio realis datur domino contra quemcunque rei furtô ablatæ possessorem: Condictio furtiva, quæ est actio personalis, præter naturam aliarum actionum personalium, quæ aliàs non domino, etiam conceditur domino, at contra furem tantùm (imò & ejus hæredes, propter singulare odium furum, pro viribus hæreditatis. *l. 9. ff. de cond. furt.* cùm aliæ condictiones ex delicto, rei persecutoriæ solùm dentur contra hæredes, quantum ad eos ex delicto pervenit spectato Jure Civili) ut rem, si exstet, restituat, vel, si non exstet, æstimationem, quanti nempe post furtum commissum unquam plurimi fuit. *l. 7. cit. §. 2. l. seq. pr. & §. 1.* Dein dantur & actiones *Criminalis, & persecutoria pœnæ*, nimirum actio vel potiùs accusatio furis ad vindictam publicam, seu ad pœnas à Jure statutas ipsi infligendas, de quibus statim, utì & actio furti duplex, Prætoria ex furto manifesto ad quadruplum, & Civilis ex furto non manifesto ad duplum, cui quadruplo vel duplo simplum, seu persecutio rei, non inest. *§. 5. & fin. Inst. de obl. quæ ex del.* unde & vindictio, vel condictio furtiva, præter actionem furti intentari potest. An verò pœna quadrupli vel dupli ab usu recesserit, dubitant DD. & tam diu negandum, donec contraria consuetudo particularis loci satìs probetur.

6 Dico 3. Pœna furti de Jure Civili, quamvis olim non fuerit capitalis, sed extraordinaria, quia olim fuerat delictum privatum. *l. ult. ff. h.*

ff. h. t. hodie tamen, si tertium & simplex sit, & unum vel omnia tria simul conficiant ʃ. solidos, seu constituant furtum magnum, apud viros est suspendium, apud fœminas suffocatio in aquis, vel aliud mortis genus, v. g. gladius. *Const. pœnal. Carol. V. art. 162.* Si verò omnia tria non conficiant ʃ. solidos, controversia est, an sit pœna mortis infligenda; videtur tenendum benignius. Si furtum simplex primum sit magnum, vel secundum, attingens ʃ. solidos, pœna est arbitraria, v. g. positio pro numellis, auf den Pranger stellen/ relegatio &c. si primum & parvum, conceditur actio furti vel quadrupli, &, si fur non sit solvendo, compingendus est in carcerem. Vid. *d. Const. Caroli art. 157. 158. 160. 161. 164.* Si denique furtum fuerit qualificatum, seu violentum cum effractione, armis &c. etiam primum & parvum prædictâ laquei, vel aquæ, pœnâ punitur, nisi circumstantiæ exigant pœnam mortis mutari in gravem corporalem, qualis esset amputatio manûs, exoculatio &c. *Const. Carol. art. 159.* Quòdsi fur morte vel alia pœna corporali punitus fuerit, & res furtô ablata adhuc exstet, reddi debet domino, si non exstet ampliùs, neque fur neque hæredes ad aliquid tenentur; cùm mors omnia solvat. per ʃ. *fin. cit. l. 2. C. h. t. & Nov. 22. c. 20.* De Jure Canonico pœna furti notorii est infamia, consequenter & irregularitas. *c. fin. h. t.* si Clericus de furto magno, vel iterato, convictus fuerit, est depositio verbalis. *can. 12. d. 81.* si depositus non resipiscat, excommunicatio ferendæ sententiæ; si neque tunc se emendet, degradatio & traditio in manus sæcularis Judicis. *c. 10. de Judic.*

TITU-

TITULUS XIX.

De Usuris.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid & quotuplex sit Usura.*
3. *Usuræ strictè lucratoriæ Jure, etiam Naturali, sunt prohibitæ.*
4. 5. *At solùm conditionato, nisi statutum vel consuetudo illas permittat.*
6. *Compensatoriæ, & moratoriæ sunt licitæ.*
7. *Quinam sint justi tituli aliquid exigendi ultra sortem mutuò datam.*
8. 9. *Nec emptio Censûs realis vel personalis,*
10. *Neque Cambium, Montes pietatis, contractus Societatis &c. continent usuram.*
11. *Bene tamen contractus Móhatræ, Anatocismus, pactum Antichreseos &c.*
12. *An sit obligatio solvendi usuras promissas.*
13. *An acceptas restituendi. Et cui.*
14. *Quæ sint pœnæ usurariorum.*
15. *Quid statuat S. C. Macedonianum &c.*

1 USura propriè, & objectivè sumpta, est *lucrum immediatè ex mutuo proveniens*: formaliter accepta est conventio vel pactum de tali lucro ultra sortem creditam (seu capitale mutuò datum) dando quasi ex justitia debito, ut si mutuos alteri des centum, & stipuleris ut præter sortem, seu creditos 100. suo tempore amplius aliquid vel semel, vel singulis annis, v. g. 5. aut 6. aut 10. solvat ex solo titulo *Mutui*. Nec

est

est necesse, ut illud *lucrum*, seu auctarium, consistat in pecunia, sed sufficit, si res alia (vel etiam obsequium, aliunde non debitum) prætiô æstimabilis exigatur vel accipiatur, quasi debita ex obligatione Justitiæ: necesse tamen est, ut lucrum præcisè proveniat ex *Mutuo*; si enim proveniret ex alio contractu, emptione, venditione, locatione, conductione, societate &c. Usura non committitur, nisi forsan *Palliata. Tacita*, aut *Virtualis*, sicut quidam, ut evitent turpe nomen *usurarii*, versutè non vocant contractum *Mutui*, sed alium prætendunt, Emptionem &c. ex quo lucrum quærunt ultra sortem. Unde hìc etiam examinabimus illa negotia, in quibus intervenire potest usura Palliata, item alios contractus, qui videri possunt esse usurarii, non tamen sunt.

Dixi autem, Usura *propriè sumpta*, ubi nempe 2
alius titulus seu justa causa aliquid ultra sortem accipiendi præter Mutuum non intérvenit, & communiter appellatur *usura lucratoria*; si enim alius adesset titulus, v. g. damnum emergens, lucrum cessans &c. respectu Mutuantis, usura foret *Compensatoria*, & non tam lucrum, quàm *interesse*, seu *quòd interest*, dicendum foret, quod exigitur & accipitur à Mutuatario; item, si mutuans paciscatur cum mutuatario, ut, si intra certum tempus non reddat mutuum, propter moram quasi in pœnam aliquid solvat ultra sortem, usura *Punitoria*, vel *Moratoria* dicitur; demum si ex alio justo titulo, v. g. ex mera liberalitate mutuatarii, vel ratione statuti vel consuetudinis, quos titulos pariter examinabimus, aliquid ultra sortem mutuò datam accipiatur, non datur usura

pro-

propriè & strictè dicta, seu merè lucratoria ex Mutuo. *Mutuum* verò *formaliter* sumptum definitur esse *contractus realis, Juris Gentium, Nominatus, Unilateralis, & stricti Juris, quo res fungibilis* (pecunia frumentum &c.) *in alterum transfertur ea lege, ut res ejusdem generis, quantitatis, & qualitatis restituatur*, scilicet post aliquod temporis intervallum morale, intra quod mutuataria re mutuò data, cujus dominium acquirit, uti & utendo consumere potuit. *Mutuum objectivè*, sumptum est res mutuò data. Qui dat Mutuum, *Mutuans* vel creditor, qui accipit, *Mutuataria* dicitur, vel debitor. Lucrum indè acceptum vocatur quoque *fœnus*, vel *usura*. Ex hucusque dictis patet, quòd Usura alia sit *Lucratoria*, alia *Compensatoria*, alia *Moratoria*: item alia *Formalis* & *Manifesta*, alia *Virtualis, Palliata*, aut *Tacita*. Rursus alia est *Realis*, vel *Conventionalis*, quando datur mutuum cum pacto expresse vel tacito, de lucro ultra sortem seu summam creditam: alia *Mentalis*, quæ non consistit in voluntate interna capiendi lucrum ex Mutuo, & rectiùs vocaretur *Interna*, sicut de *Simonia* diximus, cum qua magnam vicinitatem habet Usura, sed consistit partim in actu externo mutuationis partim in intentione (exteriùs tamen non manifestata) accipiendi aliquid ultra sortem quasi ex Justitia debitum, & hinc pactum completum non involvit. Denique sunt & aliæ species, nimirum *Centesimæ*, ubi pro 100. quolibet anno exiguntur 12. velut lucrum, nempe quolibet mense pro centum unus florenus: *Bessales*, ubi pro 100. petuntur 8. *Semisses*, ubi 6. *Quincun-*

ces,

tes, ubi 5. *Quadrantes*, ubi 3. & *Trientes*, ubi 4. nam ter quatuor, vel quater tria, conficiunt duodecim, seu totum in 12. uncias divisum.

Dico 1. Usura Lucratoria, seu propriè dicta, quamvis de *Jure Civili* (nisi sit excessiva, vel usura usurarum) sit permissa. *l. 1. l. 26. §. 1. l. 28. &c. C. h. t.* *Jure* tamen *Canonico* graviter est prohibita. *t. h. t. x. & in 6. Clem. un. §. fin. eod.* Imò etiam *Jure Divino Levit. 25. Deut. 23. Psal. 54. &c. Luc. 6.* textus *Levit. 25. v. 36.* sic habet: *ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quàm dedisti - - pecuniam tuam non dabis ad usuram.* Quin & *Jure Naturali*, quod prohibet capere lucrum ex re aliena, & non ampliùs sua: sed res mutuò data non ampliùs est mutuantis; item prohibet exigere aliquid vel accipere sine justo titulo, qualis non est titulus solius Mutui; vel aliquid accipere ultra summum rei pretium. Adde, quòd *c. 4. h. t.* dicatur, *usurarum crimen utriusque Testamenti paginam detestari:* atqui non aliæ Leges Veteris Testamenti post Christi Adventum perdurant, nisi *Morales*, seu fundatæ in lege Naturæ: ergo. 3

Objic. 1. Usuræ non petuntur vel accipiuntur nisi volente & consentiente mutuatario: ergo sine injuria & injustitia; quia liberè consentienti non fit injuria. 2. In omni contractu licitum est conditiones apponere. *c. 85. de R. J. in 6.* imò etiam in emptione-venditione spectato Jure Naturali licitum est Partibus convenire de minori pretio, quàm aliàs rei valor sit: ergo etiam in Mutuo licebit, spectato Jure Naturali, mutua Partium voluntate conditionem de auctario ultra sortem solvendo pacifici. 3. In Mutuo cedit pecunia mu-

tuata in commodum solius mutuatarii: ergo æquum est, ut vicissim mutuans recipiat commodum ex usuris propterea sibi solvendis. 4. Conductor debet præter rem sibi locatam suo tempore & post usum reddere mercedem: ergo æquum non est, ut mutuatarius præter rem mutuo acceptam reddat usuras velut mercedem. 5. Si consuetudinis vel statuti licitum est accipere 5. vel 6. pro 100. mutuò datis, quos vocant *usus Germanicos*: ergo Jure Naturali, contra quod utique nihil valet consuetudo vel statutum, non est illicitum accipere in Mutuo aliquid ultra sortem. R. ad 1. Mutuatarius non consentit spontè, sed adactus partim propriâ indigentiâ, cùm aliunde non habeat, ex quo sublevet præsentem necessitatem, partim averitiâ mutuantis mutuum non dantis nisi sub usuris. Ad 2. *dist. ant.* licitum est apponere conditiones justas. *C. Ant.* quascunque, etiam iniquè prementes. *N. Ant. & C.* Etiam in aliis contractibus non est licitum apponere conditiones, quibus inter contrahentes inducitur inæqualitas, & unus necessitate pressus cogitur eas amplecti, v. g. ut venditor debeat infra justum pretium infimum rem vendere. Ad 3. Ubi alius non datur titulus accipiendi aliquid ultra sortem, nisi quòd mutuatario ex mutuo adveniat utilitas, iniquè accipitur; sicut si velles vendere rem majori pretio, quàm sit summum, ex eo capite tantùm, quòd emptori alioqui sit utilitatem. Ad 4. *C. Ant. N. Cons.* Res locata manet in dominio locantis, adeóque huic debet fructificare, præsertim cùm periculum ipsum sit periculum rei: econtra res mutuata non

mu-

manet in dominio mutuantis, sed transit in mutuatarium, & penes hunc est periculum: ergo huic, non mutuanti, fructificare debet. Ad 5. *Antec.* quamvis plurimi negent, ego tamen admitto, & statim probabo, *N. Cons.* vel *dist.* ergo non est illicitum Jure Naturali absoluto. *C. Cons.* conditionato, seu sub conditione, nisi Legislator humanus faciat statutum contrarium, vel opprobet consuetudinem usuras permittentem. *N. Cons.* Unde

Dico 2. Usuræ lucratoriæ moderatæ, quas 4
accipiendi alius titulus, v. g. damni emergentis, lucri cessantis, periculi amittendæ sortis (quia v. g. mutuas dans pecunias cum illis non negotiaretur, pro credita sorte obtinet securam hypothecam &c.) non facit licitas, per statutum loci, vel consuetudinem, probabiliùs licitæ: seu statutum vel consuetudo est justus titulus aliquid ultra sortem mutuò datam accipiendi, seu usuras lucratorias (abstrahendo, an velis vocare strictè vel minùs strictè lucratorias, quia accipiuntur ex aliquo justo titulo.) Ita præter Heterodoxos, Theologos, quos hac in re non magni facio, etiam Catholici, Emmanuel Saà, Adam. Tannetus *de J. & J. to. 3. d. 4. q. 7. dub. 3. n. 79.* Haunold. *de J. & J. to. 3. tr. 9. n. 421.* & teste Tannero multi Scholastici: ex Juriseonsultis D. Gletle *in Assert. Jurid. assert. 54.* Alph. Villagut. Neapolit. *de Usuris q. 13. concl. 4.* Hugo Donell. Jac. Curt. Molinæus, Hottom. Coler. & alii apud & cum Petro Heigio *in Q. Q. Juris. p. 2. q. 1.* Accessit nuper P. Placidus Böckn *h. t. n. 7.* Dixi, *moderatæ*, & aliunde non repugnantes charitati, seu *non mordentes*, ut appellantur.

Prob. 1. Respublica obtinet dominium altum in bona subditorum, ita ut ex causa bonum publicum concernente de illis disponere, & dominium quoque ab uno in alium transferre valeat, uti patet in lege Præscriptionis: ergo etiam vi hujus dominii alti potest moderatas usuras ex Mutuo concedere mutuanti, si detur causa bonum publicum concernens, nempe vel necessitas vel utilitas publica: atqui hujusmodi causæ plures dantur, nimirum *evitatio litium*, quæ alioquin emergerent circa titulum exigendi usuras, nempe an mutuans patiatur damnum emergens, lucrum cessans, periculum amittendæ sortis &c. dein *facilitas obtinendi mutuum*, Reipublicæ membris generaliter valde utilis, imò sæpe necessaria, quod tamen refrigescente charitate non facilè daretur, nisi aliquid indè lucri sperare possunt mutuantes, qui mallent res suas & pecunias retinere, etiam otiosas, quàm translatô dominiô alienæ fidei committere: item *tranquillitas conscientiarum*, & evitatio scrupulorum: demum & *subsidium* Ecclesiis, locis Religiosis, causis piis, viduis, pupillis, & aliis personis, quæ per se ipsas negotiando &c. difficulter vel omnino non sustentare se possent, nisi ipsis liceret ex suis pecuniis mutuò datis lucrum, & indè alimenta quærere. Quod argumentum sic potes contrahere: Respublica propter hujusmodi causas per leges Præscriptionum tribuit ipsum rerum alienarum dominium licitè ac justè, uti fatentur omnes: ergo à fortiori potest tribuere lucrum moderatum ex rebus alienis in Mutuo. Prob. 2. à posteriori. Recessus Imperii de anno 1530. 1548. titt. Von wucherlichen Con-

tra-

tractett. 1577. & 1600. indistinctè approbant usuras moderatas ex Mutuo, nempe quincunces, seu 5. pro 100. Statuta Austriaca semisses, seu 6. pro 100. Idque receptum est universali praxi & consuetudine etiam virorum doctorum, DEúmque timentium, tam Ecclesiasticorum, quàm Laicorum, ita ut etiam in Judiciis nullo alio, præter Mutuum, allegatô titulô petantur & adjudicentur dictæ usuræ: quis autem hæc statuta, & iis consonam praxim tam universalem timoratorum hominum, arguat velut injusta, aut Juri Naturali contraria?

Objic. 1. In *Clem. un. h. t.* reprobantur sub § pœna excommunicationis omnia statuta, usurarum exercitio faventia, & qui in tantum errorem inciderint, ut eas licitè exerceri posse existiment, tanquam hæretici dicuntur esse puniendi: ergo, sicut Principibus circa materiam hæresis nulla est potestas, ita neque circa usuras aliquid statuendi. 2. In *c. 4. eod.* negatur potestas dispensandi ad usuras accipiendas ex ratione, quia *utriusque Testamenti pagina eas detestatur*, & quia magis sunt prohibitæ, quàm *pro alterius vita mentiri:* ergo, sicut mendacium, etiam ex bono fine, reddi non potest licitum per ullum statutum aut consuetudinem, ita nec usuræ. 3. Principes nequeunt immutare naturas rerum, & res ex natura sua infructiferas reddere fructiferas: sed pecunia mutuò data ex natura sua sterilis est & infructifera &c. 4. Recessus Imperii & Consuetudo non permittunt usuras ratione Mutui, sed vel ratione *alterius tituli*, saltem præsumpti, v. g. lucri cessantis ex pecunia mutuò data; nam Recessus Spirensis de anno 1600.

ff. 139. sic ait: So vil nun diſem nach NB. der Vermuthunng halber/ daß der Creditor (mutuans) ſein Geld von ſolcher Zeit an/ anlegen/ und zugelaßner Weiß zum wenigſten vom hundert Gulden fünff wohl haben möge ꝛc. ergo, ubi alius titulus non concurrit, ceſſat præſumptio, & in foro ſaltem interno cedere debet veritati: vel ratione *alterius contractûs*, v. g. Cenſualis: qua de cauſa fortè in Germania hæ uſuræ vocantur *cenſûs*, Jährliche Zünß. ergo.

§ R. ad 1. Illa prohibitio intelligenda eſt de ſtatutis, improbum fœnus, ſeu uſuras exceſſivas, mordentes, legi charitatis adverſas, non verò moderatas ex cauſa boni publici, approbantibus; nam Eccleſia nec vult nec poteſt dominium altum Reipublicæ ab ipſo DEO conceſſum intervertere. Cum hæreſi comparari proin nequeunt dictæ uſuræ moderatæ ex cauſa boni publici permiſſæ. Ad 2. Aliud eſt diſpenſare ex cauſa privata, ſeu ob cujus privati bonum ſpectante, & aliud ex cauſa publica per legem aliquid permittere: per diſpenſationem nec Pontifex poteſt uſuras facere licitas, bene tamen per legem quilibet Princeps in ſuo territorio. Reflecte te ad legem Præſcriptionis. Cum mendacio, utpote prohibito de jure Naturali abſoluto, non cónvenit uſura moderata ob bonum publicum permiſſa vi dominii alti. Ad 3. Quamvis pecunia in ſe & naturaliter ſit infructifera, eſt tamen civiliter frugifera, ſi nempe accedit vel induſtria hominis, vel diſpoſitio Legis. Et hinc etiam in pecunia conſtitui poteſt *quaſi uſusfructus. l. 1. l. 2. ff. de uſufr. ear. rer. quæ uſu conſumuntur.* ſic quoque domus fit civiliter frugifera. Ad

N. Ant.

N. Ant. utrumque ; nam anteriores Receſſus nihil prorſus habent de *præſumptione tituli* ; ille autē de anno 1600. ſolum ideo dictæ præſumptionis mentionem facit, ut ad minimum ſ. pro 100. mutuò datis adjudicentur, niſi nempe creditor probet, ob lucrum ceſſans & damnum emergens plus ſibi deberi, ut patet ex contextu : ergo ſ. pro 100. non tam propter præſumptionem alterius tituli, quàm abſolutè propter Mutuum concedit. Dein ſi lex vel ſtatutum præſumat aliquid generaliter, in utroque foro vim habet pro omni caſu, etſi in caſu particulari non ſubſit, quod præſumit, ut patet in Lege Tridentina Matrimonium clandeſtinum irritante. Si igitur juxa Adverſarios Receſſus Imperii præſumit generaliter, juſtum eſſe lucrum ſ. ex 100. in mutuante, non ceſſat vel vim ſuam non amittit in caſu particulari, ubi per accidens non datur lucrum ceſſans. Et ita Receſſum explicat quoque univerſalis conſuetudo. Quòd autem Receſſus prædicti non *ratione alterius contractûs*, v. g. Cenſualis, concedant ſ. pro 100. manifeſtum eſt textus inſpicienti, ubi expreſsè, & tantùm, mentio fit *Mutui*, des Anleyhens. Cœterùm vel in emptione cenſûs ex bonis alienis ſolvendi adeſt aliquis alius titulus, lucri ceſſantis, damni emergentis &c. vel non ? ſi adeſt, non ex emptione percipitur cenſus ; ſi non adeſt, tunc reipſa idem fit in emptione Cenſûs, quod in contractu Mutui, & re ipſa ex alienis rebus percipitur fructus vel lucrum ſine alio, quàm *contractûs*, titulo. Cur ergo potiùs ex contractu *Emptionis*, quàm ex contractu *Mutui*, liceat ultra ſortem pecuniariam alteri datam aliquid percipere ? Certè tantùm mu-

tantur nomina contractuum, reipsa autem sit idem.

6 Dico 3. Usuræ Compensatoriæ. 2. Et Moratoriæ vel Punitoriæ, omni Jure sunt licitæ. Ita communissima ferè omnium excepto Scotô & paucis antiquis. Pars 1. fundatur in æquitate Naturali, quæ dictat, nemini damnosum esse debere beneficium, quod alteri præstat. *l. 7. ff. Test. quemadm. aper.* nec mutuatarius ægrè ferre debet, si teneatur mutuantem, benefactorem suum, servare indemnem, & compensare ipsi damnum, quod mutuans incurrit vel meritò timet ex mutuo dato, v. g. si mutuum det frumentum, ac ideo postmodum ipsemet majori pretio cogatur emere: vel si teneatur resarcire lucrum, quod mutuanti cessat ex mutuo, v. g. si pecuniis, quas alteri dedit mutuas, emisset rem fructiferam, agrum &c. vel cum iis negotiando lucrum fecisset vel facere speraret &c. Ut autem licitum sit ob damnum emergens vel lucrum cessans, exigere aliquid ultra sortem (seu ut liceant usuræ compensatoriæ) requiritur 1. Ut Mutuum verè sit causa damni emergentis vel lucri cessantis. 2. Ut usuræ non excedant damnum vel periculum damni, aut lucrum vel spem lucri. 3. Ut mutuans præmoneat mutuatarium de damno emergente, vel lucro cessante. 4. Ut interesse pro illo non statim exigatur, sed primùm, quando reddendum est mutuum, post intervallum morale. Pars 2. probatur exinde, quia exactio auctarii tanquam pœnæ propter moram in solvendo non est ullo Jure prohibita, imò sæpè apertè concessa, quia servit ad firmandos contractus, eósque certiùs executioni mandandos. *l. 14. C. de Pact. c. 4. de Arbitr.* Nec refert, utrum pœ-

pœna in morosos mutuatarios constituta sit à Lege, Statuto, Consuetudine, uti constituisse videtur *Recess. Imper. de anno 1600. §. 139. cit.* & consuetudo Germaniæ; vel ex pacto contrahentium: ut autem licita sit hæc pœna conventionalis, requiritur 1. Ut absit omnis fraus, qualis foret, si tempus tam breve præfigeretur, ut mutuatarius nequeat moraliter intra illud exhibere sortem sibi creditam. 2. Ut mutuatarius verè sit in culpa, præfixo tempore vel nolendo solvere, vel culpabiliter se reddendo impotentem ad solvendum. 3. Ut mora sit notabilis. 4. Ut pœna sit moderata, & culpæ proportionata. Ubi statutum vel consuetudo constituit pœnam, præsumi videtur mora culpabilis.

Quæres, quinam sint justi tituli ultra sortem aliquid exigendi & accipiendi? R. 1. sequentes. 1. Damnum emergens. 2. Lucrum cessans, ut explicavi paulò antè. 3. Periculum sortis amittendæ, siniminum mutuatarius sit pauper, parùm fidus &c. nec mutuanti satis caveat per pignora, fidejussores &c. de recuperanda sorte. 4. Assecuratio sortis, si nempe creditor, seu mutuans, suscipiat in se periculum sortis forsan perituræ, quod periculum aliàs foret penes mutuatarium, cujusmodi periculorum susceptio est pretiô æstimabilis; si proin aliquid juxta prudentis arbitrium exigatur pro ratione periculi, in compensationem exigitur justè, & usura evadit compensatoria. 5. Mora culpabilis mutuatarii, uti dictum. 6. Statutum, aut Consuetudo loci, juxta nos, ut ostensum in *Assert.*. 2. R. 2. Justus tamen titulus non est 1. Sola carentia pecuniæ in alterius gratiam, vel obligatio mu- 7

tuum non repetendi ad certum tempus; quia illa carentia est aliquid Mutuo intrinsecum, vi autem solius Mutui nihil accipi potest: & Alex. VII. damnavit hanc propositionem ordine 42. *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, ss obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* 2. Major æstimabilitas pecuniæ præsentis quàm futuræ; nam Innoc. XI. anno 1679. proscripsit hanc propositionem numerô 41. *cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & melius sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usuris excusari.* 3. Dilatio solutionis pro re venditâ. *c.h. 10.h.t.* si nempe venditor plus exigat, quàm justum mercis prætium, ideo præcisè (si nempe alius titulus non accedat, v. g. lucrum cessans &c. ut omnem contingit apud mercatores, qui ex pecunia statim soluta possent facere lucrum negotiando) quia non statim solvitur pretium. 4. Anticipata solutionis, ut si minus, quàm justum rei pretium solvatur præcisè ideo, quia solutio fit in promptu vel anticipatò, ut colligitur à contrario ex *d.c.* Jam de Contractibus, qui de usura suspecti cuntur,

8 Dico 4. Emptio censûs, tam realis quàm personalis, tam redimibilis quàm irredimibilis, si debitè fiat, est licita, seu contractus Censualis per se non est usurarius. Ita communis. *Census* hoc loco est annua pensio, vel potiùs jus annuam pensionem v. g. 5. pro 100. percipiendi vel ex re alterius fructifera, & hìc census est *realis*, vel ex industria personæ, per artem, laborem, negotiationem &c.

&c. lucrum facientis, & hic est *personalis*. Si venditor paciscatur, ut sibi liceat pensionem redimere certo tempore, vel quando libuerit, restitutô pretiô, vocatur *redimibilis ex parte venditoris*: si emptor quoque reservet sibi jus revendendi venditori repetitô pretiô, est *redimibilis ex utraque parte*: si ita paciscantur, ut neutri, altero invito, liceat redimere vel revendere, dicitur *irredimibilis*. Ille, qui emit census, *Creditor* vel *Censualista* nuncupatur; qui vendit, *Debitor* vel *Censuarius*. Cœterùm censûs natura est, ut pereunte re censuali, ex qua præstandus est, & personâ ad lucrum faciendum ineptâ redditâ, pariter cesset, quin ab emptore repeti possit pretium, quia post perfectam emptionem-venditionem periculum est emptoris. *l. 1. ff. de peric. & comm. rei vend.* Jam assertio

Probatur quoad censum *realem* ex *c. 12. de empt. & vend. Extrav. comm.* & ex hac ratione; quia v. g. totum prædium, seu jus ad omnes illius fructus, emi licitè potest: ergo etiam jus ad partem fructuum, seu pensionem fructuariam: ergo & pensionem pecuniariam licet emere; cùm pecunia recipiat æstimationem omnium rerum. Quoad *redimibilem ex parte venditoris* ex *citt. cc. Constit. Cùm onus S. Pii V. & l. 2. C. de pact. int. empt. & vendit.* Quoad *redimibilem ex utraque parte* tum ex consuetudine, tum ex hac ratione, quia totum prædium fructiferum v. g. vel totus ususfructus licitè emitur & venditur cum pacto, ut cuivis parti liceat redimere vel revendere, uti dictum ad *tit. de Empt. & Vendit.* cur fas non sit pari lege partem ususfructûs seu censum emere ac vendere? Dein manet adhuc sufficiens differen-

rentia inter *Mutuum* & *Censum*, quia in illo periculum est penes mutuatarium, & mutuans lucrum capit absque onere; in isto autem periculum est penes emptorem, qui & pretium pro pensione debuit exponere. Constitutionibus S. Pii V. & Imperatorum Maximil. I. Caroli V. & Rudolphi II. contrariis derogavit Consuetudo. Quoad *irredimibilem* ex ratione negativa, qua non apparet ulla ratio, cur ita conveniri nequeat. De censu *personali* denique tum ex paritate cum censu reali, præsertim cùm in censu personali majus sit periculum pensiones annuas obtinendi; tum ex paritate cum locatione operarum pro mercede vel pensione; si enim pro pensione locari potest opera, & conduci, cur emi & vendi nequeat opera, vel pensio ex opera proveniens? Constit. S. Pii V. *Cùm onus*, qua videtur prohibita emptio censûs personalis, vel nunquam est recepta, vel contrario usu abrogata. Dic autem, *si debitè fiat*, nimirum si pretium attentis circumstantiis sit justum, & juxta Statutum vel Consuetudinem loci: si res censui subjecta, in scio Censualista, non alienetur in alium, à quo solutio censûs obtineri nequeat, vel non nisi difficulter &c.

9 *Objic.* 1. Qui emit censum, v. g. 5. pro 100. annuatim solvendos, post lapsum 20. annorum accipit totam summam capitalem, nimirum 100. florenos, & post 40. annos accipit duplum, nempe 200. florenos, ac insuper in debito manet tota summa capitalis: sed hoc est iniquum. 2. Non apparet quid ematur in contractu Censuali; nam si dicatur emi pensio, ista successu temporis longè ver-

scen-

scendit summam capitalem, ut vidimus: si pensio una cum dilatione solutionis, propter moram & dilatam solutionem aliquid exigitur, quod juxta plerosque est usurarium: si jus percipiendi pensiones annuas, emitur aliquid, quod nondum existit; si enim jus tempore contractûs jam existeret, statim prima pensio retineri posset, & pro 100. dari possent 95. quod juxta omnes est usurarium; deinde jus ad pensiones tanti æstimatur, quanti ipsæ pensiones annuæ, sicut equus & jus ad equum parem habent æstimationem: ergo, sicut ipsæ pensiones futuræ sortem longè transcendunt, ita & jus ad illas, consequenter inter datum & acceptum non datur æqualitas, adeóque injustitia committitur. R. ad 1. In æstimatione morali illæ pensiones post multos annos successivè solvendæ non valent plus, quàm pretium emptionis datum, &, quatenus sunt in spe, non valent tantum, quantum valerent simul omnes præsentes, & quatenus sunt in re; dum contingere potest, ut fructus vel non nascantur, vel non solvantur: pensiones autem pecuniariæ variis periculis, laboribus, & molestis sollicitudinibus obnoxiæ sunt. Dein *retorq. argum.* si ipsa res frugifera tota, v. g. ager, ematur v. g. 1000. florenis, post 20. annos indè percipi possunt tot fructus, qui adæquant vel superant 1000. florenos, & post 40. annos duplum, ac insuper manet ager ementi. Et hoc juxta te licet: cur ergo non liceat ita emere partem fructuum agri per constitutionem censûs. Ad 2. dico, quòd ematur jus percipiendi pensiones annuas futuras, quod jus sufficienter est præsens, & existit, ut si ematur jus piscandi, captus

pis-

piscium &c. Neque hoc jus moraliter tanti æstimatur, quanti pensiones actu jam solutæ. Paritas cum equo & jure ad equum non est, quia equus simul & semel existit, non autem pensiones, succesſivè quotannis solvendæ.

Dico 5. Usuram per se non continent 1. Cambium. 2. Montes pietatis. 3. Pactum de refundendo Mutuo in eadem forte, bonitate, & quantitate. 4. Contractus societatis. *Cambium*, Wechſel est contractus permutationis in pecunia facta cum moderato lucro: si pecuniæ sortis ac speciei diversæ commutentur, v. g. denarii, sesterci vel alia moneta minor detur pro majori, talento florenis; vel moneta argentea pretio æquivalens pro aurea, vocatur *reale* vel *manuale*: si autem pecunia præsens pro absente & cum obligatione, ut in alio loco sibi vel alteri in eadem quantitate reddatur alia pecunia, v. g. Romæ, Francofurti &c. dicitur *locale*, vel, quia refusio demandari solet per litteras, *litterarium*: qui pecuniam alio loco recipiendam, offert, *Campsarius*, qui præstare tenetur, *Campsor* appellatur. *Cambium* ex multis titulis fit licitum, nempe propter laborem & curam in aggregandis variarum specierum mercatis, in earum numeratione, transportatione, scribendis litteris &c. propter sumptus in habendis & sustentandis famulis rei peritis ac fidelibus, propter pericula amittendi pecunias in viis, mutandi valoris monetarum &c. quæ in se suscipit campsor; cujusmodi causæ omnino sufficiunt, ut justè exigatur lucrum, majus vel minus pro gravitate periculorum, magnitudine sumptuum, laborum, sollicitudinum &c. *Montes pietatis* sunt

sunt ærariа, piorum hominum liberalitate, ad sublevandas indigentium necessitates mediante Mutuo, & publica authoritate constituta, ex quibus pecuniæ mutuantur petentibus ea lege, ut pro assecuratione illarum dent pignus, &, si debitum præfixo tempore non solvatur, vendatur pignus pretiô, quo potest, maximô: ex quo pretio solvitur Monti sors credita, & subinde etiam modicum quid ultra, v. g. 1. pro 100. ad sustentandos ministros, qui debent habere pecunias paratas, pignora custodire, distrahere &c. non sine magno labore: residuum verò pretii ex distracto pignore collecti restituitur mutuatario. Hujusmodi Montes licitos esse Catholici plerique defendunt contra quosdam Hæreticos, partim ob allatam rationem salarii ministrorum, partim propter Concil. Lateran. sub Leone X. *sess. 10.* & Trid. *s. 22. c. 8. de Ref.* Et sic probata est pars 1. & 2. Pars 3. sumitur tum ex *c. fin. V. ille quoque h. t.* tum ex eo, quòd servetur æqualitas inter datum & acceptum, atque periculum damni, & spes lucri, ex utraque parte sit æqualis. Excipe, nisi mutuans prævideat, certò vel probabiliùs majorem tempore solutionis fore valorem, nec ipse eam servâsset in illud tempus. *c. fin. cit.* aut nisi obliget mutuatarium, ut antè non reddat mutuum, quàm valor vel pretium rei creverit. Pars 4. ex *§. 1. 2. seqq. Inst. de societ. l. 31. ff. & t. t. C. pro socio.* Est autem *contractus societatis* ille, quo duo vel plures conferunt res & operas suas communis lucri gratiâ, vel quo unus res, & alter operas: si tamen conferens res vel pecunias id ageret, ut sibi quidem commune cederet lucrum, sors

tamen

tamen salva persisteret quocunque casu eveniente, usuram non evitaret. *l. 29. §. fin. ff. eod.*

11. Dico 6. Usuram econtra, palliatam nempe, involvunt contractus, & pacta sequentia, 1. Contractus *Mohatræ*, quando quis vendit rem magno pretio cum pacto, ut emens ipsi statim revendat pro pretio minore. 2. Emptio chirographi, seu nominis, aut debiti alieni pro minori pretio, v.g. si debitum alienum 100. florenorum ematur pro 80. florenis. 3. Anatocismus, per quam intelliguntur usuræ usurarum, seu lucrum ex ipsis usuris nondum solutis, in sortem tamen redactis, petitum, v.g. si fors credita sint 1000. & usuræ 50. mutuatarius verò non solvat hos 50. & tu postea ex his 50. tanquam ex novo mutuo post anni lapsum exigas duos cum dimidio florenos. 4. Pactum antichreseos, quo id agitur, ut mutuatarius mutuanti permittat fructus rei oppignoratæ, v.g. prædii vel agri hypothecati, donec debitum exsolvatur. Pars 1. manifesta est tum per se, tum ex propositione 40. ab Innoc. XI. damnata. Pars 2. ex propositione 41. ab eodem Innoc. proscripta, & exinde, quia pretium 80. non adæquat valorem 100. florenorum, & virtualiter idem est, ac si quis 100. daret mutuos, & statim 20. retineret pro lucro, quod utique iniquum est, & usura, sed, quia explicitè non celebratur contractus Mutui, sed Emptionis, palliata, seu pallio emptionis involuta est, atque ideo in foro externo non facilè punibilis. per *c. 6. h. t.* Si tamen, ut facilè contingit, alius titulus interveniat, ut si debitum alienum sit dubium vel litigiosum, si pro eo obtinendo faciendi sint sumptus, vel aliàs difficulter sit obtinibile

nibile &c. licitum utique est tale chirographum minori pretio emere. Pars 3. ex Jure Naturali & Divino usuras merè lucratorias prohibente; nec usuras usurarum approbat ullum statutum aut consuetudo Imperii Romani; imò, etsi adesset alius titulus damni emergentis, lucri cessantis &c. tamen saltem à Jure Civili usuræ usurarum prohibentur. *l. 29. ff. l. 3. l. 28. C. de Usuris.* Si autem usuræ priùs fuissent solutæ, & ab accipiente crederentur de novo, foret novum mutuum, consequenter ex iis usuræ moderatæ exigi possent, sicut ex sorte ac mutuo priore. Pars 4. ex *c. 1. 2. 8. h.t. c. 6. de Pignor.* quod tamen intelligi volo de casu, quo nullus alius præter Mutuum intérvenit titulus. Unde in Germania vi Statuti & Consuetudinis licitum est ex re oppignorata pro mutuo fructus percipere, qui non excedunt 5. pro 100. Item licitum est marito fructus rei pro dote nondum soluta sibi oppignoratæ. *c. 16. h.t.* & domino directo ex re feudali sibi oppignorata percipere. *c. 1. h.t.* qui casus sunt excepti.

Dico 7. Usuras sine titulo & sic illicitè petitas nemo tenetur solvere, licèt promiserit. 2. Si quis autem juratò promisisset, teneretur ex Religione vi juramenti (nisi priùs obtineret hujus relaxationem) non ex Justitia. 3. Solutas autem quantocyus in Judicio repetere posset. Communis ex famoso *c. debitores. 6. de jurejur.* Si quis autem jurâsset se solutas nec repetiturum, posset nihilominus & deberet usurarius à Judice ex officio compelli ad restituendas. *c. 13. h.t.* Qui enim juravit, se nolle repetere, non juravit, se nolle recipere. *Objic.* Qui solvit usuras illicitè exigenti, coope- 12

ratur alterius peccato : ergo nec ex juramento obligatur solvere, cùm juramentum nequeat esse vinculum iniquitatis, & compellere ad solvendas usuras illicitas. ℟. *N. ant.* Qui enim ex necessitate vel justa causa urgente (qualis datur in mutuum petente ex indigentia, & usuras prominente ac solvente) facit aliquid de se indifferens & non peccaminosum, non censetur cooperari alterius peccato, sed permittere alterius malitiam, ad quam aliunde jam est determinatus : sed solvere usuras de & per se peccatum non est, quamvis exigere sine titulo justo peccatum sit.

13 Dico 8. Usuras iniquè acceptas restituere in utroque foro tenetur, & compellendus est non solùm usurarius ipse (etiam mentalis. *c. 10. h. t.*) quisquis fuerit. 2. Sed etiam cooperantes efficiter ex parte mutuantis, & quidem in solidum, casu quo usurarius non restituit. 3. Imò & hæredes usurarii pro rata (non in solidum, si plures sint) quantùm patiuntur vires hæreditatis. 4. Si res usuraria adhuc exstet, & non sit commixta vel confusa cum rebus propriis, tenetur quilibet, & quidem *ex re accepta*, eam restituere, cum fructibus, si res fructifera sit, tam percipiendis quàm perceptis, & cum omni damno & interesse, quod indè passus est mutuatarius : si autem pecunia vel alia res usuraria sit permixta vel confusa cum rebus propriis usurarii &c. is acquisivit earum dominium, & solùm *ex injusta acceptione* tenetur restituere. Ita plerique omnes ex *c. 9. 10. 12. h. t.* *c. 5. de Raptor. c. ult. de sepult. & c. 9. cit.* ubi hæredes obligantur. Id quoque exigit natura justitiæ Commutativæ, & postulat ratio ; quia, si re-

usu-

usuraria adhuc exstat non permixta cum bonis propriis, est aliena, & clamat ad dominum cum omni emolumento suo, ubicunque existit; si non exstat, resarcitionem damni injustè dati & accepti urget mala fides, injuria, cum qua nemo ex alieno ditari debet, mutuatario illata, & delictum, atque radix *injustæ acceptionis*, licèt cooperantes fortè non sint facti ditiores; quia fuerunt causa efficax damni injustè dati. Sed cui facienda est restitutio? R. Illi, qui per usuras est læsus, vel, si jam obiit, ejus hæredibus, &, si neque hæredes exstent, vel ignorentur, causis piis. Text. & DD. *in c. 5. h. t. c. 16. de Judæis.* retineri enim usuræ non possunt tanquam bona ex delicto contra Justitiam acquisita.

Dico 9. Pœnæ usurarii (manifesti tantùm. *c. 5. cit.*) de Jure Canonico sunt. 1. Infamia. *can. 2. §. fin. caus. 3. q. 7.* 2. Depositio, vel saltem suspensio, si usurarius sit Clericus. *c. 1. & 7. h. t.* si Laicus, excommunicatio, & hodie ipso facto. *c. 1. eod. in 6.* 3. Ejus oblationes, in Ecclesia factæ, sunt rejiciendæ. *c. 3. h. t.* 4. Ejus testamentum, vel alia ultima voluntas non valet, nisi usuras actu restituerit ante mortem, vel de restituendo idoneè caverit. *c. 2. eod. in 6.* 5. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, nisi restitutio, vel cautio idonea de ea præcesserit. *c. 2. 3. citt.* De Jure Civili non reperitur pœna statuta, in Recessu tamen Imperii de anno 1530. Von wucherlichen *Contracten.* §. 7. præter annullationem contractûs mulctatur quarta parte sortis, cessurâ Magistratui, siquis ultra permissam in Imperio quantitatem, vel aliàs injustè, exigit usuras. In aliis locis, utì in Austria teste Greneck *h. n. 16.* totam sortem amittit. Cœ- 14

terùm usura est crimen mixti fori. *c. 7. & 12. h. t.*

15 Occasione *Mutui*, in quo locum habent usuræ, de quibus hucusque, quæres, quid filiofamilias, seu in patria potestate adhuc constituto, etiam majorenni, concedat *Senatus-Consultum Macedonianum*? R. Filiusfamilias sine consensu patris accipiens mutuas pecunias in foro externo perpetuam habet exceptionem contra mutuantem, ita ut exigenti mutuum ad nihil condemnandus sit ipse, vel pater ejus. *t. t. ff. & C. de S. C. Mac.* Imò interveniente exceptione, qua utpote à legibus justè concessâ uti utique potest, etiam in foro interno uterque securus est, etsi nummi mutuati adhuc existent, vel filiusfamilias ex iis in suam (non patris) utilitatem conversis factus sit ditior. *l. 9. §. 2. 4. ff. eod.* Si tamen mutuum jam solvisset, repetere non posset. *l. 9. cit. §. 4. & l. 10. seq.* item si exceptione hac non uteretur, vel uti non posset ex quadam causa, vel utendi occasio non esset, quia v. g. mutuans in Judicio non repetit usuras, & insuper pecunia mutuata in re vel in æquivalenti exstaret adhuc, foret obligatio restituendi saltem in foro interno; quia ex nullo Jure Positivo (nam hoc secluso obligat jus Naturale ad reddendum mutuum) probatur facultas retinendi independenter ab exceptione, si ex mutuo factus est ditior; neque pro hoc casu pugnat ratio, propter quam filiofamilias concesserunt Leges dictum beneficium S. C. Macedoniani, quæ alia non fuit, quàm ne filiifamilias nimio ære alieno, quod contrahitur ex mutuo, obrutis parentum vitæ insidias struendi ansam arripiant, ut habe-

haberent, unde solverent, vel, si eorum mortem exspectarent, mole fœnoris nimiùm excrescentis opprimerentur. Unde filiusfamilias, ex mutuo ditior effectus, renuntiare quoque potest privilegio S. C. Macedoniani; quamvis nec jurato renuntiare eidem valeat, si indè factus non sit ditior, ut habet communis contra Less. Fachin. & D. Rudolphi in *Pallad. tog. q. 27.* quia talis renuntiatio cederet in præjudicium tertii, nempe patris, indè exponendi periculo insidiarum, & Reipublicæ.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIUM.

1. *Falsum, & Crimen Falsi quid.*
2. *Quibus modis committatur.*
3. *Quomodo puniatur.*

1 FAlsum, vel *falsitas*, latissimè sumitur pro omni eo, quod non est verum: latè autem pro immutatione veritatis facta cum dolo, & animô decipiendi, ut est omne mendacium: demum strictè & huic loco propriè accipitur pro *immutatione veritatis dolô malô facta in præjudicium alterius.* Si omnia hæc tria, immutatio veritatis, dolus, & præjudicium tertii concurrant, dicitur *crimen falsi*, & notatur à Jure, h. e. specialiter punitur, & quidem primitus illud tantùm, quod committitur circa Testamenta, *à Lege Cornelia de falsis*, quæ idcirco *Testamentaria* appellatur,

tur, postea verò ab aliis Legibus alia quoque falsa publicis delictis annumerata, & *notata* sunt.

2 Dico 1. Crimen falsi quatuor modis committi potest. 1. *dictô*, vel *verbis*, ut si Testis in Judicio circa substantialia causæ scienter deponat falsum; si Advocatus prodat causam sui clientis admittendo probationes falsas &c. si Judex per munera corruptus ferat sententiam iniquam. 2. *scriptô*, vel per *scripturam*, ut si Notarius conficiat Instrumentum vel Testamentum falsum; siquis alienum instrumentum vitiet, supprimat &c. alienum chirographum aut manum imitetur, sigillum adhibeat, nimirum dolosè & damnosè, quod semper subintelligitur; manifestè siquis falsificet Litteras Apostolicas, cujus falsificationis novem modos recenset Pontifex *in c. 1. h. t.* siquis litteras publicô Magistratûs sigillô munitas referet &c. 3. *factô*, seu *re*, ut siquis propria auctoritate cudat monetas, vel ex materia adulterina; siquis falsificet merces, ponderes, mensuras &c. & sic alios damnificet. 4. *usu*, vel potiùs *abusu*, ut siquis falsitate ab aliis confictâ scienter utatur, v. g. proferendo Instrumentum falsum. Leges aut probationes falsas producendo in judicio, dolosè colligendo & exponendo monetam falsam, nomen vel insignia alienæ familiæ usurpando &c. Ita communiter DD. ex variis Legibus. Atque hi omnes tenentur utique in conscientia resarcire totum damnum, &, si civiliter agatur in Judicio, ad interesse vel ad duplum. *hodie 32. ff. de Leg. Cornel. de falsis.* vel ad re tractandum falsum. per *l. 2. C. de fid. Instrum.* S verò agatur vel procedatur criminaliter.

Dico

Dico 2. Quamvis hodie pœna criminis falsi ferè sit arbitraria. per *Ordinat. Pœnal. Caroli V. art. 107. seq.* & communem DD. aliqua tamen speciales habent pœnas, & quidem in foro & de Jure Civili *Testis* juratò falsum deponens in causa Civili redditur infamis, eique amputantur duo digiti, in præstatione juramenti erecti: in causa Criminali verò incurrit pœnam talionis. *art. 107. cit. & art. 68.* De Jure Canonico Clericus deponitur, & in Monasterium detruditur. *can. 7. d. 50.* cui detrusioni subrogatur carcer, vel triremes. *Falsificans litteras Apostolicas*, vel falsificatis utens, incurrit excommunicationem reservatam. *c. 4. & 7. h. t.* si Clericus sit, privatur perpetuò officiis, &, si per se ipsum falsificet, degradatus traditur Curiæ sæculari. *c. 7. cit.* si alterius Principis litteras vel sigillum falsificet, juxta *c. 3. h. t.* pariter degradatus ab Ordinibus, & notatus stigmate, in exilium mittitur. *Adulterinam conficiens monetam, & efficaciter cooperans*, item *eam studiosè colligentes, & frequenter expendentes* pro legitima, puniuntur igne. *l. 2. C. de falsa moneta. Constit. Pœnal. Carol. art. 111.* solet tamen præmitti strangulatio. *Utens falsis ponderibus aut mensuris, falsificatas merces vendens*, relegatur, vel fustigatur, vel pro qualitate & magnitudine delicti etiam morte punitur. *Constit. Carol. art. 113.* De Jure Canonico 30 dierum jejuniô in pane & aqua castigandus est. *c. 2. de Empt.* 3

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

SUMMARIUM.

1. *Sortilegium, & sortes quid, & quotuplices.*
2. *Divinatio & Magia sunt gravissima peccata.*
3. 4. *Quæ illorum sint pœnæ.*

1 *Sortilegium* à sortibus dictum idem est ac *sortium missio*, quæ *sortes*, Germanicè Loosung, tione finis, propter quem assumuntur, sunt triplicis generis. 1. *Divisoriæ*, quæ adhibentur ad dividendas res ad plures indivisim vel æquali jure pertinentes, vel ad jura dubia, aut lites dirimendas, v. g. si plures cohæredes bona defuncti inter se dividant sorte, v. g. jactu aleæ, vel si duo litigantes conveniant, ut is sit victor, cujus nomen fortuitò primum ex urna fuerit eductum. Et harum sortium usus per se omni jure est licitus, & frequenter cum magna utilitate adhibetur: prohibitus tamen est in Electionibus ad Prælaturas, & in Provisionibus Beneficialibus. *c. fin. h. t. c. 4. de Elect.* Cùm hujusmodi provisiones, maximè electiones ad Prælaturas Ecclesiasticas, consulto & attenta majori personarum aptitudine fieri debeant, non casu, vel disponente Fortunâ. 2. *Consultoriæ*, quæ adhibentur ad cognoscendum, quæ sit in re ancipiti DEI voluntas, quid faciendum, vel omittendum: sic per sortem electus est S. Matthias in Apostolum loco Judæ Proditoris, sic olim deprehensum est furtum Achan. Et harum sortium usus potest absolutè esse licitus, si fiat urgen-

te

te aliqua neceſſitate, & alius cognoſcendi modus non ſuppetat, ſi cum debita erga DEUM reverentia fiat, nempe nec adhibendo res ſacras ad lucrum temporale, nec petendo, explicitè vel implicitè aliquod à DEO ſignum extraordinarium, vel miraculum (ſecluſo ſpeciali DEI inſtinctu) id enim foret tentatio DEI, ſed humiliter rogando, ut DEUS per Providentiam ſpecialem ſortes ita dirigat, ut indè veniatur in cognitionem voluntatis Divinæ, quam quis exequi cupit. 3. *Divinatoria*, quibus exquiritur notitia arcanorum, abſentium, futurorum, præteritorum, per media improportionata, v. g. per verba, characteres, ſcripturam, cruces, vel alia ſigna ut ut ſacra forſan (vel preces etiam cum vanis ceremoniis, crucibus, ignotis characteribus &c.) nullam naturalem connexionem habentia cum eventu futurorum, cum rebus arcanis, præteritis, vel abſentibus.

Et harum ſortium uſus, qui generali nomine etiam vocatur *Divinatio*, & varias ſub ſe ſpecies continet, *Chiromantiam*, quæ fit per inſpectionem manuum, ut faciunt Zingari, Zigeiner/ *Aſtrologiam Judiciariam*, quæ fit per inſpectionem Aſtrorum, *Incantationem*, quæ per verba vel cantiones, *Augurium*, quod per obſervationem garritûs, volatûs &c. avium, *Præſtigias*, quæ fiunt præſtringendo oculorum aciem, ut appareat, quod non eſt &c. Harum, inquam, ſortium uſus, ſeu *Divinatio*, quæ venit nomine *Sortilegii in ſpecie*, Wahrſagerey/ certò eſt illicita, ut videbimus, uti & *Magia*, ſeu ars operandi mira per opem dæmonis, nimirum per ſigna vel media nullam na-

turalem connexionem cum effectu habentia; atque differt à Divinatione per hoc, quòd in illa solùm cognitio rei occultæ, per Magiam verò effectio operis miri petatur ex-vel implicitè à dæmone. Utramque, Divinationem ac Magiam, ut & alias Superstitiones complectitur *Sortilegium in genere* sumptum, sempérque involvit vel crimen falsi, vel superstitionem, vel pactum aliquod cum dæmone. Si intérvenit pactum expressum, vocatur generali nomine *Necromantia*, Schwartz kunst / Zauberey / &, si tendat ad aliis nocendum, *Veneficium*, vel *Maleficium*. His suppositis

2 Dico 1. Sortilegium, prout involvit Divinationem ejúsque species, & Magiam per se est gravissimum peccatum contra Jus Naturale ac Divinum æquè, ac contra Canonicum *cauſ. 26. q. 5. & 5. ferè per tot.* ubi etiam ipsæ species explicantur *c. 1. h. t.* & contra Civile *l. 3. 5. seqq. C. de Malef. & Mathemat.* Ratio est clara; quia, quando ad cognoscendum arcana, absentia, futura &c. ut in Divinatione, vel ad efficiendum mira, ut in Magia, adhibentur media prorsus improportionata, nullam omnino naturalem connexionem cum canis &c. vel naturalem vim cum effectu habentia applicantur, imploratur aliqua substantia intellectiva, ut aliquid revélet, vel efficiat: sed hæc substantia intellectiva nec est DEUS, nec Angelus, quia DEUS nullibi promisit revelationem vel effectionem hujusmodi rerum ad positionem talium signorum receptorum, v. g. ad efformationem crucis in calceo, inspectionem manûs, aquæ &c. ad certarum rerum ligaturam, ad immurmurationem sacrorum verborum in aures jumenti ægri, &c. imm-

unctionem furcæ &c. Angeli autem nec solent, nec sine DEI voluntate possunt hujusmodi manifestare vel efficere: ergo imploratur alia substantia intellectiva, quam DEUS & Angeli, hi enim per talia signa vanè, impiè & superstitiosè implorarentur: ergo imploratur dæmon vel expressè, ut facere solent magi & necromantici, vel saltem tacitè, ut augures, arioli, incantatores, præstigiatores, divinatores &c. & sic semper intérvenit pactum vel expressum vel tacitum cum dæmone, ut opem ferat: quod utique impium & DEO gravissimè injuriosum est, nisi subinde per accidens ruditas, simplicitas, aut ignorantia quosdam simplices excuset saltem à mortali peccato. Aliud foret, si signa haberent aliquam connexionem naturalem cum re occulta, vel eventu futuro: sic Divinatorium & superstitiosum non est ex infirmorum somniis conjicere corporis complexionem, valetudinis statum, periculum mortis: ex avium volatu vel garritu, ex colore lunæ &c. pluvias vel serenitates prænuntiare: ex Siderum motibus & constellationibus tempestates, morbos, fertilitatem terræ &c. præsagire conjecturaliter.

Dico 2. Pœnæ Sortilegii Divinatorii hodie in utroque foro sunt arbitrariæ; & contra Laicos, quamvis delictum sit mixti fori, non procedit Judex Ecclesiasticus, nisi sapiat Hæresim, & sub ratione Hæresis instituatur examen. Ita utrumque declarat Consuetudo. Dixi, *hodie*; nam de Jure Canonico erat pœnitentia 40. dierum. *c. 1. h.t.* &, si moniti non resipiscant, apud viles personas fustigatio, apud honestiores incarceratio, vel ejectio ex diœcesi cum stigmate, vel excommuni- 3

municatio ferendæ sententiæ. *can. 10. 12. q. 1. & can. 15. q. 7. cauſ. 26.* Apud Clericos autem annalis vel longior ſuſpenſio. *c. 2. h. t.* aut depoſitio. *can. 4. ſeqq. q. 5. cit.* quæ in *can. 15. cit.* vocatur degradatio, nimirum verbalis. De Jure Civili erat vel publicatio bonorum, vel ſupplicium capitale, vel etiam ignis, pro qualitate perſonarum & gravitate delicti. *l. 3. & 5. citt.* Si Sortilegium conjunctum eſt cum Hæreſi, incurruntur quoque Hæreticorum pœnæ. *c. 8. §. ſanè de Hæret. in 6.*

Dico 3. Pœna Sortilegii Magici, ſeu Magiæ, de
4 Jure Civili eſt gladius. *l. 5. cit.* Conſtitutio Penalis Caroli V. *art. 109.* facit diſcrimen; ſi eſt cum damno tertii, pœnam ignis, ſi ſine damno, ſtatuit arbitrariam, v. g. relegationis, vel pro exigentia circumſtantiarum etiam mortis. De Jure Canonico incarceratio, cenſuræ &c. contra Clericos autem degradatio, & traditio Curiæ Sæcularis, ut tradit P. Reiffenſtuel *n. 14. h. t.* Punitionem autem Laicorum Magorum ferè relinquit Curiæ Sæculari Eccleſiaſticus Judex.

TITULUS XXII.

De Colluſione detegenda.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Colluſio, & quibus in cauſis habeat locum.*
2. 3. *Quæ circa eam ſint partes Judicis.*

1 COlluſio eſt occulta conventio vel concordia inter Accuſatorem & Reum in cauſis Criminalibus eum in finem, ut delicta maneant

maneant impunita; ut si accusator veras probationes subdolè omittat, vel exceptiones falsas pro veris admittat, & tunc vocatur *Prævaricatio:* aut si ante sententiam dolosè à lite desistat, & nominatur *Tergiversatio.* In causis Civilibus, in præjudicium tertii non cedentibus, & ubi agitur de privato interesse, locum non habet inter personas principales, Actorem & Reum; quia his licitum est transigere & concordiam facere (excepta causa Matrimoniali, *c. fin. de transact.* & Beneficiali, ut est casus *in c. 3. h. t.*) cùm agatur tantùm de interesse privato; secus est in Criminalibus, in quibus interesse publicum subversatur, cùm interfit Reipublicæ, delicta non manere impunita, atque ideo Partes transigere, sicut in causa Matrimonii dissolvendi, & beneficii vel pensionis ex eo per fraudem obtinendæ, non possunt. Interim etiam in causis Civilibus locum habet Collusio (quæ tamen potiùs est crimen falsi. per *l. 1. §. 1. ff. de Prævaricat.*) apud causarum patronos, Advocatos & Procuratores, si nimirum hi vel inter se, vel cum clientis sui adversario colludant, prodendo eidem secreta causæ, vel omittendo probationes efficaciores, aut admittendo exceptiones irrelevantes seu futiles.

Dico 1. Si Judex advertat Collusionem, potest imò ex officio tenetur inquirere in delictum, & procedere. *c. 1. 2. h. t.* Imò, licèt Reus per sententiam jam esset absolutus, ea non est ita firma, ut de novo, ubi de Collusione constiterit, Accusatio vel Inquisitio institui non possit. *c. fin. eod. l. 11. C. de Accus.* cùm talis sententia sit nulla. per *l. 3. ff. h. t.* 2

Dico 2. Pœna Collusionis præter infamiam est 3

est arbitraria. *l. 1. 2. 4. ff. de prævaricat.* In Beneficialibus privatio Beneficii. *c. 3. cit.*

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

SUMMARIUM.

1. *Pueri, Infantes, Puberes qui dicantur.*
2. 3. *Pueri, & Minores delinquentes quomodo puniantur.*
4. *An pater pro filio in ære plecti possit.*

1 NOmine *Puerorum* hìc maximè veniunt *puberes*, qui septennium egressi necdum impleverunt 14. ætatis annum; nam ante septennium completum dicuntur *Infantes*, & præsumuntur necdum doli esse capaces, qui ad delinquendum requiritur, propter defectum usus rationis, atque ideo nec propriè puniri, sed solùm castigari, sicut amentes & furiosi, possunt, ut apprehensione doloris stimulentur, ut faciant, vel omittant, quod oportet. Completô autem [illegible] annô vocantur *Puberes*, *Adolescentes*, vel *Minores*, usque ad 25. annum ætatis completum. Notant præterea DD. in Criminalibus, & in ordine ad pœnas propter delicta infligendas, masculos æquiparari fœmellas, ita ut usque ad annum 14. habeantur pro impuberibus. Quæstio hìc resolvenda est, an Pueri, si delinquant, & quomodo puniendi sint.

2 Dico 1. Pueri propter delicta omissionis [illegible] gali Pœna non sunt afficiendi. 2. &, si [illegible] tiæ sunt proximi, nimirum uno tantùm vel [illegible]

ro anno eam egressi, nec propter delicta commissionis. 3. si tamen doli jam sint capaces, & proximi pubertati, h. e. uno tantùm, vel unô & dimidiô annô distantes à pubertate, subjacent quidem pœnæ Legali. 4. non tamen Ordinariæ, sed mitiori, saltem regulariter. Pars 1. fundatur in *l. 12. ff. ad Cornel. de Sicar. & l. 2. si adverſ. delict.* ac in præsumptione, quòd imprudentiâ potiùs, quàm dolô & malitiâ aliquid omiserint contra legem præcipientem. Pars 2. in *ſ. 10. Inſt. de Inutil. ſtipul. l. 22. ff. pr. de L. Corn. de falſ.* ac in ratione, quòd tales infantiæ proximi censeantur parùm adhuc distare à furioso, & dolus (nisi se prodat extraordinaria Judicii maturitas, de quo arbitrabitur Judex) ob infirmitatem Judicii non consideretur. Pars 3. in *c. 1. & 2. h. t.* cùm autem quidam citiùs, alii tardiùs matureſcant, Judicis erit pœnam commensurare dolo, quem deprehendit. Pars 4. *in citt. cc. 1. & 2. l. 1. ſ. 33. ff. de S. C. Silan.* ubi ne quidem torqueri permittuntur, nisi ferulâ. Accedit regula generalis in *l. 108. ff. de R. J.* ibi: *ferè in omnibus pœnalibus Judiciis ætati & imprudentiæ ſuccurritur.* Addidi, *regulariter*; nam si crimina puerorum sint enormia, valde pernicioſa, ac malitia suppleat ætatem, & proximi sint pubertati, nec spes emendationis constantis affulgeat, utì in Magis & Veneficis, ac subinde Furibus, etiam pœna mortis locum habet. per *l. 1. cit. l. 14. ff. de S. C. Silan. & Conſtit. Carolin. art. 164.*

Dico 2. Minores quamvìs ob delicta gravio- 3
ra commissionis à pœna Ordinaria Legis immunes non sint. *l. 36. l. 38. ſ. 4. ff. ad L. Jul. de Adult.*

ratio-

ratione tamen infirmi adhuc Judicii possunt & solent mitiùs plecti, mutatâ v. g. pœnâ mortis infustigationem, vel pœnâ mortis qualificatâ in simplicem. per *l. 38. §. 4. & l. 108. citt.*

4 Dico 3. Si filius nihil habet proprii, v. g. nec peculium castrense nec quasi, non tenetur, nec condemnari potest pater ad pœnam pecuniariam pro eo exsolvendam, modò delicti particeps non fuerit, vel in correctione filii non culpabiliter negligens, vel ex delicto filii non sit factus dittor. *l. 26. ff. l. 22. C. de pœn.* ubi habetur, quòd nemo alienæ culpæ debeat esse succedaneus, & delicta suos tenere debeant authores. Neque pater tenetur filio dare Legitimam, ut indè exsolvat mulctam; quia sicut hæreditas, ita & Legitima, non debetur filio à patre vivente. *l. 1. §. 21. ff. de Collat.* Igitur filius, nihil habens, non in ære, sed in cute, vel alio modo plectendus est.

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

SUMMARIUM.

1. *Venatio quid & quotuplex.*
2. *An prohibita Clericis.*
3. 4. *An Principes eam prohibere possint Subditis, ac sibi solis reservare.*
5. *An ob actionem turpem possit accipi, retineri, vel etiam exigi pretium, vel lucrum.*
6. *Notatur D. Gletle.*

1 *Venatio* in genere est persecutio & occupatio animalium, quæ in sua adhuc libertate naturali existunt, & in nullius do-

dominio. Complectitur tres ſpecies. 1. *Venationem ſpecificè* acceptam, qua quis perſequitur & occupat feras terreſtres, lepores, vulpes, cervos, apros &c. 2. *Aucupium*, quo volucres in aëre. 3. *Piſcationem*, qua piſces in aquis. Venatio ſpecificè accepta, ſeu *ſaltuoſa*, dividitur in Clamoroſam ſeu Clamoſam, & in Quietam & Placidam. *Clamoſa* eſt, quæ fit cum magno hominum canúmque numero, clamore, tumultu, armorum apparatu, magna ferarum cæde &c. *Quieta, Placida*, vel *Modeſta*, quæ, quamvis non excludat retia & canes, exercetur tamen ſine magnis clamoribus, ſtrepitu, & crudeliori ferarum cæde, cum exiguo hominum & canum numero.

Dico 1. Venatio Clamoroſa Clericis & perſo- 3
nis Eccleſiaſticis de Jure Canonico eſt prohibita; non item Quieta, Modeſta, & Moderata. Text. gl. & DD. in *c. 1. & 2. h.t. Clem. 1. §. porro. de Statu Monach.* Trid. *ſ. 24. c. 12. de ref.* in quo ultimo ipſis prohibentur ſolùm illicitæ venationes, quæ nimirum valde abſtrahunt ab Officiis Divinis, tempus optimum ſuffurantur, gravitatem ac modeſtiam Clericalem vel Religioſam dedecent, quietem turbant, ac aliquam belli ſpeciem aut feritatem præſeferunt, quæ fuerunt rationes prohibendi. Interim tamen etiam Venatio clamoroſa, ſi non ſit nimis frequens, careat ſcandalo, & fiat ſine magno temporis diſpendio ad Officium cultúmque Divinum ordinati, ſive fiat ex recreatione, ſive ex ſpe utilitatis, per Conſuetudinem poteſt fieri licita, præſertim apud perſonas Eccleſiaſticas in temporali quoque altiori dignitate conſtitutas, cùm intrinſecam malitiam non habeat. Et talis

Consuetudo videtur actu in quibusdam locis vigere: per quam à fortiori abrogatæ sunt pœnæ in Clericos venatores in *d. c.* 1. statutæ. Wagereck *ibid.*

4 Dico 2. Licitè possunt Principes suis Subditis prohibere venationem, ac sibi, & suæ recreationi reservare, ex justis causis, v. g. ne subditi sectando feras negligant agriculturam, opificia, aliaque negotia Reipublicæ necessaria, ne nimiùm assuescant armis cum periculo seditionis &c. Et eadum hoc jus tribuit Principibus vel consuetudo & præscriptio, vel voluntaria subditorum cessio &c. 2. Graviter tamen per se non peccat subditus unam vel alteram vel paulò plures feras contra prohibitionem Principis capiendo, imò probabiliter nec venialiter (si contemptus legis & alia absint, ex quibus oriri posset etiam grave peccatum, v. g. si indè quis subeat periculum gravis mulctæ, vel exilii, cum detrimento conjugis & liberorum, si faciat cum magno neglectu rei domesticæ &c.) cùm ex communi sensu & usu hujusmodi leges habeantur pro merè pœnalibus, & Principes censeantur esse contenti pœnis, quas statuunt in fericîdas, seu feripetas, Wildtprät Schitzen/ si deprehendantur. 3. Minùs peccat contra Justitiam per se, quia prohibitio non fundatur in jure proprietatis, & feræ in nullius sunt dominio. Unde 4. nec datur obligatio restituendi feram, vel æquivalens, quia feræ fiunt primi occupantis, & earum acquiritur dominium. Nec que Principes ex magnificentia sua urgent restitutionem, & subditi ad eam se non obligari communiter judicant, tam venantes quàm ementes

Of-

feram, vel feras.

Objic. 1. Venatio Jure Naturali & Gentium cuivis est libera, quia feræ, antequam capiantur, in nullius sunt dominio, & cedunt primò occupanti. *§. 12. Inst. de R. D. l. 1. ff. de acquir. rer. dom.* ergo Principes eam prohibere, & sibi solis reservare nequeunt. 2. Nemo debet sentire commodum ex suo delicto. *l. 12. §. 1. ff. de furtis.* Sed contra prohibitionem Principis venantes, si fierent domini ferarum, nec tenerentur ad restitutionem, sentirent commodum ex suo delicto. R. ad 1. Illud Jus Naturale & Gentium est merè permissivum circa rem de se indifferentem: quod autem est Juris Naturalis & Gentium permissivi, à Jure Positivo prohiberi vel præcipi potest pro exigentia boni publici. Ad 2. In *d. l.* solùm negatur actio forensis in materia Legibus prohibita; nam textus sic habet: *nemo de improbitate sua consequitur actionem.* In alio sensu fallit axioma, ut patet in turpi lucro, quod v. g. facit fœmina ex prostitutione corporis. Sed occasione hujus instantiæ.

§

Quæres, an ergo ex opere illicito possit obtineri lucrum, v. g. an fœmina pecuriam pro concesso sui corporis illicito usu pactam accipere, acceptam retinere, aut etiam promissam instituta actione in Judicio exigere possit? R. 1. accipere, & acceptam retinere, juxta plerosque validè potest ac licitè, ita ut danti repetitio non detur. Text. & DD. *in l. 4. §. 3. ff. de condict. ob turp. caus.* R. tamen 2. Actio ad promissam pro opere turpi mercedem in Judicio exigendam probabiliùs ipsi non datur. Ita multi & graves DD. quos inter Duarenus *ad tit. de condict. ob turp. caus. Pand. c.*

3. ait, id vulgo receptum esse. Perez *eod. tit. C. n. 3.* talem actionem habet pro indecenti. Consp[irant] Zas. Hilliger, Hahn ad Wesenbec. Bacher, Struv. apud & cum Brunem. ad *d. tit. C. n. 14.* & *ad ff. l. 4. §. 3.* ubi ex professo refutat Covarr. præcipuum adversarium ejúsque sequaces. Prob. 1. ex *l. 5. C. de condict. ob turp. caus.* quæ sic pronuntiat: *quamvis solutæ quantitatis cessat repetitio, tamen ex hujusmodi stipulatione contra bonos mores interposita denegandas esse actiones, jura auctoritate demonstratur:* ergo generaliter nequam Jura concedunt actionem ex pacto turpi, quale utique, & quidem ex utraque parte paciscentium, est, si pactum & promissio mercedis fiat pro & propter illicitum corporis usum, Lege Naturali Divino & Humano prohibitum. Confirmatur 1. ex *l. 1. C. eod.* ubi absolvi jubetur, qui ex tali turpi promissione vel cautione interposita convenitur. Confirmatur 2. *exl. 12. §. 1. cit.* Confirm. 3. Talis promissio turpis ab initio fuit nulla (sicut prohibitio usuræ illicitæ) *§. quod turpi Inst. de Inut. stipul. l. 35. l. 123. ff. de V. O.* ergo nullum produxit effectum, adeóque nec obligationem naturalem, nec civilem seu actionem. Prob. 2. Etiam apud adversarios receptum est, &, ut ait Covarruv. probatissimi Juris, quòd fœmina exigere in Judicio nequeat promissam sibi mercedem pro concessu corporis usu, qui Lege Humana quoque prohibetur, damnatur, & punitur, ut si uxor pro adulterio, consanguinea pro incestu &c. paciscatur pretium, licèt accipere & acceptum retinere valeat. D. Christoph. de Chlingensperg in *tract. de act. dict. c. 3. assert. 33. n. 8. 9.* ex *l. 5. cit. & l. 123. ff. V. O.*

V. O. Atqui in Imperio Romano-Germanico, ubi meretricium & lupanaria non tolerantur, prohibentur etiam, & puniuntur, fornicationes. *Reformatio Politica de anno 1548. tit.* Von leichtfertiger Beywohnung/ *& de anno 1577. tit. 26.* Consonant passim Statuta & Consuetudines locorum. Confirmatur ex Praxi: quis enim audit unquam hujusmodi actionem proponi in Judicio? Nec ego cuiquam suaserim; nam pro certo habeo, non solum nihil indè consecuturam tam procacem fœminam, sed etiam debitè puniendam esse.

Objic. 1. In *cit. l. 5.* in qua maximè confidimus, sermo est de lenocinio, quo prostituitur uxor pro mercede, consequenter illud pactum ex utraque parte est turpe: econtra si fœmina soluta vel meretrix paciscitur pecuniam pro usu corporis, non est pactum turpe, vel saltem executio illius non est turpis, ex utraque parte; nam acceptio mercedis propter opus turpe, uti & exactio, non est inhonesta, nec virtualis approbatio sceleris: ergo ex *d. l. 5.* nihil probatur pro casu longè diverso, qualis est, si fœmina soluta promissam sibi mercedem exigat per actionem. 2. Tale opus turpe habet aliquid admixtum pretiô æstimabile, videlicet obsequium viro fornicationem petenti exhibitum, item periculum honoris & gravium incommodorum, quod fœmina subit faciendo copiam sui corporis: ergo ratione horum justè exigit pretium, licèt ratione peccati nihil possit exigere. 3. Quamvis promissio ab initio fuerit nulla, actu tamen illicito postea posito oritur obligatio de Jure Naturali ad solvendum promissum: ergo rectè illud exigitur in Ju-

dicio. 4. Præcedens pactum secuto opere turpi deflectit in contractum iñominatum, nempe hunc, *concedo tibi usum corporis, ut mihi solvas mercedem*, adeóque, *facio, ut des.* Sed ex contractu innominato datur actio, nempe *præscriptis verbis*: ergo. ℟. ad 1. Licèt ibi sit sermo de lenocinio, textus tamen postmodum statuit generaliter, ut stipulatione turpi, *quæ est contra bonos mores interposita, denegendas esse actiones*: sed etiam turpis est illa, quando fœmina soluta paciscitur mercedem pro opere illicito, & quidem, sublata impunitate meretricii, etiam ab Humanis Legibus & Praxi prohibito & punibili. Imò etiam in hoc casu intérvenit turpitudo ex utraque parte paciscentium contra Legem Naturalem ac Divinam, quin & Humanam, licèt opere secuto dare, accipere, exigere, & acceptum retinere pretium, non sit prohibitum: id quod etiam in lenocinio procedit: ergo non alia, nisi materialis, inter casum Legis & nostrum datur disparitas. Ad 2. *torq. argum.* nunquid etiam uxor vel consanguinea &c. paciscens pretium pro usu corporis facit obsequium viro adulterium vel incestum patienti, se autem exponit iisdem incommodis, vel saltem periculo? & tamen nec juxta adversarios habet actionem ad exigendum pretium. Ad 3. *Transeat Antec.* cui reclamare videntur §. *turpi. l. 35. & l. 123. citt.* Sed *N. conf.* sæpius testi dari obligatio Naturalis, quin tamen detur obligatio Civilis, seu actio, utì in pacto nudo, in pacto, quo pro adulterio promissa est merces, & adulterium jam secutum &c. Ad 4. Iterum *transeat ma.* Et quamvìs per se ex contractu in-

nomi-

nominato oriatur actio *præscriptis verbis*; ubi tamen stipulatio vel pactum turpe intervenit, Jura negant omnem actionem generaliter, ut vidimus.

Ex quibus apparet, quàm immeritò, indignè, 6
insulsè, & contumeliosè D. Bernardus Gletle, quondam Legum Professor Salisburgi, non admodum multis abhinc annis demortuus, in *QQ. Juris ex tertia parte Pandect. c. 6. n. 11.* fugisset imò traducat R. P. Christophorum Haunoldum, à quo tamen non modicam suæ doctrinæ partem hausit, ut patet legenti utriusque Opera, atque pro eo quòd fontem, è quo aquam tam liberaliter bibit, coronaret, utì debuisset, indecorè conspurcet, dum *lo. cit.* ita scribit: *Olim, fateor, propugnavi opinionem contrariam: sed deceptus à P. Haunoldo, qui textum in d. l. 5. C. de condict. ob turp. caus. ponderâsse sufficienter non videtur, aut fortè ob penuriam temporis ponderare sufficienter non potuit: Opus enim de Justitia & Jure 6. tomis constans, senex jam, ac fessus, non tam composuit, quàm deproperavit. Hinc videas, quòd non rarò sententias proprias, sui immemor, recantet, & graves controversias operâ perfunctoriâ pertractet, Leges retulisse, ac de verbo ad verbum descripsisse, plerumque contentus.* Hoc est illud pulchrum encomium, quod maledicus D. Gletle calamus tanto viro, de re litteraria, tam Juridica quàm Theologica, præclarissimè merito, à maximis viris & æquis rerum æstimatoribus inter heroës sui temporis numerato, conscripsit & evulgavit, aliunde jam, si non infamis, saltem notus à censuris æquè mordacibus ac inhumanis

(alii vocant pueriles crises vel scurriles etiam calumnias) quibus alios quoque præstantes & magni nominis viros arrodere vel etiam lacerare præsumpsit. Major est P. Haunoldus, quàm ut ipse, vel Opus ejus Juridicum contra hujusmodi cavillationes apologiâ indigeat, utpote quod seipsum satis commendat, eóque ampliùs, quòd omnem ferè Jurisprudentiam, Civilem & Canonicam, sex eruditis tomis complectens, Theologiæ placita simul ac Legum Canonúmque præcepta pulcherrimè conjunxerit, rarô & vix unquam audito exemplô. Et (quod plerisque summopere placuit, D. Gletle autem pro sua singularitate improbat) singularem promeritus est laudem P. Haunoldus, quòd Leges non præcisè alléget, ut alii âssolent, sed ipsa etiam Legum verba adducat, ut nimirum quilibet mox dispicere possit, quid & quantum ex Legibus probetur, & quale pondus indè accedat doctrinæ. Non deproperavit P. Haunoldus suos de Justitia & Jure Tractatus, neque perfunctoriè illos composuit, sed summâ solertiâ & plurimorum annorum labore, perspicacissimum ingenium semper comitante. Non recantat sui immemor proprias sententias, &, licèt aliquando id fecisset, tam iniquè tamen propterea vapulare non debuisset, cùm in tanta rerum vastitate mirum & rarum non sit aliqua excidere memoriâ, & successu temporis aliqua profundiùs assequi contingat, quæ proin laudabilissimè emendantur: id quod optimis Actoribus, & sanctis quoque Patribus, non infrequenter evenisse scimus. Sed non ipse D. Gletle nonnunquam aliqua recantavit, an non in hoc ipso loco retractat, quod priùs scripserat?

ferat? Ait quidem, *se deceptum à P. Haunoldo, qui textum in d. l. 5. ponderâsse sufficienter non videtur.* Sed unde scit, se *deceptum* fuisse, cùm sententia P. Haunoldi æquè imò magis vicina veritati esse demonstretur, ac opposita? Quare *ab Haunoldo* se deceptum conqueritur, cùm plurimi & gravissimi DD. ante Haunoldum, & quidem ex eadem *l. 5.* idem senserint & docuerint? Nempe alium tunc non legerit vel inspexerit præter Haunoldum: ex quo novum apparet argumentum, quòd D. Gletle in suis lucubrationibus quàm maximè ac præcipuè Operibus & doctrinâ P. Haunoldi diu usus sit: & tamen has ipsi gratias rependit in publico typo per suam non minùs ingratam quàm inverecundam censuram. Si ritè ponderetur textus *d. l. 5.* generaliter asserens, *ex stipulatione contra bonos mores interposita denegandas esse actiones*, & id *Juris auctoritate demonstrari*, facilè vel manibus palpatur solidum fundamentum, cui sententia P. Haunoldi, ac aliorum Auctorum, qui ex eodem textu eandem jam priùs tradiderunt doctrinam, inniti meritò possit.

Aliud & longè æquius elogium P. Haunoldo Universitas Ingolstadiana posuit, & in suo Athenæo publicè suspendit, his verbis contextum: *Christophorus Haunoldus S. J. Althannensis Bojus, non tam à Natalium claritate, quæ etiamnum adolescentem inter Nobiles Aulæ Monacensis Ephebos adlegerat, quàm scientiarum famâ, quam postmodum ab Erudito sibi Orbe quà ore quà calamo comparavit, in paucis memorandus. Sex annis Philosophiam, quindecim Theologiam partim in Friburgo-Brisgoica, partim Ingolstadiana Academia*

tradidit, ea cum Ingenii profunditate, maturitate Judicii docendíque claritate, ut meritò inter summos sui temporis Doctores sit computatus. Loquuntur viri præstantiam complura in lucem edita librorum monumenta, quæ, cùm subinde Studiorum Præfectum ageret, cùm ex Universa Theologia, tum etiam de Jure & Justitia, mira claritate doctissimè elucubravit. - - Tandem meritorum & dierum plenus piè obiit Ingolstadii 22. Junii anno 1689. ætatis suæ 79.

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur Clericus Percussor.*
2. *Quæ percussio sit Clericis prohibita.*
3. *Et cui subjaceat pœnæ.*

1 *Percussor* Clericus dicitur, qui alios verberibus excipit vel per seipsum, vel excipi mandat per alios.

2 Dico 1. Percussio immoderata, seu cum notabili excessu, graviter, moderata autem, si fiat absque justa causa & non nimis frequenter, levibus est prohibita omnibus Clericis. 2. Moderata autem, & justa, seu quæ fit ex justa causa, quibusdam Clericis est permissa. Pars 1. sumitur ex *can. 1. & 7. de 45. c. 1. & 2. h. t.* Ratio est, quia verberatio gravis graviter, levis autem injustè facta leviter repu-

repugnat charitati, & justitiæ erga proximum, ac modestiæ & decentiæ Clericali. Pars 2. ex *can. 19. d. 1. de pœnit. c. 1. c. 54. §. 2. de sent. excom.* ubi Clericis, qui munus præceptorum vel magistrorum obeunt, permittitur moderatè discipulos correctionis causâ percutere, etiam Clericos, imò etiam Sacerdotibus & aliis Clericis senioribus ob zelum devotionis adolescentes, etiam in Ordinibus minoribus constitutos, si turbent officium & rem divinam. *c. 54. cit.* & *c. 16. eod.* Item Prælatis Ecclesiasticis, tam Regularibus quàm Sæcularibus, Religiosos & Clericos sibi subjectos ex causa punitionis, & quidem in Minoribus constitutos propter culpas leviores, in Majoribus propter excessus graviores. *can. 8. d. 45.* Episcopo tamen propriis manibus percutere non licet. *can. 25. dist. 86.* bene tamen per alium, qui de Jure scripto deberet esse Clericus (sicut si Prælatus Regularis vellet per alium castigare verberibus, is deberet esse Religiosus) aliàs tam mandans, quàm Laicus exequens, incurreret excommunicationem. *c. 24. de sent. Excomm.* Consuetudo tamen, cùm difficile sit reperire Clericos, qui id muneris in se suscipiant, incarcerationem, torturam, verberationem &c. permittit Laicis, cui consonat Jus recentius in *c. 15. eod. in 6.* Si percussio foret notabiliter excessiva, tam mandantes quàm exequentes incurrerent excommunicationem *Canonis.*

Dico 2. Clerici Laicum injustè vel immoderatè percutientes prima vice corripiendi, si verò se non emendent, sed sæpe ac passim, vel enormiter procedant ad verbera, deponendi sunt. *c. 1. 2. h. t.* Si autem notabiliter excedant in ver- 3

be-

berando Clerico, ipso facto incurrunt excommunicationem reservatam. *can. siquis suadente 23. cauſ. 17. q. 4. c. 24. cit.*

TITULUS XXVI.

De Malédicis.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur Malédicus. Quid ſit Blaſphemia, Detractio, Contumelia.*
2. *Quæ ſit pœna Blasphemiæ.*
3. *Quæ Detractionis, & Contumeliæ.*

1 *Malédicus* eſt, qui malè vel malum dicit ſeu loquitur contra vel de alio, ſeu qui maledictum jacit in alterum. Fieri poteſt vel contra Deum aut Sanctos, & vocatur *blaſphemia:* vel contra homines: ſi contra abſentes *detractio*, ſi contra præſentes vel in faciem, *contumelia, calumnia*, vel *convitium* appellatur: per detractionem famæ: per contumeliam honor proximi læditur: ſi proximo verbis optetur malum in futurum, dicitur *imprecatio.* Si per maledictum Deo aliquid negetur, quod ipſi convenit uti providentia, omniſcientia, juſtitia &c. vel ipſi aliquid tribuatur, quod ei non convenit, uti ignorantiæ, perſonarum acceptio &c. vel tribuatur creaturæ, quod Deo ſoli debetur, utì omnipotentia, futurorum & cordis ſecretorum ſcientia &c. eſt *blaſphemia hæreticalis:* ſiquis Deo optet malum, convitietur Chriſtum, abominetur Sacramenta Chriſti

Christi sanguinem, vulnera, Sacramenta &c. Si hæc per despectionem aut contemptum indecenter nominet, vocatur *blasphemia simplex*. Adverto tamen, quòd, siquis Sacramenta, sanguinem Christi &c. indecenter & temerè nominet absque contemptu, vel sine animo in Deum aut Christum exasperato, sed ex mala consuetudine, ex ira contra hominem vel jumentum, DEUM, Sacramenta &c. pronuntiet, propriè blasphemia non sit, sed tantùm indigna usurpatio Divini Nominis, & seclusô scandalô, aut conscientiâ erroneâ, peccatum veniale non excedat, sicut temerè & sine reverentia pronuntiare nomen *JEsu*.

Dico 1. Blasphemia, velut crimen læsæ Majestatis Divinæ, est graviſſimum peccatum sacrilegii, ut per se patet. Et ideo in Veteri Testamento ejus pœna erat lapidatio. *Levit. 24.* Hodie de Jure Canonico pœna est arbitraria, vel regulatur secundùm particularia statuta aut consuetudines locorum; quamvis olim in Clericum depositio, et in Laicum excommunicatio reperiatur statuta *can. 10. cauſ. 22. q. 1.* & postea præter pœnitentiam publicam mulcta pecuniaria *c. 2. h. t.* De Jure Civili *Nov. 77. c. 1. §. 2.* decretum est ultimum supplicium, quod Carolus V. si blasphemia immediatè contra Deum fieret, innovavit, sed sub disjunctione vel mortem, vel amputationem membrorum, scilicet labiorum aut linguæ, statuendo: blasphemantes autem B. V. vel Sanctos, si moniti non resipiscant, vel in corpore, v. g. fustigatione, linguæ amputatione &c. vel in fortunis, pro qualitate meledicti & personæ, puniri jussit. *Constit. Pœn. art. 160. Recess. Imper. IV. de anno 1548.* 2.

1548. art. 1. §. 2. & art. 3. Sed in multis locis hodie arbitrariam esse blasphemiæ pœnam in foro Civili, vel juxta loci consuetudinem aut statum mensurari, notant Criminalistæ cum Jul. Claro. In Bavaria exstat statutum in der Policey-Ordnung *l. 5. tit. 7. art. 1.*

3 Dico 2. Detractio & Contumelia sunt ex genere suo peccata mortalia, & detractor famæ, contumeliator verò honorem notabiliter læsum, tenetur in conscientia restituere, ut habet communis Theologorum. In ordine ad quam restitutionem & satisfactionem obtinendam competit læso *actio injuriarum*, vel *ad palinodiam*: quia hæc delicta sunt injuriæ verbales. Imò, licèt læsus non agat de injuria, malédicus tamen puniri potest. Sed qua pœnâ? R. arbitriâ, quia in Jure nulla est determinata. *l. un. C. siquis Imper. maled. c. 1. h.t.* non obstante, quòd læsus sit Princeps, Imperator, vel Papa. Deberet tamen pœna infligi ab alio Judice, quàm qui læsus est: ne quis judicet in causa propria.

Objic. 1. In *l. un. cit.* dicitur, maledictum, etiam erga Imperatorem, *si processerit ab injuria, esse remittendum*: ergo nulli subjacet pœnæ. 2. In *d. c. 1.* jubetur maledicens Pontifici ita puniri, *ut pœna aliis terrorem incutiat*: sed hoc videtur inconveniens, cùm Imperator remitti injuriam sibi allatam, Papa verò, qui tamen magis tenetur imitari mansuetudinem Christi, severè castigari velit. 3. Judex injuriam sibi à litigante in Judicio illatam punire potest, ut ait Bart. *in l. 5. ff. de pœnis.* ergo pœna non ab alio Judice infligenda est. R. ad 1. Imperatoris Imperator in verbis subsequentibus juffit male-

dicti

dicti tenorem ad suam scientiam referri ad dispiciendum, an puniri vel non puniri debeat: ergo non absolutè remisit pœnam. Deinde licèt generosi animi, Principe digni, sit remittere injurias, convenit tamen subinde pœnam exposcere ad maledicentiam hominum compescendam; &, quando maledicta seditionem vel rebellionem concitare possent, & sic ad crimen læsæ Majestatis pertinent, etiam oportet graves pœnas sumere. Ad 2. Pontifex non loquitur de eo, qui sibi suæque personæ maledicit, sed Sedi Romanæ ac Apostolicæ, vel *quà* Pontifici, ait enim: *verba quædam in depressionem officii & beneficii nostri protulit:* quod omnino plectendum est, *ne de cætero contra Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant*, uti Papa subjungit. Et hinc *c. 1. cit.* non adversatur *l. un. cit.* Ad 3. Licèt Judex litigantem, à quo injuriâ afficitur in Judicio, possit in continenti punire ob hoc delictum notorium ad tuendam authoritatem suam, qua pollere debet in Judicio; convenientiùs tamē extra hunc casum pœna ab alio irrogatur.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

SUMMARIUM.

1. 2. *Clericus in censura exercens Ordinem quas pœnas incurrat.*

Hìc agitur de gravi peccato, quo Clericus se obstringit, si aliquâ censurâ, *excommunicationis, suspensionis* (hæc enim venit 1

nit

nit quoque in Rubrica per *depositionem*) vel *interdicti* innodatus ministrat, h. e. actum Ordinis quà talis proprium exercet, v. g. celebrat Missam, absolvit à peccatis, baptizat solenniter, benedicit nuptias, cantat Evangelium cum Dalmatica in Missa solenni &c.

2 Dico. Clericus, in Majoribus constitutus, qui sciens, se esse excommunicatum (licèt toleratus) suspensum, vel personaliter interdictum, culpabiliter exercet actum Ordinis proprium, vel in loco interdicto, licèt ipse censuratus non sit, sic punitur. 1. Fit ipso facto irregularis. 2. Potest deponi, & privari beneficiis habitis. Pars prior constat ex *c. 9. & fin. h. t. c. 1. de sent. & re jud. in 6. c. 11. & 20. de sent. excom. in 6.* Pars posterior ex *c. 3. h. t.* Dixi, *culpabiliter*. Unde has pœnas non incurrit, qui ex ignorantia censuræ ministrat, vel urgente necessitate, v. g. si moribundo sit danda absolutio vel sacra synaxis, vel ad declinandum scandalum, infamiam, aut aliud malum grave, vel si toleratus ad requisitionem fidelium ministret.

Objic. 1. Si Clericus censuratus ministrans in Ordine incurrit dictas pœnas, etiam incurret Minorista exercens actum sui Ordinis, vel exercens actum Ordinis superioris, quem nondum habet. 3. vel Sacerdos exercens actum Ordinis invalidè, ut si celebret in aqua, sine intentione &c. sed hæc omnia sunt falsa: ergo. R. ad 1. Si Minorista exerceret actum sui Ordinis solenniter, quatenus est deputatus ad tale ministerium, quod tamen vel nunquam, vel saltem ordinariè non fit, cùm hujusmodi ministeria passim etiam à Laicis obeantur, incurrens pœ-

pœnas de Jure, utpote universaliter de Clericis loquente. Ad 2. patebit ex *tit. seq.* Ad 3. Si nullitas proveniret ex defectu intentionis, non incurreret, quia talis tantùm simulat se ministrare; bene tamen, si ex defectu materiæ, jurisdictionis, vel subjecti non bene dispositi; quia talis invalidè conficiens Sacramentum facit actum Ordinis proprium, quantum est ex se, & talis actus in ratione exercitii prohibiti jam est consummatus.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

SUMMARIUM.

1. 2. *Clericus exercens actum Ordinis, quem non habet, quas pœnas incurrat.*
3. *An idem dicendum de Laico idem faciente.*

ETiam hoc dilictum sacrilegii grave est, ac propterea à SS. Canonibus punitur, si nempe Clericus *ministrat* in Ordine, quem non habet, seu exercet proprium actum Ordinis, quem nunquam suscepit, cum requisita solennitate, seu eo modo, quo ab Ordinatis vi Ordinis potest ac solet exerceri, v. g. si Minorista vel Subdiaconus cum Dalmatica, stola, manipulo cantaret Evangelium in Missa solenni, si Diaconus legeret Missam, si Sacerdos attentaret conferre Sacramentum Confirmationis &c. 1

Dico. Clericus taliter ministrans seriò & culpabiliter ipso facto fit irregularis. 2. Suspendi potest ab exercitio Ordinis ultimò suscepti. 2

etiam excommunicari. Textus & DD. in *c. 1. & 2. h. t.* Dixi, *seriò*, h. e. non jocò aut per modum scenicæ actionis, sed cum intentione ponendi talem actum externum, quamvis intentionem non habeat validum Ordinis actum ponendi, cum sciat, id sibi impossibile esse Clemens VIII. & Urban. VIII. & certis *Constitut.* quas extractivè allegat P. Reiffenstuel *h. t. n. 13. 14.* qui insuper lituerunt degradationem realem in Missam celebrantes, vel Confessionem audientes, eósque tradi Curiæ sœculari præceperunt. *Objic.* Qui non habet intentionem exercèndi actum Ordinis validum, re ipsa non exercet, & sic non *usurpat* in Ordine, quem non habet: ergo nec pœnas incurrit. R. *N. Cons.* quia Jus jam punit eum, qui seriò intendit ponere actum externum eo modo quo solent ponere Ordinati ad talem actum.

3 Quæres an etiam Laicus, in Ordine sacro ministrans, fiat irregularis? R. cum communiore negativè, quia Rubrica hujus tituli loquitur tantum de *Clerico*, & sic restringit subjectum textum generaliter loquentem, qui tamen adhuc retinet generalitatem, in quantum comprehendit omnem *Clericum*. Graviſſimè tamen peccat Laicus, præsertim si attentet celebrare Missam, vel audire Confessionem Sacramentalem, tradendúsque Judici Sœculari, graviter puniendus: sic actum nuper Neoburgi ad Danubium quidam Bohemicola Laicus, solennes ibi celebrans Primitias, timô suppliciô fuit affectus.

TITU

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

SUMMARIUM.

1. 2. *Per saltum Ordinari se faciens ipso facto suspensus est.*

PEr *saltum* promotus dicitur, qui Ordines non gradatim, sed superiorem nondum suscepto inferiore suscipit, sive scienter sive ignoranter id faciat, ut siquis Presbyteratum ante Diaconatum, Subdiaconatum ante quatuor Minores, aut probabiliùs istos ante primam Tonsuram susciperet. 1

Dico. Quamvis Ordo per saltum susceptus valeat (excepto Episcopatu, qui essentialiter dicitur supponere Presbyteratum. per *c. 10. in f. de Excess. Præl.*) sic tamen promoveri se faciens ipso facto suspensus est ab exercitio Ordinis sic suscepti, non aliorum, nec ad alios, antequam suscipiat prætermissum Ordinem, promoveri potest, sine dispensatione aut permissione, quam dare potest Episcopus. *can. un. de 52. c. un. h. t.* & Trid. *s. 23. c. 14. de Ref.* & ibi Declarat. Cardd. apud Gallemart. *n. 4.* Si autem sic suspensus ministraret in Ordine per saltum suscepto, vel in prætermisso, fieret irregularis, quia ministraret in Censura, vel in Ordine, quem non habet. 2

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur furtivè Ordinatus.*
2. *Ejus pœna est Suspensio, non Irregularitas.*

1 FUrtivè Ordinem suscipere dicitur, qui citra & sine licentia Episcopi se immiscet Ordinandis, & sic subreptitiè ordinatur, vel eodem die sine debita licentia aut dispensatione cum Minoribus Subdiaconatum (ubi id consuetudo non permittit) vel duos Majores Ordines suscipit. *c. 1. 2. 3. h. t.*

2 Dico. Quamvis Ordo furtivè susceptus valeat, nisi Episcopus positivè & seriò nollet ordinare dolosè accedentes; quod non est præsumendum, licèt forsan potestaretur contra dolosè accedentes, propter gravia, quæ sequi possent, incommoda: sic tamen Ordinatus ab exercitio Ordinis furtivè susceptì (non aliorum) pariter ipso facto est suspensus, nec ascendere ad superiorem Ordinem potest sine dispensatione aut permissione, quam iterum Episcopo dare concessum est, nisi prius sub excommunicatione prohibuisset Episcopus furtivum accessum. *can. fin. d. 24. c. 1. 2. 3. tit.* Si exerceret Ordinem furtivè susceptum in suspensione, tanquam violator Censuræ fieret irregularis. Disputant DD. an furtivè Ordinatus hoc ipso fiat irregularis, cùm sine dispensatione nequeat ad

ad altiores Ordines promoveri. Mihi videtur, quòd non, quia nullibi eſt expreſſa irregularitas; quamvìs ferè ſit quæſtio de nomine cùm aſcenſum ad alteriores Ordines impediat etiam Suſpenſio, & aliæ Cenſuræ, non ſola Irregularitas.

TITULUS XXXI.

De Exceſſibus Prælatorum, & Subditorum.

SUMMARIUM.

1.2. *Quando Prælati contra ſubditos, & viciſſim hi contra illos dicantur excedere.*

3.4. *Quid ſtatutum ſit de Clauſura Monialium, & Monaſteriorum virorum.*

SIcut hucusque de variis delictis ferè Clericorum propriis actum eſt, ita hoc titulo taxantur quædam Prælatis Eccleſiaſticis erga ſubditos, & his erga Prælatos propria: vocantur *Exceſſus*, eò quòd per hujusmodi delicta excedantur limites à SS. Canonibus præfixi. In fine aliquid annectetur de Clauſura Monaſteriorum, quia alibi de ea tractandi occaſio non fuit. 1

Dico 1. Quamvìs Prælati Eccleſiaſtici in ſubditos generaliter excedere dicantur, quotiescunque eos ultra limites ſuæ poteſtatis & jurisdictionis gravant: Subditi econtra erga ſuos Prælatos generaliter excedant tunc, quando eorum juris- 2

dictonem usurpant, aut reverentiam vel debitam obedientiam illis denegant; Casus tamen particulares in hoc titulo specificantur & puniuntur, in quibus ab utraque Parte exceditur, v.g. 1. Si *Prælati Majores Ordinis Episcopalis* subditos onerent iniquis exactionibus, vel vexent Censuris injustè latis: si jura inferiorum imminuant: ipsis aliquid contra eorum privilegia imperent: Religiosis gravamina inferant &c. *c. 1. 2. 5. 7. 16. 17. h. t. Clem. un. eod.* cujusmodi gravamina, quæ Religiosis, præsertim Mendicantibus & Exemptis, inferre Episcopi quandoque solebent, in *cit. c. 16.* quindecim, & in *c. 17. seq.* duodecim, ac in *de Clem.* triginta recensentur. Quandonam verò Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, procedere contra Exemptos liceat, dictum *lib. I. tit. de off. & pot. Jud. Ord. n. 8.* 2. Si *Prælati Episcopô inferiores* sine hujus consensu uniant Ecclesias sibi subjectas: cognoscant causas Matrimoniales, imponant pœnitentias publicas, concedant Indulgentias: si violent interdicta &c. *c. 8. 12. fin. h. t.* Demum 3. Si *Subditi* dignitatem vel officium Superioris sibi usurpent: si Capitulum erigant, & jura Collegiorum prætendant propria auctoritate: si Prælatum negent suum esse Superiorem, titulum eique competentem honorem detrahant, ad Judicem Sæcularem trahant, ipsum invadant vel auxilium præstent &c. *c. 6. 14. 15. eod.*

3 Dico 2. Clausura Monialium, quæ professæ sunt Religionem ab Ecclesia approbatam, tam arctè stringit de Jure Communi, ut nec ipsæ ex-

tra

tra Monasterii sui septa sine gravi causa eáque manifesta, & sine licentia Episcopi possint egredi, vel alii ad egressum cooperari. 2. Nec ulli ad eas liceat ingredi sine justa causa, & licentia Episcopi, vel saltem Prælati Regularis, cui subsunt, citra excommunicationem reservatam, & privationem Officiorum. Licèt ingressus fiat non malo fine. Habentur hæc *c. un. de Stat. Regular. in 6. Trid. s. 25. c. 5. de Regular. Constitut. circa Pastoralis, & Constit. Decori. S. Pii V. Const. Deo sacris Gregor. XIII.* Justa causa autem ferè sola est necessitas: qualis ad egressum foret incendium, hostilis incursio, necessitas colligendi eleemosinas (pro quibus tamen colligendis mitti non debent juniores 40. annis) morbus in Monasterio non curabilis, vel aliis causans periculum: ad ingressum aliorum verò, si curandæ sunt infirmæ, Sacramenta ægris ministranda, Monasterium reparandum &c. Licentia Episcopi (cujus vices supplere potest Vicarius Generalis) aut Prælati Regularis, ubi periculum foret in mora, v.g. in incendio &c. non esset necessaria. Respectu exemptarum Episcopus ut Delegatus Sedis Apostolicæ dat licentiam: utrùm verò, si exemptæ sint, præter licentiam Prælatorum Regularium, quibus immediatè subsunt, ad egressum necessaria sit licentia Episcopi, controversia est, quam optimè dirimit Consuetudo. Dixi, *de Jure Communi*; nam aliud subinde permittunt vel particulares Ordinum Constitutiones, vel Consuetudines, vi quarum in quibusdam Monasteriis tam viri quàm fœminæ non difficulter

admittuntur ad septa, imò & ad Cellas Monialium.

4 Quæres, an pari ratione mulieribus sit prohibitus ingressus in Monasteria virorum? R. Prohibitus quidem est, at non in tanto rigore, ut ut nec ingredientes nec admittentes excommunicentur, nisi id faciant ex prætextu alicujus privilegii per *Constit. Decori. cit. & Const. Dudum Gregor. XIII.* Vi Consuetudinis saltem in quibusdam Ordinibus ingredi permittuntur fœminæ Principes, earúmque filiæ, ac aliæ, quæ eas comitantur (id quod & in Monasteriis Monialium observavi) item quæ sunt de familia Fundatoris, ut mihi sæpius relatum est.

TITULUS XXXII.

De Novi Operis Nuntiatione.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid, & quotuplex sit Nuntiatio novi operis.*
3. 4. *A quo, & cui nuntiari novum opus possit.*
5. 6. *Quis sit effectus Nuntiationis.*

1 PEr *Novum Opus* hìc intelligitur, ædificium quod quis molitur vel in fundo alieno vel in solo quidem proprio, at cùm alterius præjudicio, vero vel asserto, id vel exiendo de novo, vel pristinam ejus formam inmutando, v. g. aperiendo fenestram versùs hortum alterius, altiùs tollendo &c. Et hinc illi qui

qui indè sibi præjudicari putat, datur jus *nuntiandi novum opus*, h. e. prohibendi novam structuram vel novam ædificii formam, seu *nuntiatio novi operis*, quæ ex *l. 1. seqq. & l. un. C. h. t.* definitur esse *legitima prohibitio novum opus paranti facta, ne in ædificando pergat, donec de jure ædificandi, vel aliquid immutandi, constitetit, aut eo nomine præstita sit priùs satisdatio*, si nempe nuntians velit esse contentus satisdatione, seu cautione de ædificio demoliendo sumptibus ulteriùs ædificantis, si in Judicio litem perdiderit, modò nuntians intra tres menses voluerit de suo jure docere. *l. un. cit. c. penult. & ult. eod.* Si tamen ex dilatione ædificii immineret damnum ædificanti, cogi nuntians posset ad recipiendam cautionem. *l. 5. S. 12. ff. eod.* Barb. ad *d. c. penult. n. 2.* Ortum suum hæc nuntiatio habet à Jure Civili ex Edicto Prætoris. *l. 20. §. 1. ff. eod.* recepta tamen est per omnia à Jure Canonico *toto. h. t.* ubi conceditur etiam contra construentes novam Ecclesiam, Monasterium &c. & hujus rei occasione in *c. 1. eod.* Pontifex generaliter pronuntiat: *sicut Leges non dedignantur SS. Canones imitari, ita & SS. statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Cui consonant textus in *Nov. 83. c. 1. & Nov. 131. c. 1.* Quo pacto insinuatur, utrumque Jus, Canonicum & Civile, sibi mutuò succurrere, &, ubi unum deficit, ab altero suppleri, adjuvari, & interpretationem unum ab altero accipere, nisi apertè repugnent.

Dividitur Nuntiatio in Publicam & Privatam, 2
Realem & Verbalem. *Publica*, vel *Judicialis* est,

quæ fit authoritate Judicis implorati, qui vel per apparitorem prohibet, vel prævia inſpectione per deputatos in arte peritos præmiſsâ inhibet ad interim ulteriorem ædificationem. *Privata*, quæ fit privata auctoritate. *Realis*, quæ fit factô & per appoſitionem manûs, v. g. materiam & lapides jam paratos diſpergendo, vel lapillum in opus inchoatum jaciendo, cum verbis tamen vel ſignis prohibitionem indicantibus. *Verbalis* demum, quæ præcisè fit verbis prohibentibus, ne quid novi operis fiat, aut ut à cœpto deſiſtatur; nec enim interest, an opus jam fuerit inchoatum, vel tantùm ſuſpicio non vana appareat, ædificatum iri, ut ſi facta fuerit loci deſignatio, parati lapides, cæmenta &c. *arg. l. 1. §. 8. l. 20. §. 2. ff. h. t.* Ulteriùs adverte, quòd, ſiquis in alieno fundo ædificare cœpit, dominus fundi propria auctoritate opus deſtruere poſſit. *l. 7. §. 3. ff. quod vi aut clam.* quamvìs ad cavendum, ne veniatur ad arma, id non videatur conſultum. Optimus ſiquidem ſecurriſſimus & uſitatiſſimus nuntiandi modus est, qui fit authoritate publica & per imploratione officii Judicis.

Dico 1. Nuntiare novum opus, quod cedit in
3 præjudicium boni publici, quilibet de populo. 2. quod autem cedit in præjudicium privati, ille poteſt, cui præjudicatur in ſuo jure reali, quod habet, vel aſſerit ſibi competere, ſive ſit dominium, etiam utile tantùm, ſive ſervitus ipſi competens in alieno fundo &c. Pars 1. liquet ex *l. 3. 4. & 5. §. 9. ff. h. t.* Pars 2. ex *l. 1. pr. & §. 3. 16. 19. ff. eod. l. 5. pr. §. 8. 9.* Nec refert, an quis per ſe vel per alium nuntiet.

Dico

Dico 2. Nuntiari autem potest omni illi, qui 2
in alterius præjudicium molitur novum opus. *l. 8. pr. ff. c. 1. 2. eod.* & quidem non solùm domino ipsi novanti, sed etiam famulo, mulieri, puero, fabro, opifici, & similibus personis, quæ domino referre valeant nuntiationem factam, modò id contingat in loco, vel prope locum, ubi paratur novum opus. *l. 5. cit. §. 3. 4. l. 10. seq.* quia in rem ipsam directa est nuntiatio. *Objic.* Quilibet, saltem in suo fundo, ædificare potest, quidquid & quo modo voluerit, licèt vicinus indè aliquam sentiat incommoditatem, v. g. obscurationem suarum ædium, impedimentum prospectûs, etiamsi ædificare velit usque ad cœlum. *text. l. 8. C. de servit.* ex quo DD. formârunt hoc axioma, *si domus est mea, tunc mea est usque ad cœlum & usque ad infernum:* ergo nuntiari novum opus non potest illi, qui in alterius præjudicium molitur novum opus. R. *dist. ant.* nisi vicinus in domo ædificantis habeat servitutem realem urbanam (nam in servitutibus rusticis discontinuis, ut est via, aquæductus &c. locum non habet nuntiatio. *l. 14. ff. h. t.*) aut nisi quis solùm ex æmulatione vel passione erga vicinum ædificet, v. g. ad obscurandas ædes, ad explorandum hortum vicini &c. ut præsumitur, si ædificanti nulla indè proveniat utilitas: aut nisi opus novum cedat in damnum vel molestias boni publici, vel Religionis, ut si quis ædificium ita attollat, vel in pristino aperiat fenestram, ut exinde conspici possint personæ Religiosæ: aut denique nisi ex nova structura alteri, etiam privato, immineat periculum damni, vel ruinæ suarum ædium. *C. Ant.* siquid ex istis subsit. *N. Ant. & Conf.*

Dico

5 Dico 3. Effectus Nuntiationis, respectu Nuntiati, est, ut is statim debeat desistere ab opere, donec intra tres menses (intra hos enim nuntians probare debet iniquum præjudicium, quod si non fecerit, tenetur admittere cautionem. *l. un. C. eod.*) re examinata constet de ædificantis jure. *l. 1. l. 8. §. 1. & 4. l. 20. §. 1. ff. eod.* Si verò non obstante nuntiatione pergeret ædificare, propriis impensis demoliri deberet, quidquid ædificaverit. *l. 1. & 20. citt.* Ne verò detur occasio calumniosis nuntiationibus, potest nuntiatus, vel ejus loco Judex, exigere juramentum calumniæ, quo nuntians juret, se credere, quòd justam nuntiandi causam habeat. Dixi, *respectu nuntiati*, seu ædificantis, nam ex parte *nuntiantis* operetur hoc, quòd teneatur actione injuriarum, & interdicto, *ne vis fiat*, nec non interdicto, *uti possidetis*, si deprehendatur injustè nuntiâsse. per *l. 13. §. fin. ff. de injur. l. 45. §. fin. ff. de procurat. l. 8. §. 5. ff. si servit. vind.*

6 Dico 4. Effectus iste respectu Nuntiati cessat. 1. si fiat notorium jus ædificandi. 2. si ædificii dilatio cederet in manifestum periculum gravis damni ædificare volenti. 3. si nuntians nolit præstare juramentum calumniæ. 4. si sponte remittat nuntiatioem. 5. si Judex eam revocet. 6. si re adhuc integra moriatur nuntians, nisi filius & simul hæredum nomine nuntiâsset. 7. si recepit cautionem à nuntiato. 8. si intra 3. menses non probavit jus prohibendi. DD. passim ex variis legibus. Pariter nuntiatio locum non habet, si opus jam est perfectum & absolutum; sed tunc subintrat aliud remedium, nempe *restitutorium*,

quod

quod vi aut clàm. l. 1. cit. §. 1. Verùm *Objic.* 1. In *c. 1. h. t. & l. 1. ff. eod.* dicitur, nuntiationem novi operis impedire novantem in pergendo in novo opere, *sive jure sive injuriâ sit facta:* ergo non cessat, licèt ædificandi jus, & injustitia prohibitionis fiat notoria. 2. Nuntiatio non finitur morte Nuntiati: ergo nec morte Nuntiantis. R. ad 1. Id intelligendum est de injuria non notoria. per *l. 38. ff. de R. V.* Ad 2. *N. Conf.* nam nuntiatio ex parte Nuntiati est in rem, seu realis, & ideo transit etiam ad successores. *l. 10. ff. h. t.* ex parte Nuntiantis autem est personalis, & ideo ad successores non transit, imò nec ad hæredes, nisi & horum nomine facta sit.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Privilegium, & Excessus privilegiatorum.*
2. *Quotuplex sit Privilegium.*
3. *Quibus modis acquirantur Privilegia.*
4. *Præsertim per Communicationem.*
5. *Quid de usu privilegiorum tenendum.*
6. *Quomodo sint interpretanda.*
7. *An patiantur extensionem.*
8. *Quibus modis amittantur Privilegia;*
9. *Præsertim per Revocationem.*

Pri-

1 PRivilegium, à *privata lege*, nuncupatum, *formaliter* & essentialiter sumptum, est concessio alicujus juris specialis permanens à legitimo Superiore facta contra vel præter Jus Commune. Ex quo infertur, quòd objectivè sumptum sit jus speciale permanens à legitimo Superiore concessum sonderbahre Freyheit/ & appellatur etiam Indultum, Favor, Gratia, Immunitas, Beneficium Principis, quamquam in rigore ab his differat tanquam species à genere. Dicitur 1. *concessio permanens*, per quam durationem inter alia differt à dispensatione, quæ non necessariò habet perpetuitatem, & sæpe etiam unico actu finitur, ut si dispensetur in impedimento Matrimonii. 2. *alicujus juris specialis*, seu licentiæ aliquid agendi vel omittendi, reduntantis in alicujus bonum, à cujus usu ab aliis impediri negotii respectu quorum proinde rationem habet legis obligantis. 3. *à legitimo Superiore*, qui ferè solus est ille, qui potestatem Legislativam obtinet: is enim solus à Jure Communi eximere aliquem potest, & alios obligare, ne privilegiatum impedian in usu privilegii. Necesse tamen absolutè non est, ut concedens habeat jurisdictionem propriè dictam in personam privilegiati (modò materia privilegii ipsi sit subjecta) sed sufficit aliqua inferioritas privilegiati respectu privilegiantis: sic, licet Clerici non sint subjecti Principibus Laicis, quoad tamen quoad potestatem temporalem iis inferiores sunt, privilegium ab ipsis accipere possunt. *contra vel præter Jus Commune*, si nempe quod concedatur, cui contrarium est in Jure statutum, vel ubi Jus Commune nihil statuit: siquid concedat

secun-

secundùm Jus Commune, cùm nihil speciale indulgeatur, propriè privilegium non est, saltem *concessivum*, licèt aliqui vocent *declarativum*. Porro ad essentiam privilegii & valorem non requiritur Scriptura, ubi Jus specialiter eam non requirit: neque Promulgatio; quamvis insinuatio privilegii, motu proprio concessi, facienda sit privilegiato, ut acceptare, & licitè possit eô uti, imò ut validè regulariter: quia regulariter invitis non obtruditur; quamvis absolutè, sicut dispensatio, ita & privilegium invito dari possit, cùm eatenus non rationem donationis, sed legis obtineret: denique nec requiritur justa causa. Ratio horum omnium est, quia privilegium, sicut lex & gratia, unitè dependet à voluntate Superioris illud concedentis. Per *Excessus Privilegiatorum*, de quibus loquitur altera pars Rubricæ, denotatur abusus privilegiorum, si nempe iis utantur privilegiati contra intentionem vel finem privilegiantis, vel cum injuria aliorum, vel indè sumant occasionem liberiùs peccandi &c. ac propterea illis privari merentur. *c. 45. de sent. Excom.*

Dividitur Privilegium 1. in concessum *motu proprio*, & *ad instantiam*: illud est, quod Princeps concedit independenter ad preces, vel ad preces quidem, sed cum clausula, *motu proprio*: istud, quod ad preces alterius, & sine dicta clausula. 2. in *clausum Corpore Juris*, & *specialiter concessum*: illud est, quod in aliqua Juris Communis parte comprehenditur, atque ideo rationem Legis obtinet, ut privilegium *Canonis, & Fori*, aliáque personis Ecclesiasticis concessa: istud autem, quod per speciale rescriptum, diploma, litteras, vel etiam ore- 2

tenus,

tenus, seu *vivæ vocis oraculô*, ut ajunt, est concessum. 3. In *Commune*, quod immediatè & principaliter respicit bonum Communitatis, v.g. totius Ordinis Clericalis, ut privilegium *Fori*, & *Canonis*: & in *Privatum* seu *Singulare*, quod immediatè & principaliter bonum personarum particularium, utì privilegium S. C. Macedoniani, & Velleiani, ac Restitutionis in integrum; licèt per accidens mediatè & secundariò redundet quoque in bonum Communitatis. 4. In merè *Gratuitum* seu *Gratiosum*, quod ex pura liberalitate: in *Remuneratorium*, quod in compensationem precedentium meritorum, ut ferè sunt privilegia Religiosorum: & in *Oneroſum* seu *Conventionale*, quod cum onere reciproco per modum contractûs conceditur, ut si Civitas pro concesso sibi privilegio vicissim se obliget ad alendam Principis Curiam. 5. In *primò per se* concessum, quod alicui sine respectu vel ordine privilegii prius alteri dati: & *ad instar*, quod alicui datur cum respectu privilegii jam aliis indulti, & eum in modum, v.g. si Papa vel Imperator dicat: *concedimus Universitati Ingolstadiensi omnia privilegia, quæ concessa sunt Parisiensi, Bononiensi, Viennensi &c.* Ubi advertere, quòd, si contingeret privilegia dictarum Universitatum omnium, vel alicujus, revocari vel restringi, id non obesset Universitati Ingolstadiensi; quia illa concessio *ad instar*, vel per *communicationem*, facta censetur solùm denominationis, non individuæ dependentiæ causâ. 6. In *Favorabile*, quod principaliter ac totum concernit favorem privilegiati, ut in nullo præjudicium directè redundet, utì privilegium facit-

faciendi Testamentum insolenne, dispensandi, non recitandi Breviarium &c. & in *Odiosum*, quod simul continet gravamen vel præjudicium alterius, sive Juris, quale est omne privilegium contra Jus, sive hominis, quale est privilegium immunitatis à solvendis Decimis, Tributis &c.

7. In *Personale & Reale*, quæ divisio singulariter est notanda; quamvis enim omne privilegium ultimatò cedat in utilitatem personarum, quia hæ solæ sunt capaces favoris & beneficii, *Personale* tamen dicitur illud, quod directè & immediatè confertur in favorem certæ ac individualis personæ, unius vel plurium, ut si privilegians dicat, tibi, Semproni, do facultatem dispensandi, Breviarium non recitandi, &c. *Reale* autem, quod mediatè tantùm personæ, immediatè verò & directè confertur rei à persona distinctæ, sive dein hæc res sit locus (& tunc est privilegium *locale*, utì privilegium asyli) vel fundus, sive corpus seu Communitas, sive Status, Dignitas, Officium &c. quâ tale, utì privilegium venandi certo castro annexum, privilegia Ecclesiis Cathedralibus, Religiosis Ordinibus, Civitati, Statui Clericorum, Studiosorum, Pupillorum, Minorum, Mulierum &c. Episcopis, Præpositis, Vicariis Generalibus, certis Officialibus quà talibus &c. concessum. Si autem privilegia, utì subinde contingit, Religioso Ordini, Civitati, Communitati, Statui &c. ità concedantur, ut non solùm Communitas quà talis iis uti valeat, sed etiam singula membra, ac personæ propter communem qualitatem, seu quatenus sunt membra, à quibusdam realia, ab aliis personalia, rectiùs autem vocantur *mixta*: cujusmodi

privilegium censetur esse Nobilium, Studiosorum, & omnia, quæ ob conditionem personæ concessa sunt, item, *privilegium Exemptionis* Religiosorum à jurisdictione Episcopi. Pirhing *h. t. n. 52.* ut àdeò exempto Ordine vel Monasterio censeantur omnes Religiosi quoque personaliter exempti. Idem tene de Clericis, quòd censeantur hoc ipso personaliter esse exempti, si Ecclesia, cujus sunt membra, est exempta. *c. 9. h. t. in 6.* non autem vice versa exemptis Clericis vel Religiosis censetur exempta Ecclesia vel Monasterium. *c. 9. cit.* Inter Privilegium *Personale* & *Reale* in effectu reperitur hoc notabile discrimen, quòd illud comitetur personam, ubicunque exstiterit, & extinguatur cùm persona privilegiata: istud verò transeat ad hæredes & successores in tali fundo, officio &c. & ad nova membra Communitatis. In dubio privilegium præsumitur esse reale, si sit merè favorabile, & personale, si odiosum. per *c. 15. 21. de R. J. in 6. l. 3. ff. de Constit. Princ.*

3 Dico 1. Privilegia acquiruntur triplici modo. 1. *Concessione* Superioris cum vel sine scriptura *can. 7. caus. 25. q. 2. Clem. 2. §. nos etenim. de sepultur.* Si privilegium est contra Jus Communem à solo illo concedi, qui legem condere, potest, & cujus jurisdictioni subjectus est privilegiatus; quia involvit dispensationem in lege cum subdito; cùm dispensatio sit actus jurisdictionis, quæ non nisi in subditos exerceri potest. Si verò est præter Jus, potest etiam concedi non subdito & à Superiore jurisdictionem non habente in privilegiatum; cùm non involvat dispensationem. 2. *Communicatione*, qua privilegium uni concessum ex-

extenditur à concedente etiam ad alium vel alios, imò ipsi privilegiato potest indulgeri potestas communicandi aliis. Communicatio hæc fieri potest tribus modis: nempe vel terminis generalibus simpliciter tantùm conceptis: vel absolutam paritatem indicantibus, nempe his, *ad instar & pariformiter*, vel *æquè principaliter*; vel limitatè, non æquè principaliter, sed accessoriè tantùm propter connexionem; quo ultimo modo privilegia Religiosorum communicantur eorum familiaribus, domesticis, aut dominorum servis? & hoc modo plus non communicatur, quàm in ipsa communicatione fuerit expressum. Primô autem modô communicata privilegia participantur quidem omnia aliis, sed ordinaria tantùm, non extraordinaria; quia sub generali locutione non veniunt illa, quæ speciali nota & mentione sunt digna. *arg. C. 81. de R. I. in 6.* Si secundô modô communicantur, uti fit apud Religiosos Ordines, etiam extraordinaria censentur esse concessa aliis, at non sine omni limitatione, ut statim *n. seq.* dicemus. 3. *Consuetudine*, vel *Præscriptione*: vel potius hujusmodi consuetudo vel præscriptio obtinet vim privilegii. *c. 9. de off. ord. c. 13. de for. comp. c. 26. de V. S.*

Quæres, quinam Religiosi & qualem inter se habeant privilegiorum communicationem? R. Religiosi Ordinum Mendicantium omnes habent communicationem mutuam omnium privilegiorum *ad instar pariformiter*, & æquè principaliter ac directè concessam. 2. Imò etiam cum Religiosis non-Mendicantium. 3. At non mutuam; nam Religiosi non-Mendicantium, nisi cum Congregatione Cassinensi vel Lateranensi, vel alia, cui id 4

ſpecialiter à Pontifice indultum eſt, non viciſſim participant Mendicantium. Communis cum Aſcanio Tanburino *de Jure Abbat. to. 1. d. 17. quæſito 1. & 2.* id deſumens ex variorum Pontificum Bullis, Leonis X. Clem. VII. S. Pii V. Gregorii XIII. & XIV. Sixti V. Clem. VIII. Sedeque Mendicantes prorsus omnia & ſingula illa conceſſa participant, quæ nimirum vel certum locum reſpiciunt, vel certæ Eccleſiæ in honorem alicujus Sancti, vel ob ſpecialem rationem conceſſa ſunt, utì Indulgentias *Portiunculæ*, altari privilegiato pro defunctis annexas &c. vel quæ Pontifex ſpecialiter aliis communicari noluit, cujusmodi aliqua Societati JESU conceſſerunt Gregor. XIII. & Greg. XIV. minùs participant privilegia, quæ labefactant obſervantiam Regularem, v. g. privilegium habendi proprium, teſtamentum faciendi &c. Ordinibus Militaribus conceſſum.

5 Dico 2. Uſus privilegii non eſt ſub præcepto *c. 6. h. t.* niſi non-uſus cedat in præjudicium alterius. *c. 12. de for corp.* ut ſi privilegium eſt conceſſum toti Communitati vel Statui, v. g. Collegiali, uti eſt privilegium *fori* & *canonis*. 2. Limitatus quoque per ſe & validus eſt etiam extra territorium concedentis, ſi ſit privilegium perſonale illimitatè conceſſum. Suar. *de LL. lib. 8. c. 21. n. 10. ſeqq.* cum communi: niſi actus in alieno territorio eſſet prohibitus ſpeciali Lege, qua etiam peregrini obligantur. 3. Etiam contra perſonam privilegiatum, licèt privilegia aliquo modo lædi opponantur, ut ſi unum ſaltem tacitè eſt conſideratum; niſi alter, v. g. ſit exemptus, ut ſi alius habeat privilegium percipiendi decimas, tu vero

pri-

privilegium ex tuis agris non solvendi: vel si unum est generale, alterum speciale; istud enim præfertur alteri. *c. generi 34. de R. I. in 6.* si autem verè sibi contrarientur, quia utrumque absolutum, utrumque generale, vel utrumque speciale, attenditur, quodnam ab altiori potestate proveniat, vel, si in hoc sunt paria, quodnam sit antiquius. Suar. Haun. alii.

Dico 3. Interpretatio privilegiorum (cui tamen locus non est nisi in dubio de mente concedentis.) ita facienda est, ut attentis verbis, subjectâ materiâ, & circumstantiis, stylô Curiæ consonet menti concedentis, à qua velut anima totum habent suum vigorem. Et hinc servanda est verborum proprietas secundùm communem usum. *c. 7. h. t.* nisi aliud obstet. 2. Non tamen ita arctanda est, ut nihil speciale operentur contra vel præter Jus Commune, evadant inutilia, vel etiam onerosa privilegiatis. *l. 1. §. 2. ff. ad municipalem c. 30. h. t.* quia aliàs privilegia perderent suam naturam. 3. Privilegia favorabilia sunt latè interpretanda, non obstante, quòd interpretatio lata cederet in præjudicium concedentis. *c. 15. de R. I. in 6.* Et de his procedit nota regula: *Beneficium Principis latissimè est interpretandum, etiam contra ipsum Principem. l. 3. ff. de Constit. Princ. c. 22. h. t. c. 16. de V. S.* ibi: *cùm beneficia Principum sint interpretanda largissimè.* Talia sunt in Corpore Juris clausa: in favorem Religionis, causæ piæ, vel boni publici concessa: item aliis indulta, quæ non cedunt in præjudicium tertii, & merum favorem continent, utì privilegia dispensandi, à casibus reservatis absolvendi, comedendi carnes in die absti- 6

nentiæ &c. Latior quoque interpretatio permittitur in privilegiis motu proprio & ex certa scientia datis. *c. 23. de Præb. in 6.* Econtra 4. strictæ interpretationis sunt odiosa, quantùm patitur proprietas verborum. *c. 15. cit.* nisi privilegium contineat favorem Religionis aut causæ piæ aut Corpori Juris sit insertum. Cujusmodi autem privilegia odiosa sunt, quæ sunt contra Jus Commune per *c. 7. 9. h. t.* vel contra jus privati. *arg. c. 12. de off. Ordin.* Imò privilegium, quo derogatur jus tertii, idque non exprimit privilegians, per *c. 1. de constit. in 6.* est subreptitium & nullum.

7 Quæres, an privilegia favorabilia, sicut laxam interpretationem, ita etiam patiantur extensionem ultra proprietatem verborum ad personas & casus in iis non expressos ob paritatem vel identitatem rationis? R. propriè dictam extensionem non patiuntur; quia tota vis pendet ex voluntate concedentis, quæ exprimitur per verba, non ex ratione. Unde illud tritum: *privilegium tantùm valet, quantùm sonat:* & *Regula 74. in 6. quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* sic, si Titio propter merita in privilegio expressa concedatur pluralitas beneficiorum, immunitas solvendis decimis &c. idem privilegium extendi non potest ad alium, qui paria, eadem, vel etiam majora habet merita. Dixi, *propriè dictam extensionem*, quando nimirum alii casus, vel personæ nec formaliter nec virtualiter in privilegio comprehenduntur; si enim saltem virtualiter comprehenderentur, posset fieri extensio, quæ tamen potiùs esset *interpretatio comprehensiva:* sic, si Clero detur potestas testandi ad causas profanas, cen-

setur

ſetur etiam data poteſtas faciendi legata, codicillum, donationem mortis causâ ad profana: ſi cui concedatur poteſtas recitandi Matutinum à prandio, & is indigeat ſocio, v. g. propter imbecillitatem oculorum, etiam extenditur ad ſocium; ſi filiis & fratribus indultum eſt privilegium, rectè porrigitur quoque ad filias & ſorores. *arg. l. 93. §. 3. ff. de Legat. III.* niſi aliunde appareat reſtrictio, vel de contraria concedentis intentione conſtet. *Objic.* Lex favorabilis extenditur ad caſum non expreſſum, in quo reperitur eadem ratio: ergo & privilegium favorabile. R. N. *Ant.* ſi ille caſus nec virtualiter (v. g. tanquam pars in toto, vel aliquid minus in eodem genere, vel ut acceſſorium, vel aliàs arctè connexum cum expreſſo) comprehenditur in Lege; quia voluntas Legislatoris, non ratio, facit legem.

Dico 4, Privilegia amittuntur ipſo Jure ſequentibus modis. 1. *Interitu ſubjecti*, nimirum vel rei, ſi privilegium ſit reale, vel perſonæ, ſi perſonale. *c. 25. de V. S. inf. c. 7. de R. J. in 6.* ſi nimirum res penitus deſinat, aut totaliter deſtruatur, v. g. Collegium, Eccleſia &c. ſine ſpe reſuſciationis. 2. *Lapſu temporis*, ſi ad certum tempus fuit reſtrictum. 3. *Conditione non impletâ nec deinceps implendâ*, ſub qua fuit conceſſum. 4. *Ceſſante causâ finali. c. 60. de appell.* ibi: *ceſſante causâ ceſſat effectus*, & concedentis intentio: modò privilegium habeat *tractum ſucceſſivum*, h. e. non conſummetur unico actu, & cauſa ceſſet *contrariè*, h. e. ita, ut ejus uſus reddatur illicitus: ſic habens privilegium comedendi carnes in Quadrageſima propter infirmitatem corporis, hac ceſſante debet ceſſare à

8

comestione carnium: habens privilegium non residendi, si postea ex ejus absentia ob defectum Ministrorum Ecclesia pateretur damnum in sacris Ministeriis, residere teneretur. Si verò causa cesset solùm *negativè*, h. e. præcisè non ampliùs existit, manet privilegium: sic, siquis ex privilegio acquisivit secundum beneficium ex causa, quòd primum non fuerit sufficiens ad congruam sustentationem, potest retinere & istud, licèt primum auctis reditibus postea factum sit sufficiens. 5. *Monente concedentis*, sed solùm tunc, quando concedens addit clausulam, *ad beneplacitum meum*, aùt, *quamdiu voluero. c. 5. de Rescr. in 6.* nam per mortem extinguitur beneplacitum, & voluntas ad quam fuit facta restrictio, Aliàs regulariter per obitum concedentis non exspirat privilegium, perfectè jam concessum. *c. 9. de off. deleg. in 6.* nam *beneficium Principis decet esse mansurum. c. 16. de R. J. in 6.* Aliud foret, si gratia nondum perfectè esset facta, sed solùm commissio alteri data, ut gratiam vel privilegium alicui conferat; tunc enim, si ea integra moriatur delégans, evanescit potestas ab legati.

6. *Renuntiatione* liberâ privilegiati expressâ vel tacitâ. *c. 12. de for. compet. c. 23. de Regul.* modò renuntiatio non cedat in præjudicium tertii, v. g. integri statûs: sic utique Clericus renuntiare nequit privilegio *Fori* & *Canonis*. Et modò accedat consensus privilegiantis, &, si renuntiatio cedat in favorem tertii, hujus acceptatio; nam usque renuntiatio, utpote nondum acceptata, semper pro libitu est revocabilis, & licitus privilegii usus ac validus. Renuntiatio tacita est non usus,

usus, vel usus contrarius privilegii. Unde amittitur *7. non-usu omissivo*, si nempe privilegium sit concessum sub conditione usus, & occasio utendi fuerit. per *l. 1. ff. de Nundinis. l. penult. C. de Servit.* Tunc enim & renuntiatio, & præscriptio, tollit privilegium: pariter præscriptione tollitur, si volentem uti privilegiô alius, cui privilegium est onerosum, prohibuit, & ille prohibitioni acquievit præfixo ad præscribendum tempore. Dixi *omissivo*, si enim non-usus est mere *negativus*, hoc est, privilegiatus præcisè non utitur privilegiô, vel quia non est occasio commoda utendi, vel quia non placet, nullo modo amittit non-utens, sive sit privilegium continens merum favorem sive etiam gravamen alterius. *l. 34. §. 1. l. 35. ff. de Servit. prad. Rust.* quia ex tali non-usu nec tacita renuntiatio, utpote quæ tam parùm indè argui potest, quàm voluntas rem habendi pro derelicta, qua quis ex mero arbitrio non utitur, vel utendi occasionem non habet, nec præscriptio, utpote quæ in actibus meræ facultatis non procedit, locum invenit. Putant tamen aliqui, privilegium aliis præjudicioſum vel onerosum, ut est privilegium percipiendi Decimas, visitandi Monasteria exempta &c. extingui diuturno non-usu, si fuit occasio utendi. 8. *usu contrario.* qui respicit privilegium negativum duntaxat, sed solùm tunc amittitur, quando privilegium est onerosum, v. g. non solvendi Decimas; siquis enim diu solvit Decimas; vel arguitur tacita renuntiatio, nisi error vel ignorantia probetur, vel inducitur præscriptio. Sed forsan alii non malè discurrunt de usu contrario, sicut discurrimus de non-usu. 9. Denique *abusu*

privilegii, illud nimis extendendô, contra intentionem concedentis utendô &c. at regulariter non ipso Jure, sed per sententiam. *can. 7. d. 74. c. 24. &c. h. t.* nisi Jus statuat privationem ipso facto, quo modo privatur jure eligendi pro una vice, qui scienter eligit indignum. Sed & hoc casu licitus est usus privilegii, donec feratur sententia declaratoria criminis.

9 Quæres, an, & quando amittantur privilegia per *Revocationem* concedentis, vel ejus successoris, cui par est potestas? R. amittuntur, si revocatio sit valida, & privilegiatis debitè insinuata. Communis ex *c. 1. de R. J. X. &c. 1. de Constit. in 6.* nam qui pro arbitrio gratiam fecit, pro arbitrio rursus adimere potest. Habent quoque privilegia rationem precarii potiùs, quàm dominii, quæ nec validè revocabilis regulariter est. Si tamen privilegians temere & sine justa causa revocaret illicitum foret & Principe indignum. Valida autem revocatio non est. 1. Si privilegium ab inferiore concessum, à Superiore sit confirmatum. 2. Si privilegium sit conventionale, seu onerosum, interveniente pacto datum: vel inde adquod dominium alicujus rei, v. g. castri acquisitum: vel si privilegium sit remuneratorium, & Justitia (non in mera Gratitudine) fundatum eique commensuratum: vel gratuitum quidem at non subdito concessum, & ab hoc acceptatum: hæc enim privilegia vel involvunt, vel transeunt in pacta, consequenter tribuunt jus rigorosum: tali autem jure quæsito Princeps vel Superior privare nequit absque causa publica, seu publicum bonum spectante. Quamdiu autem revocatio

debite non fuerit intimata (licèt privilegiatus casu & per accidens veniret in ejus notitiam) licitè pergit & validè in usu sui privilegii.

Revocatio autem potest esse vel *specialis*, nempe per decretum speciale, aut per legem generalem, cui tamen inserta est specifica privilegii mentio revocatoria: vel *generalis*, qua privilegians generaliter derogat privilegiis suæ constitutioni contrariis, v. g. per hanc clausulam, *non obstantibus* (vel *abrogatis*) *privilegiis quibuscunque in contrarium.* Si tamen privilegium, cùm concederetur, fuit munitum clausulâ aliquâ derogatoriâ revocationis, v.g. hac vel simili, ut non censeatur revocatum, *nisi expressa, specialis, de verbo ad verbum fiat ejus mentio*, per illam clausulam generalem non censeretur revocatum, quia per genus non derogatur speciei. *arg. l. 80. ff. de R. J.* Sed opus esset fortiori clausula, & tali, qualem ad derogandum requirit clausula priori privilegio apposita, v. g. hac vel simili, *non obstantibus privilegiis quibuscunque, etiam munitis hac clausula derogatoria, ut eis derogari non possit, nisi eorum expressa, specifica, aut de verbo ad verbum fiat mentio.* Ex quibus etiam inferes, illa privilegia Regularium à Tridentino non fuisse revocata, quibus per nullam clausulam specialem derogant decreta Tridentini; sicut enim per clausulam generalem Legis derogatoriam non derogatur specialibus statutis & locorum consuetudinibus, ita nec privilegiis particularibus, in Corpore Juris non contentis; cùm genus non deroget speciei, bene tamen species generi, *l. 80. cit.* Revocata tamen fuisse illa, Decretis Tridentini contraria, quibus dicta Decre-

ta expresè & specificè derogant. Trid. *S. 25. c. 20. & 22. de Regular.* Unde ab Alexandro VII. damnata quoque est hæc propositio: *Regulares possunt uti privilegiis suis, quæ sunt expresè revocata à Concilio Tridentino.*

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit, & quomodo fiat Purgatio Canonica.*
2. *Quando habeat locum.*
3. *Quis ejus effectus.*

1 *PUrgatio* hoc loco est *ostensio innocentiæ per objecto crimine.* Si fiat modò à SS. Canonibus præscriptô, vocatur *Canonica.* Si alio, *Vulgaris*, de qua in *tit. seq.* Plures quidem olim erant modi se purgandi à SS. Canonibus recepti, velut per juramentum ad Sepulchra vel Reliquias Sanctorum: per publicam sumptionem Evchariſtiæ, adjecta quandoque imprecatione repentini interitûs, si objectum crimen sit commissum &c. Sed hodie, postquam Fidelium sincera in Deum & Sanctos fiducia deficere, vel in superstitionem degenerare cœpit, exoleverunt, & vix mansit unicus modus *c. 1. 5. 7. h. t.* præscriptus, qui consistit 1. in juramento, quo purgandus tactis Evangeliis, etsi Episcopus sit, jurare debet, nec per se, nec per alium suo nomine, commissum esse crimen vel excessum sibi objectum. 2. in juramento aliorum virorum (vel in horum defectu fa-

fæminarum, honestæ vitæ) qui *compurgatores* dicuntur, plures vel pauciores, v. g. 12. 7. 5. 3. juxta qualitatem delicti, infamiæ, personæ, & pariter tactis Evangeliis jurare debent, quòd credant, objectum crimen à Purgando seu Reo non esse perpetratum: proin Purgandus ipsis debet esse notus. Prius juramentum est *veritatis*, posterius *credulitatis*. Iste modus, etsi valde aptus sit ad finem à Jure Canonico intentum & salutaris, ut crimen, quod alio modo satìs probari nequit, vel detegatur & debitè puniatur, vel ut personæ diffamatæ ac innocentis honor restauretur, tamen ferè in solo foro Canonico locum obtinet (In Civili enim ejus loco adhibetur Tortura) Imò etiam in foro Canonico ferè in desuetudinem abiit, & rarissimè indicitur, nisi ubi viget Sacra Inquisitio contra Hæreticos, ut notant Doctores cum Jul. Claro, ídque reprehendunt.

Dico 1. Ut Judex competens indicere possit Purgationem Canonicam, requiritur 1. ut persona, cui indicenda est, sit talis, cujus integritas famæ multùm est necessaria Reipublicæ, proba, & non vilis aut plebeja. *c. 1. 3. 5. h. t.* 2. ut præcesserit accusatio, vel denuntiatio, vel diffamatio, aut indicia gravia, unde aliquis verisimiliter apud viros graves sit suspectus de gravi crimine. *c. 4. seqq. eod.* 3. ut nec innocentia nec crimen alio modo, v. g. per testes, probari queat. *c. 10. eod.* denique 4. ut crimen non sit notorium. *c. 15. eod. c. 9. de Accus.* 2

Dico 2. Effectus Purgationis Canonicæ vel est absolutio à crimine & declaratio innocentiæ, proin sublatio infamiæ & scandali, si legitimè facta sit. 3

text.

text, & DD. *in c. 8. 10. h.t. l. 2. ff. de Jurejur.* Vel condemnatio ad pœnam crimini proportionatam, si Reus in Purgatione deficit, vel jurare renuendo de sua innocentia, vel compurgatores non inveniendo, qui de credulitate jurare vellent. *text. & gl. in c. 7. h.t.* quia præsumptio, quæ prius tantùm erat verisimilis contra diffamatum, contra deficientem in Purgatione fit violenta & vehementissima, ut adeò etiam pœna ordinaria (non tamen mortis vel mutilationis) infligi possit, pro ea, quæ tradidi ad *tit. XXIII. lib. II. de Præsumptionibus.* nam deficiens in purgatione habetur pro convictus. *Summar. & text. in c. 10. cit.* Mitiùs tamen & arbitriô Judicis puniendum volunt alii præsertim si defectus fuit ex parte Compurgatorum.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit, & quomodo fiat Purgatio Vulgaris.*
2. *An sit licita.*
3. *An cruentatio Cadaveris faciat probationem.*
4. *Quid de Provocatione ad Divinum Tribunal sentiendum sit.*

1 PUrgatio *Vulgaris* sic dicta, quia Vulgi superstitiosæ observationi originem debet, est *probatio criminis vel innocentiæ ex superstitiosa vulgi observatione & moribus introducta.* Fieri solebat vel per duellum: vel per ignem, vomeres aut prunas ardentes, nudis pedibus subitus

tas

tas, aut manibus portandas: vel per aquam fervéntem aut ebullientem: vel per aquam frigidam, ea opinione, ut pro innocente haberetur, qui illæsus manſiſſet, pro nocente autem & reo, qui læſus fuiſſet, aut in ultimo caſu ſupernatâſſet aquæ frigidæ. Hi quatuor modi certò ſunt illiciti & vani, quia hæc media cognoſcendi innocentiam ſunt improportionata, ſuperſtitioſa, & tentationem Dei continent, quia vel à Deo petitur miraculum, vel tacitè invocatur dæmonis auxilium. Quæſtionis tamen eſt, an *cruentatio cadaveris* (ſeu occiſi hominis) ad præſentiam occiſoris præbeat indicium factæ ab hoc homine occiſionis, aut ſaltem ſufficiens ſit ad eum licitè torquendum. Dein an licita ſit *provocatio ad Divinum tribunal*, fürs Gericht Gottes citiren/aut in das Thal Joſaphat laden.

Dico 1. Purgatio Vulgaris, quæ fit dictis quatuor modis, etiam de Jure Canonico graviter eſt prohibita, & nullam facit probationem ita ut ſententia, indè lata, ſit retractanda. *c. 1. 2. 3. h. t.* Rationes jam ſunt allatæ, quibus adde, quia manifeſtum inducerent periculum condemnandi innocentem, vel abſolvendi reum. per *c. 2. cit.* Sed *Objic.* 1. Concilium Moguntinum relatum *in can. 24. cauſ. 17. q. 4.* ſtatuit, ut, *qui bresbyterum occiderit - - - ſi ſervus eſt, ſuper 12. vomeres ferventes ſe expurget*: ergo aliqua Purgatio vulgaris approbatur à SS. Canonibus. 2. Exſtant exempla SS. virorum & mulierum, qui per ignem vel aquam purgârunt ſuam innocentiam, utì S. Cunegundis Henrico II. ex Duce Bavariæ Imperatori, ſancto ſuo conjugi. Et DEUS per miracula comprobavit, id ſibi non diſplicuiſſe. R. ad 1. 2

Illud

Illud Concilium fuit particulare errori obnoxium, & in hoc puncto à Jure Canonico *in citt. cc.* reprobatum. Ad 2. Illi homines sancti vel ex speciali DEI instinctu, vel Religione ducti, petierunt bona fide & sperârunt miracula à DEO, atque ideo DEUS propter bonam fidem & piam simplicitatem prodigiosè adstitit. Sed hujusmodi non sunt in consequentiam trahenda, ubi prædicta non adsunt.

3 Dico 2. Cruentatio cadaveris non est probatio, vel indicium probabile, eum esse occisorem, ad cujus præsentiam cadaver cruorem stillat, nec sufficiens ad complenda indicia de se non sufficientia ad torturam. Communissima contra paucos, quia incertissimum est, an cruor non fluat ex aliis causis naturalibus, v. g. venarum putrefactione, ut sanguinem retinere ampliùs non possint, externi aëris fortè calidioris, aut calidarum exspirationum operatione &c. an non dæmonis ope & præstigiis, an non casu &c. dein sæpe, &, ut puto, ordinariè non fluit sanguis in præsentia occisoris, atque econtra fluit occisore procul absente, ut frequens docet experientia. Vid. Heigius *p. 2. q. 39. n. 104. in QQ. Jurid. Objic.* pone dici, quòd cruor in cadavere effervescat & moveatur præsente hoste per antiphatiam ex præcedente odio & indignatione ortam: ergo cruentatio hæc non est indicium vanum, superstitiosum, & adeò incertum. ℟. Etsi fortè aliquid in antiphatiam refundi posset, quod tamen valde incertum, nec satìs probabile est, aliàs enim etiam bos vel sus exanimatus à lanione, vel alio animali, in hujus præsentia cruorem

orem stillare deberet, maximè si animal occisum priùs in furorem fuit concitatum: sed nihil tale notatum unquam est: etsi, inquam, fortè aliquid tribui posset Antipathiæ, nullatenus tamen securè huic nimis tenui conjecturæ fidendum; cùm plures aliæ causæ naturales & magis probabiles reperiri soleant, quibus longè aptiùs tribuitur cruoris stillatio, præsertim cùm ordinariè contingat etiam absente occisore.

Dico 3. Provocatio ad Divinum tribunal quamvis absolutè licita sit, siquis nempe certò injustè oppressus, & omni humano præsidio ad se tuendum destitutus, ad DEUM, tanquam Judicem superiorem, provocet non ex cupiditate vindictæ & iræ excessu, aut ex vanitate, aliáve vitiosa affectione, nec petendo quasi miraculum, ut v. g. DEUS intra anni curriculum manifestet innocentiam, vel oppressorem ex hac vita intra certum tempus avocet ad reddendam rationem &c. sed humiliter rogando, ut DEUS aliquo Providentiæ aut Justitiæ suæ opere aperiat veritatem, & oppressam vindicet innocentiam, vel in hoc vel in altero mundo, prout ipsi libuerit. Ita communis cum S. Thoma, & probatur tum ex S. Scriptura, in qua David dixit ad Saulem: *judicet Dominus inter me & te; & ulciscatur me Dominus ex te. 1. Reg. 24.* tum exemplis proborum hominum, quæ adducuntur à Justo Lipsio, Del-rio, & Raynaudo, tum ex ratione, quia taliter facta provocatio est appellatio debitè interposita ad supremum Judicem, cùm in terris non reperiatur, qui possit vel velit tueri innocentiam. Et profectò habent Judices, injustum gravamen inferentes, 4

cur timeant ejusmodi provocationes; quia Deus audit injustè oppressorum clamores. Certè P. Drexel. *in suo tribun. l. 2. c. 3.* affert omnino 14. exempla tragica, in quibus tales citationes ad Dei tribunal suum omnes effectum consecutæ sunt. Econtra si justam ferant sententiam & evadantur, ridere debent, vel etiam punire talem citationes. Pariter nemo curare debet, qui non certò sibi debitam repetit vel retinet, adversarius id conjiciat supra ipsius animam, dicens fortè, ich gibs dir auf dein brinnende Seel ꝛc. Cur enim timeat mens conscia recti? Magnam tamen timendi causam habet tam temere vel malitiosè provocans. Quamvis inquam, provocatio ad Divinum tribunal absolutè licita sit, regulariterve men periculosa est, ne nimirum intervenirit vel tentatio Dei, vel cupiditas vindictæ, vel inordinata alia animi passio, vel scandalum &c. quæ ipsu utique illicita foret.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & Damno dato.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid, & quotuplex sit Injuria.*
3. *Quæ exinde nascantur Actiones.*
4. *Quæ circa eas sint notanda.*
5. *Quibus modis cesset Actio injuriarum, præsertim an Retorsione.*
6. *Quid hoc loco sit damnum datum, & exinde competens actio Legis Aquilia.*

7. Quid

7. *Quid ex quasi delicto datum, & quæ indè competant actiones.*
8. *An actio Legis Aquiliæ oriatur etiam ex culpa levissima, etiam omissionis, & quando concurrit cum contractu, in quo non præstatur culpa levissima.*
9. *Damnum dolô datum ante omnem sententiam:*
10. 11. *Datum verò ex culpa merè Juridica non ante.*
12. 13. *Bene tamen post sententiam Judicis tenetur resarcire damnificans.*

INjuria, quamvis generalissimè accepta *pr. Inst. & l. 1. pr. ff. h.t.* dicatur omne id, *quod non jure fit*, sive dein culpa vel dolus interveniat, sive non: à Theologis autem, *quod contra jus alterius fit*, à quibus definitur esse *violatio juris alieni*: Juridicè autem ac specificè rursus accipitur 1. pro contumelia sive læsione honoris aut existimationis dolosè facta, ac dicitur esse *delictum privatum, quo alterius honor aut existimatio dolosè laditur. pr. Inst. cit.* h. e. cum intentione vel animo lædendi, & quidem ab eo, qui jus dicendi vel faciendi aliquid, quo læditur alter, non habet: quare, qui per jocum profert verbum alteri injuriosum, vel inconsideratè, aut si Superior subditos, parentes liberos, præceptor discipulos, maritus uxorem probrosis verbis castiget sobriè, aut etiam moderato verbere, injuriam non faciunt. 2. Pro damno injuriâ, seu per dolum vel culpam, dato, quod vindicatur à Lege Aquilia. Nos injuriam in priori sensu acceptam priùs, in posteriori autem posteriùs explicabimus: quamquam in hoc

Titulo conformiter *Institutis & Digestis ad Leg. Aquil.* injuria ac damnum videantur sumi pro eodem, ita ut injuria idem sit ac damnum injuriâ datum. *l. 1. cit.*

2 Injuria, prout est dolosa læsio existimationis alienæ, Verleumbdung/ Schmach/ Unbild/ dividitur in Verbalem & Realem. *Verbalis* est, si verbô contumeliosô vel detractoriô alterius præsentis vel absentis honor aut fama læditur, ut si alterum vocas furem, aut delictum occultum alterius evulgas, vel etiam si exprobras defectum naturalem, quòd sit spurius, gibbosus, vel si verbis obscœnis seducere intendis virginem. Huc revoca injuriam scriptô illatam, v. g. per epistolam, *carmen* seu *libellum famosum*, Pasquill/ quo nempe per scripturam omisso Auctoris nomine crimen, historia, vel aliud, in alterius ludibrium vilipensionem aut infamiam cedens, spargitur in vulgus. Neque veritas convitii tollit injuriam. *Realis* est, si factô, v. g. verberibus, picturâ, gestu, violentâ domûs aut fundi introitu, aut alio actu alterum ludibrio exponas, aut lædas, vel si Judex non servato Juris ordine procedat. Si verba, vel facta, de se & ex natura sua sint contumeliosa vel probrosa, præsumitur dolus seu animus injuriandi, licèt proferens illa vel ponens protestetur, se non facere vel dicere cum animo injuriandi. *l. 5. C. h. t.* cùm sit protestatio contraria facto; nisi nempe sufficienter probet abfuisse dolum: sicut vice versa, si verba & facta de se non sint contumeliosa vel probrosa, præsumitur animus injuriandi abfuisse. Porro, si per dictum aut factum honor vel fama leviter violatur, injuria *levis*: si graviter, *atrox* vocatur:

tur: levitas autem vel gravitas desumitur ex conditione personæ injuriantis aut injuriatæ, ex ipsis verbis aut factis, ex modo, loco, tempore, subinde etiam ex joco. Sed circa jocos notandum valde circumspectos esse debere, qui iis vexant alios; sæpe enim contingit, ut joci nimis falsi, & facetiæ nimis asperæ, quibus præsertim in aliorum corona aut frequenter impetitus alter meritò offensum se queritur, etiam graviter: nec juvat dicere, jocô id factum esse; tales enim joci non sunt innocentes, & sub hoc pallio sæpe satis promicat latens nequitia, ac animus alterum confundendi. Cæterùm potest aliquis etiam indirectè injuriâ affici, nempe in personis sibi valde conjunctis & in potestate constitutis: sic injuriosa tractatio uxoris, sponsæ, filiifamilias, famuli occupati in negotio Domini, Religiosi, redundat in maritum, sponsum, patrem, Dominum & Prælatum. *§. 2. 3. Inst. l. 1. §. 3. l. 15. §. 24. ff. h. t.* unde & de injuria agere possunt pro dictis personis sibi subjectis, quamvis istæ non vicissim, v. g. uxor, si maritus injuriam sit passus. Id adhuc specialiter notandum, quòd injuriam inferens teneatur in conscientia ante omnem sententiam læso satisfacere per reparationem honoris aut famæ, utpote per injustitiam ablatæ. Item tenetur actione injuriarum, de qua

Dico 1. Ex omni injuria competit actio injuriarum injurato contra injuriantem. *§. 7. 8. 10. Inst. eod.* eâque vel Civilis, vel Criminalis. *§. 10. cit.* Civilis vel est pœnalis, vel rei persecutoria; pœnalis iterum est gemina, una descendit ex Jure Prætorio, & vocatur *æstimatoria*, qua læsus petit, ut Reus persolvat æstimationem injuriæ, quanti ni- 3

mirum æstimat læsus honorem ablatum. v. g. decendo, quòd maluisset amittere 100. florenos, quàm hoc probrum sustinuisse, quam summam, prævia tamen moderatione secundùm merita circumstantiarum, Judex tenetur adjudicare læso. §. 7. 10. *citt.* altera ex Jure Civili, nimirum *ex Lege Cornelia*, quæ tamen competit solum ex injuria reali, & quidem eâ tantùm, qua quis pulsatus, verberatum, vel domum suam, in qua actu habitavit, vi introitam conqueritur. §. 8. *Inst. l. 5. &c. h. t.* tendit pariter ad æstimationem injuriæ, sed à Judice faciendam, & læso adjudicandam. l. 37. *ff. eod.* Rei persecutoria (scilicet bonæ existimationis) tendit ad revocationem injuriæ, & famæ vel honoris, per verba detractoria aut contumelioſa ablati, restitutionem, éstque introducta per Consuetudinem, & vocatur actio *recantatoria*, vel *ad palinodiam*, qua læsus petit, ut lædens dicta sua recantet seu revocet, eáque injustè à se prolata esse, Judicialiter fateatur. Quo modo maximè tam honori consulit injuriatus, ac in Bavaria ferè solum beri solet, si injuria est verbalis. Denique Criminalis actio injuriarum est, qua læsus petit, ut Reus debitè plectatur, pœnâ nimirum extraordinariâ seu arbitrariâ, nempe vel corporis affictivâ, vel mixtâ pecuniariâ Fisco aut Ecclesiæ applicandâ. *l. un. cit.* Si injuria fuisset illata per libellum famosum, determinata est pœna capitalis in auctorem, scriptorem, & evulgantem. *l. un. C. de famos. libell.* Item si crimen, in illo objectum, sit capitale, &c. restringit *Constit. pœn. Caroli V. Art. 110.* falsitatis. Imò secundùm Praxin pœna omnis libelli famosi est extraordinaria seu arbitraria. Cæterum si in-

ria

ria attentis circumstantiis censeatur esse levis, nulla actio injuriarum concedenda, sed Christiana deprecatio, quæ utique infamiam non parit, injungenda vel admittenda est, vel alia reconciliatio, ut notant DD.

Circa has actiones injuriarum utiliter adhuc notabis sequentia. 1. Actionem Civilem pœnalem (sive *æstimatoria* sit sive *ex Lege Cornelia*) & Criminalem non esse compossibiles, ita ut conjunctivè proponere liceat utramque, sed alterutram tantùm disjunctivè proponi posse, pro arbitrio tamen læsi; cùm utraque tendat ad idem, nempe ad vindictam. *l. 6. ff. h. t. l. 14. ff. de Accus.* Actio tamen rei persecutoria, seu *ad palinodiam*, cumulari potest cum actione Civili pœnali, vel Criminali: quia tendit ad diversum finem, cùm restitutionem respiciat, illæ autem pœnam: quamvis in praxi pluribus in locis ista cummulatio non admittatur. 2. Omnem actionem injuriarum, si injurians condemnetur, esse *famosam*, seu inducere infamiam Juris. *l. 1. ff. de his, qui not. infam.* nisi sententia in Procuratorem lata sit, aut nisi Judex famam reservet, uti potest, & in quibusdam locis debet reservare vi statutorum, sicut in Bavaria ad idem tenetur, casu quo causa injuriarum non est adeò liquida, vel dubium, an injuriatus non dederit causam injurianti. Landrecht *tit. 46. art. 10.* Excipitur actio ad palinodiam, quæ non invehit infamiam Juris de Jure Communi, bene tamen infamiam facti, nisi Judex, ut fert usus, ex officio tollat, & honorem reservet; quia apud viros honestos malè audit, qui se ipsum mendacii arguere debuit. 3. Omnem actionem injuriarum esse personalem, ita ut contra hæredes 4

injuriantis non procedat, cùm descendat ex delicto; actio tamen ad palinodiam datur hæredibus injuriati; quia est rei persecutoria, non pœnæ. 4. Æstimatoriam, quia est Prætoria & pœnalis, esse annalem. *l. 5. C. h.t.* Civilem verò ex Lege Cornelia esse perpetuam, seu ad 30. annos durare. *arg. pr. Inst. de perpet. & temp. act.* uti & actionem ad palinodiam, quia descendit ex Consuetudine, quæ est species Juris Civilis. Criminalis extinguitur præscriptione 20. annorum, sicut accusatio aliorum delictorum. *l. 12. C. ad L. Corn. de falsis.*

§ Dico 2. Actio injuriarum cessat 1. morte tam injuriantis quàm injuriati, ante litem contestatam eveniente. 2. lapsu temporis, à Jure præfixi, de quo paulò antè. satisfactione pro illata injuria 4. condonatione expressâ, & §. tacitâ, ut si injuriam passus non in continenti revocavit ad animum læsum, subridendò, vel signa dandò, se non ægrè ferre, aut, si initio quidem se offensum ostendit, dein verò sponte & familiariter agit cum injuriante, invitat, ad convivium, vel aliud speciale charitatis signum eidem exhibet: commune enim v. g. salutatio obviantis, non sufficit. 6. transactione vel pacto. Habentur hæc *l. 11. 13. 17. ff. h.t. C. h.t.* Demum & 7. *Retorsione*, qua mimirum injuriæ verbales à læso tuendi honoris sui causâ in continenti rejiciuntur in injuriantem cum debito moderamine; quòd observatur, si retorsio fiat continenti, postquam innotuit contumelia: si non objiciatur crimen longè gravius, vel longè diversum ab eo, quod objecit injurians, vel non serviens ad tollendam vel minuendam injuriam: si pariter per verba, & non per verbera, vel schedam af-

affixam, rejiciatur injuria; igitur rectè & optimè fit, si injuriatus injuriantem mendacii arguat cum exaggeratione, v. g. si alter fortè furem, adulterum &c. te vocavit, dicere potes: *tu mentiris ut fur, ut adulter:* vel *tamdiu pro tali te reputo, donec probaveris quod dixisti, &c.* Si malédicus revera hujusmodi flagitio vel probro obnoxius esset, id etiam absolutè & directè in ipsum régeri posset, ut magis de mendacio convincatur, & sic magìs tuus defendatur honor. Quòd talis retorsio sit licita, probatur indè, quòd injuriam repellere, & suum defendere honorem, omnia Jura permittant. *arg. l. 3. ff. de J. & J.* sicut defendere vitam, & res fortunæ, contra injustum aggressorem. *Objic.* Non licet accepto ictu vicissim adversarium percutere: ergo nec verbis me lædentem vicissim lædere verbis. *R. N. Cons. & parit.* nam in priori casu repercussio non foret defensio contra injuriam inferendam, sed esset mera ultio Injuriæ jam completè illatæ: in posteriori autem retorsio, debitè facta, est defensio contra injuriam nondum completè illatam, utpote quæ post verba physicè præterita moraliter perseverat, & in æstimatione hominum aliquis habetur pro tali, qualis ab altero fuit proclamatus, nisi in continenti per retorsionem (vel aliud medium) eximat audientibus suspicionem objecti criminis.

De Damno dato.

DAmnum hoc loco dicitur *delictum privatum. quo per dolum vel culpam res alterius læduntur,* h. e. destruuntur vel deteriorantur: objectivé autem sumptum est diminutio 6

patrimonii, corruptione vel deterioratione ab altero absque suo lucro causata per dolum vel culpam. Vindicatur famosa *Lege Aquilia*, à Tribuno-plebis Aquilio introducta. Cujus tria sunt capita: *secundum* hodie ignoratur & exoletum est: *primum* in eo consistit, quòd, siquis alterius servum, vel pecudem, & quidem talem, quæ gregatim pasci solet, utì equi, boves, oves &c. occidit dolô vel culpâ, teneatur ad æstimationem corporis perempti, & quidem *quanti plurimi*, quanti nemirum illud intra annum, à die cædis retro computandum, plurimi valuit: *tertium* caput comprehendit omne aliud damnum, v. g. si homo vel pecus (licèt sit inter animalia gregatim pascentia) vulneretur tantùm, si aliud animal occîdatur, res aliæ destruantur vel deteriorentur dolô vel culpâ; & taliter damnum inferens ex eadem Lege tenetur iterum ad æstimationem rei *quanti plurimi*, seu non solùm ad æstimationem rei in statu præsenti, sed etiam quanti intra 30. retro proximos dies valuit. Adeóque *actio Legis Aquiliæ* (seu directa seu utilis) non præcisè est rei persecutoria, sed etiam pœnalis, si res retro plus valuit, quàm tempore læsionis. Interim tamen plurimis in locis pœnam quanti plurimi non servari, sed damnificantem solùm ad simplicem rei æstimationem, aut unà cum reliquo interesse, condemnari, Authores passim testantur. *Dolus verus* committitur, si adsit animus nocendi. *præsumptus*, ubi ex indiciis valde verisimilibus talis animus conjici potest, uti ferè fit, ubi deprehenditur culpa lata vel lationa. *Culpa* est, quando aliquid perperam fit, vel negligenter omittitur, ex quo alteri damnum infertur,

ut sine animo nocendi: alia est Theologica, mortaliter vel venialiter peccaminosa, quæ continet peccatum coram DEO: alia *Juridica*, quæ non est conjuncta cum peccato coram DEO, v. g. propter defectum advertentiæ ad Legem DEI vel obligationem in conscientia, Jura tamen talem actionem vel omissionem habent pro culpabili, v. g. siquis librum ab alio sibi commodatum ex oblivione naturali reliquit in loco publico, ex quo postea surreptus est, & talis committit culpam merè Juridicam, & quidem latam: nam alia culpa dicitur *lata*, alia *levis*, alia *levissima*, ut explicavi ad *Tit. de Pactis lib. I.*

Sicut autem Lex Aquilia vindicat damnum ex 7
vero delicto, nempe dolô & culpâ datum, ita *Leges* aliæ, & *Noxales*, uti vocantur, vindicant damnum ex *quasi-delicto* datum, ut si Judex per imperitiam vel errorem malè judicet: si ex ædibus aliquid effundatur vel dejiciatur, ac indè alicui damnum causetur: si aliquid ponatur vel suspendatur cum periculo commeantium, & contingat aliquem lædi: si in caupona, stabulo, navi per famulos aut inquilinos illius viatoribus vel vectoribus damnum inferatur, v. g. per furtum: si animal contra naturam generis alicui nocuit, v. g. equus calcitrando. In his enim casibus actiones dantur læsis, & quidem actio *de syndicatu*, vel *malè judicati*, contra Judicem: *de dejecto vel effuso* contra patremfamilias vel habitatorem domûs: *positi vel suspensi* contra ponentem vel suspendentem; *in factum* contra cauponem, stabularium, nautam: & actio *noxalis*, nempe *quadrupedaria*, seu *si quadrupes*

quadrupes pauperiem fecisse dicatur, contra dominum animalis. Summuntur hæc ex *tit. Inst. de Oblig. quæ ex quasi del. tit. Inst. si quadrupes pauperiem &c.* Quæ deinceps dicemus de obligatione resarciendi damnum ex culpa merè Juridica, applicabis etiam ad damnum ex quasi-delictis hìc recensitis datum, si absit culpa Theologica.

8 Circa actionem Legis Aquiliæ adhuc observa 1. eam juxta veriorem cum Stryckio per *§. 3. seqq. Inst. & l. 44. ff. de L. Aquil.* competere etiam ex culpa levissima, saltem comissionis. 2. imò utilem probabiliùs etiam ex culpa omissionis, si nempe damnum non aliquo facto, sed omissione conveni-entis diligentiæ & cautelæ fuerit datum. per *l. 27. §. 9. ff. eod. & l. 121. ff. de R. J.* Sed vehementer reclamat textus in *l. 13. §. 2. ff. de usufr.* ibi: *qui agrum non proscindit -- Lege Aquilia non tenetur.* At hìc sermo est de damno merè *negativo*, seu de non-lucro, quod aliàs sperabatur: non de damno *privativo*, quo quis læditur in bonis, quæ jam habet: & hoc solùm damnum ad L. Aquil. pertinet. 3. probabiliùs actionem L. Aquil. ex *culpa levissima* locum non habere, quando concurrit cum contractu, in quo secundùm Leges solùm ex culpa levi; neque *ex culpa levi*, quando concurrit cum contractu, in quo solùm ex culpa lata agi potest, v. g. aliquis conduxit ædes, & ex hoc contractu solùm præstare debet culpam levem, non levissimam: vel accepit depositum scyphum aureum, & ex hoc depositarius solùm obligatur ad culpam latam: jam si per culpam levissimam conductoris ædes deteriorentur, vel per culpam levem scyphus depositus perdatur, probabi-

babiliùs actio L. Aquil, ex culpa minori non procedit, ut habet communior & usu magis recepta sententia. Ratio est; quia, si Lex Aquilia procederet, quando incidit in contractum, in quo major requiritur culpa, & levis vel leviſſima ad agendum non sufficit secundùm Leges, planè hujusmodi Leges forent inanes & illusoriæ; quid enim prodessent contrahentibus, quos *solùm* vel ad latam, vel ad levem quoque culpam adstringunt, eos tamen ex alio capite, nimirum Legis Aquiliæ, ex leviſſimâ, vel leviori culpa, quàm contractus exigit, condemnari sinerent?

Dico 3. Damnum dolô, vel culpâ Theologicâ (saltem gravi) datum resarcire in conscientia ante omnem sententiam tenetur damnificans. Ita plerique omnes, eò quòd Jus Naturale, & natura Justitiæ Commutativæ exigat reparationem damni formaliter injustè causati. Econtra damnum casu fortuito, sine omni culpa, datum nemo per se tenetur reparare, nec in foro externo. Est pariter certum tum ex *c. fin. h.t.* tum exinde, quia nec Jus Naturale, nec ullum Positivum ad id obligat; adeóque res perit domino. Excipe, nisi aliquis per pactum specialiter se obligâsset ad damnum fortuitò secutum, vel nisi per suam culpam aut moram fuisset causâ damni fortuito casu dati. 9

Dico 4. Damnum ex quacunque culpa merè Juridica datum (id quod intellige etiam de dato ex quasi-delicto, item de dato ex culpa Juridica in contractibus commissa) damnificans resarcire in conscientia ante sententiam Judicis probabiliùs non tenetur. Communior cum Molin. Laym. Lugo, Haun. contra Panormit. Covar. Zoes. & Arnol- 10

noldum Rath. Probatur. Spectato Jure Naturali ex una parte non datur obligatio in conscientia, quia nec datur *ex re accepta*, cùm hoc damnum non sit lucrosum, & non augeat substantiam damnificantis: nec *ex injusta acceptione*, formaliter tali, quia peccatum in conscientia, & formale, non intervénit: nec *ex pacto* vel *contractu*, quia nihil tale interveniisse supponitur pro certo: ergo nulla datur radix restitutionis de Jure Naturali. Ex altera autem parte Jus Positivum nullibi clarè exprimit obligationem in conscientia ante sententiam Judicis, sed potiùs contrarium, dum ait, *competentis Judicis authoritate consequéris --- Judicis curâ impetrabis. l. 2. C. de L. Aquil.* si nempe priùs instituatur actio Legis Aquiliæ, quam Jura concedunt. *Confirm.* 1. Damnum sine omni culpa Theologica datum respectu damnificantis planè involuntarium est; quia sine advertentia datum, non minùs ac si detur ab amente, furioso &c. ergo se habet instar casûs fortuiti, & in conscientia obligationem non inducit. *Confirm.* 2. ex communi persuasione & praxi hominum, optima Legum interprete; nemo enim facilè sibi persuadet, se obligari ad resarcitionem damni inadvertenter à se dati ante sententiam Judicis, vel resarcire solet. *Confirm.* 3. Lex Aquilia (& Leges Noxales &c.) essent nimis arduæ, si obligarent in conscientia ante sententiam; nam spectata hominum fragilitate pessimum est ex ignorantia, oblivione, inadvertentia coram DEO inculpabili per se vel per famulos aut animalia aliis inferri damnum sine suo lucro, econtra difficillimum pro illo satisfacere exspoliando se bonis propriis. *Confirm.* 4. dictæ

Leges

Leges obtinent satìs suum finem, qui est homines reddere cautiores & accuratiores in cavendis alienis damnis, præcisè dando actionem læsis, & Judices obligando ad injungandam resarcitionem quasi in pœnam omissæ diligentiæ & cautelæ debitæ, atque sic hæ Leges respectu damnificantis rectè censentur esse pœnales: ergo non immediatè in conscientia obligant ad resarcitionem damni.

Objic. 1. Lex justa pro foro externo, est etiam justa pro foro interno: sed Lex Aquilia &c. est justa pro foro externo, ut nemo negat: ergo etiam pro foro interno: ergo immediatè obligat etiam in foro interno. 2. Lex Aquilia est rei persecutoria, non pœnalis, & spectato Jure Naturali *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. l. 74.* & *factum cuique suum, non adversario, nocere debet. l. 155. ff. de R. J.* atque convenientius est, illum potiùs sustinere damnum, qui commisit culpam, licèt Juridicam tantùm, quàm eum, qui sine omni culpa damnum est passus: ergo. 3. In *c. fin. h. t.* satìs clarè exprimitur obligatio in conscientia, dum ait, *jure eum satisfacere oportere, qui damnum intulit, nec excusari ignorantiâ, qui scire debuit ex facto suo verisimiliter posse contingere jacturam, &, quam debuerat, non curavit diligentiam adhibere:* ergo. R. ad 1. *dist. Illatum:* ergo immediatè obligat in foro interno ad aliquid, nempe Judicem, si instituatur actio, ad condemnandum, & damnificantem ad faciendam resarcitionem, postquam condemnatus est. *C. Illatum.* immediatè & absolutè ad resarcitionem. *N. Illatum.* Instantiam habes in Lege Pœnali, v. g. venationem

nem prohibente. Ad 2. Est quidem rei persecutoria respectu damnum passi, pœnalis verò est respectu inferentis. Vel: est Lex rei persecutoria mediatè, nimirum mediante actione rei persecutoria, quam tribuit læso, non verò immediatè. Illæ regulæ Juris, si intelligantur de obligatione ante sententiam Judicis, & Jure Naturali inducta, exaudiendæ sunt in casu, quo intervenit culpa Theologica vel dolus: quo casu est quidem convenientius illum sustinere damnum, qui tamen culpam vel dolum commisit, non verò, si commisit culpam merè Juridicam, & nec Jura clarè exprimunt obligationem in conscientia ante sententiam, nec communis hominum persuasio agnoscit, nec observat praxis. Ad 3. In *d. c. fin.* vel est sermo de culpa Juridica lata, quæ sæpe est conjuncta cum peccato in conscientia, ut indicare videntur verba, *qui scire debuit*; vel, si velis intelligere de culpa merè Juridica, per illa verba, *jurè satisfacere oportere*, non satìs clarè exprimi obligationem ante sententiam, si ignorantia &c. sit Theologicè inculpabilis; quia verum tamen manet, quòd *jure* talem oporteat satisfacere, si nempe jubeatur per sententiam, hoc est, quòd justè ad id condemnari possit, ac debeat post institutam actionem, conformiter Legibus Juris Civilis ac Naturalis, à quibus recedere Jus Canonicũ sine claro textu asseri non debet.

11 Dico tamen 5. Ex culpa merè Juridica probabiliùs datur obligatio in conscientia restituendi damnum post sententiam Judicis. Adeoque Lex Aquilia, & Leges quasi-delictum vindicantes, mediatè & conditionatè, si nempe Ju-

Judex per sententiam condemnaverit, damnificantem obligant in conscientia, sicut Leges Pœnales ad pœnam. Ita communior & verior cum Molin. & plerisque prioris assertionis Patronis contra Rebell. Krimer, Haun. Franc. Schmier, & P. Böckn *h. t. n. 26.* asserentes, quòd quidem condemnatus teneatur Judici parére ad vitandum scandalum, tacitâ tamen compensatione uti possit ejus, quod solvit, & sic obligetur quidem *in*, sed non *pro* foro interno. Alii putant, si detur obligatio post sententiam, hoc ipso erui, eam jam antecedenter datam fuisse. Probatur Assertio. Jus Naturale præcipit, ut Superiori vel Judici justè præcipienti obediatur: sed Judex secundùm Legem pœnalem dictans pœnam justè præcipit, & ideo post sententiam tenetur Reus pœnam subire, ad quod ante sententiam non fuit obligatus. *Confirm.* Si neque post sententiam daretur obligatio Legis Aquiliæ, & concederetur potestas faciendi occultam compensationem, Lex Aquilia, & aliæ, non obtinerent efficaciter id, quod intendunt, & effectivè, scilicet reparationem illati damni, quæ variè eludi posset: sed hoc admittendum non est: ergo.

Objic. 1. Lex Aquilia & ipsa sententia funda- 13
tur in præsumptione culpæ Theologicæ: ergo, ubi hæc non intervénit, nec sub conditione sententiæ Judicis, & ea mediante, obligat; cùm præsumptio in foro interno debeat cedere veritati. *Ant. prob.* partim quia fundatur in culpa & injuria damnificantis: culpa autem vera non est, nisi Theologica, neque injuria vera, nisi formalis sit, & non merè materialis. Atque ob hanc ra-

tionem Lex Aquilia non ſtringit amentes, infantes &c. ſi damnum inferant; partim quia Lex Aquilia ſolùm obligat illos, qui damnum prævi-derunt, vel potuiſſent & debuiſſent prævidere, ac ſcire. *l. 8. §. un. l. 31. l. 45. ff. Ad L. Aquil. c. ſin. cit.* ergo præſumit advertentiam, vel inadverten-tiam, vincibilem, quæ fundat culpam Theologi-cam. 2. Sententia Judicis non poteſt majoris eſſe ponderis, quàm Lex: ſed Lex Aquilia juxta nos non obligat in conſcientia ad reparandum dam-num: ergo neque ſententia Judicis. 3. Vel ſen-tentia, juxta Legem Aquiliam lata, eſt juſta vel injuſta? ſi injuſta, utique non obligat: ſi juſta, jam ſupponit jus petendi reparationem damni a læſo antecedenter, & non primùm confert: er-go jam ante ſententiam datur jus petendi in læſo, conſequenter & obligatio faciendi reparationem in lædente, ſi datur poſt ſententiam; quod ta-men negavimus. R. ad 1. *N. Ant.* Ad *prob.* Etiam culpa Juridica eſt vera culpa, & injuria Ju-ridica & Theologicè materialis eſt vera injuria, nempe Juridica, eò quòd injuria, quam Lex Aqui-lia perſequitur, dicatur omne id, *quod jure non fit, l. 5. §. 1. ff. ad Leg. Aquil.* ſeu quod fit cùm vel contra jus. Imò cùm culpa Juridica conſiſtat in hoc, quòd debita cautela, uti Jura deſiderant, non adhibeatur, vera utique eſt culpa, ſed Juridi-ca tantùm, quam Jura puniunt ſaltem mediante ju-dicis ſententia. Amentes & infantes ideo non ſtringit Lex Aquilia, quia nec injuriæ & culpæ Juridicæ ſunt capaces, neque diligentiæ ad ca-venda damna aliena, quam dicta Lex vult acue-re puniendo. Ad 2. *N. ſuppoſitum*, quòd ſen-

tentia

tentia Judicis sit majoris ponderis, quàm Lex, si per ipsum ministerialiter fiat, quod Lex jubet; nam sententia totas suas vires obtinet à Lege, condemnationem damnificantis jubente: quamvis igitur ipsa Lex non immediatè condemnet & obliget jubet tamen per Judicem, instituta actione, condemnari: itaque Judex est executor Legis, & sententia Judicis est tantùm purificatio conditionis, sub qua Lex obligat. Ad 3. dico, sententiam esse justam, utpote secundùm Jura latam; indè tamen non sequitur, in læso jam antecedenter dari jus absolutum ad petendam, & in lædente obligationem absolutam ad faciendam resarcitionem damni, quia, Jura solùm obligant ad resarcitionem sub conditione, si instituta actione Judex condemnet, & sic purificando conditionem jus absolutum tribuat, & obligationem faciat absolutam: sicut si Judex secundùm Leges pœnales ferat sententiam, & ad pœnam condemnet.

Cæterùm actio Legis Aquiliæ datur quidem hæ- 14
redibus damnificati, utpote rei persecutoria respectu ipsius, non tamen contra hæredes damnificantis, nisi lis cum defuncto priùs fuerit contestata, aut ad eos ex damno dato aliquid pervenerit. *§. 9. Inst. de L. Aquil.* quia descendit ex delicto,

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

SUMMARIUM.

1. *Quid, & quotuplex sit Pœna.*
2. *Speciatim de Jure Canonico. Ubi de Depositione & Degradatione.*

3. *Regulariter nulla incurritur absque omni sententia Judicis.*
4. *An Judex teneatur semper infligere illam panam, quæ à Lege determinata est.*
5. *Quis pœnâ affici possit.*
6. *Ad incurrendam Infamiam requiritur notorietas delicti.*
7. *An Judex Ecclesiasticus possit infligere mulctam pecuniariam.*
8. *Inhabilitates, & Irregularitates, etiam ex delicto descendentes incurruntur ab ignaro Legis. An à dubitante quoque?*

1 QUia Processûs Criminalis effectus & finis est puniri delicta, de quibus hucusque, rectè proceditur nunc ad Pœnas, hoc loco maximè in genere consideratas, proprias enim veriis delictis ferè jam in propriis titulis adduximus. *Pœna* autem est *justa delicti coërcitio*, h.e. delicto proportionata, & à potestatem habente inflicta castigatio. Dividitur 1. in *Legalem*, quæ ab ipsa Lege: in *Judicialem*, quæ à Judice: & *Conventionalem*, quæ Partium conventione in remissorem à contractu injungitur & determinatur. Legalis subdividitur 2. in *Civilem*, quæ principaliter tendit in privatum commodum civiliter agentis super delicto: & in *Criminalem*, quæ principaliter tendit ad vindictam publicam, ut satisfiat Reipublicæ per delictum læsæ. Practici solent hodie pœnas *Civiles* vocare, quæ non sunt directe corporis afflictivæ, die nicht an Haut und Haar gehen/ *Criminales* verò, quæ sunt directè corporis afflictivæ. 3. In *Capitalem*, qua adimitur vita vel

vel naturalis, ut per ultimum ſupplicium, & deportationem ſeu, quæ illi ſucceſſit, proſcriptionem ſeu bannum Imperii, quo vita malefici, impunè occîdendi, omnium manibus exponitur, Vogelfrey gemacht wird; vel adimitur vita civilis, dum quis privatur ſimul libertate & civitate, ut olim fiebat per damnationem ad metalla vel interdictionem ignis & aquæ, dicebatúrque *Capitis diminatio*; cùm Respublica imminueretur aliquo capite; hodie ſucceſſit damnatio ad triremes, quæ ſi fiat in perpetuum, æquivalet pœnæ mortis: & in *non Capitalem*, corporis tamen vel animi afflictivam, per quam non adimitur vita, utì eſt fuſtigatio, das Ausſtreichen/ expoſitio ad paſtellam ſeu ad numellas, auf den Branger/ oder Halß-Eiſen ſtellen/ relegatio ex provincia, das Land verweiſen/ inuſtio ſtigmatis, Brandt-Mahlen/ amputatio aurium, manûs &c. Infamia. 4. In *Poſitivam*, cujus executio requirit aliquam actionem, ſive ipſius delinquentis, utì exilium, mulcta pecuniaria, vel alterius, utì verberatio, incarceratio; quamvìs enim incarceratio de Jure Civili ſcripto non pro pœna, ſed pro cuſtodia tantùm adhiberi potuerit. *l. 8. §. 9. ff. h. t.* de conſuetudine tamen etiam in foro Civili frequens eſt pœna carceris ſuffragante *Conſtit. Carolin. art. 157.* & in *Privativam*, quæ privat aliqua re, vel jure, ſine interventu actionis, utì cenſuræ inhabilitates, irregularitates, & irritationes pœnales. 5. In *Ordinariam*, quæ ab ipſa Lege, ſcripta vel non-ſcripta, jam eſt determinata ac definita, &, ſi Lex dicat, eam *ipſo Jure*, vel *facto* incurri, vocatur *latæ ſententiæ*, ſi verò jubeat infligi à Judice per ſenten-

tiam, dicitur *ferendæ sententiæ*: & in *Extraordinariam*, seu *Arbitrariam*, quæ relinquitur arbitrio Judicis, pro delictorum & delinquentium qualitate primùm determinantis pœnam, ac inferentis.

2 De Jure Canonico aliæ pœnæ sunt *Vindicativa*; quæ principaliter spectant vindictam publicam, & satisfactionem pro injuria Reipublicæ illata: & *Medicinales*, quæ principaliter irrogantur in emendationem delinquentis, uti Censuræ, de quibus *ad tit. de Sent. Excomm.* paulò pòst. Aliæ *Temporales*, uti est infamia, carcer, castigatio corporis moderata, privatio & confiscatio bonorum, mulcta pecuniaria, condemnatio in expensas litis, detrusio in Monasterium, quæ tamen ferè evanuit: aliæ *Spirituales*, uti Censuræ, Irregularitates, de quibus alibi, item Depositio & Degradatio, quas, quia nullibi adhuc explicavimus, breviter hic describo. *Depositio*, nempe simplex, verbalis, & specificè accepta, est pœna solis Clericis propria, qua vel ab Ordine (h. e. Ordinis exercitio) vel à Beneficio, vel ab Officio, vel à Beneficio & Officio simul, vel totaliter ab Ordine, Beneficio & Officio per sententiam (Condemnatoriam, vel à Jure jam sit lata, Declaratoriam criminis) remanentur in perpetuum. Per ultima verba distinguitur à *Suspensione*, quæ de se non est perpetua & privans ipsa radice & titulo beneficii, sed tantùm exercitio; item à *Privatione Beneficii*, quæ non infert inhabilitatem perpetuam ad idem vel novum Beneficium. *Degradatio*, quæ, licet comprehendatur in depositione genericè sumpta, vocari tamen etiam solet *Depositio Realis*, est pœna gravissima, quæ Clericus propter cri-

mi-

minis atrocitatem, vel incorrigibilitatem suam, solenniter & authenticè privatur non tantùm Ordine, Beneficio, & Officio, sed etiam Statu Clericali, h. e. omnibus privilegiis Clericalibus, Fori, Canonis &c. ut à Judice Sæculari (cui etiam tradi solet) secundùm Leges Civiles puniri possit, & percuti sine periculo excommunicationis. Quando profertur dictæ privationis sententia solenniter, *Degradatio Verbalis*, quando autem fit sententiæ solennis executio, *Realis* nuncupatur. Solennitates describuntur in *c. 27. de V. S. c. 2. h. t. in 6.* Trid. *s. 13. c. 4. de ref. & in Pontificali Romano.* Si realiter degradatus à Curia Sæculari non puniatur morte, vix iterum in pristinum statum restitui solet, & à solo Pontifice posset. per *can. 1. 2. d. 50.* Cum Depositis tamen ob crimina non valde enormia dispensatio permittitur Episcopis. P. Wiestner *h. n. 74.* cum Panorm. Barb. Gonzal. Cœterùm Judex Ecclesiasticus non infert pœnas mortis, mutilationis membri, aut fustigationem à Carnifice faciendam &c. cùm Ecclesia non temporalem, sed spiritualem exerceat gladium. *can. 6. caus. 33. q. 2. c. 4. de Raptor.*

Dico 1. Nulla pœna *ferendæ sententiæ* incurritur ante sententiam Judicis condemnatoriam, ut per se liquet. 2. Nulla quoque pœna *latæ sententiæ* positiva, ad cujus executionem requiritur aliqua actio vel ipsius delinquentis vel alterius, ante sententiam Judicis declaratoriam criminis, neque regulariter privativa privans aliquo jure jam plenè quæsito. Communis cum P. Wiestner *h. t. n. 18.* Covar. Sanch. Palao. *De pœna positiva* colligitur ex carentia Juris ad sub- 3

eundam pœnam obligantis ante juſſionem Judicis, & omnem ſententiam; ex nimia difficultate, quæ reperitur in hoc, ut aliquis in ſe ipſum exequatur pœnam, vel ab alio petat ſibi infligi, v. g. privationem Beneficii, ſua bona Fiſco addici &c. item ex communi perſuaſione ac praxi: de *privativa privante &c.* ex *c. 19. de Hæret. in 6.* Addi, *regulariter*; excipiuntur enim cenſuræ, item inhabilitates, nullitates, & impedimenta Matrimoniorum, proviſionum Beneficialium &c. nam hæ ultimæ pœnæ non privant jure jam quæſito, ſed primùm quærendo. 3. Nec pœna conventionalis probabiliter ſolvenda eſt ante ſententiam Judicis, & Partis innocentis exactionem; quia pœnam paciſcentes, niſi claris verbis ſe obligent ad pœnam ante ſententiam & Partis exactionem, cenſentur appoſuiſſe pœnam juxta naturam & regulam pœnarum Juris Communis, quæ in conſcientia ante omnem Judicis ſententiam non debentur, &, ſi pœna cedat in alicujus favorem, ſique eam non exigat, cenſetur illam remittere.

Objic. Ex hac doctrina ſequitur, fruſtra à Legibus pœnalibus poni has clauſulas, *ipſo Jure, ipſo facto*, amittat dominium, privatus ſit beneficio &c. ſed hoc dici non debet: ergo. R. *N. Ma.* Dictæ clauſulæ habent nihilominus ſequentes effectus notabiles. 1. Non opus eſt ſententiâ condemnatoriâ, ſed ſufficit declaratoria criminis ad dimittendum beneficium &c. 2. Fructus percepti à die commiſſi criminis poſt hujus declarationem reſtituendi ſunt; ad quos reſtituendos primùm à die ſententiæ condemnatoriæ Reus fuiſſet obligatus, ſi talis clauſula Legi pœnali non eſſet adjecta. 3.

Actus,

Actus, quos gessit reus delicti post diem commissi criminis, v. g. Prælatus post diem malæ alienationis, fuerunt tantùm revocabiliter validi propter hujusmodi clausulam, adeóque irritandi sunt. 4. Dominium rei, quo Lex privat ipso Jure, v. g. statuens privationem beneficii, confiscationem bonorum, amittitur quidem statim, at non ipse usus & retentio rei, donec feratur sententia declaratoria, & tunc retrotrahitur privatio ad diem commissi criminis.

Dico 2. Judex Supremô inferior, & qui jus aggratiandi non habet, regulariter & per se non potest remittere, vel mitigare, minùs exasperare, pœnam Ordinariam, seu à Lege, Canone, Consuetudine, Statuto determinatam. Plerique cum S. Thoma, tam Juristæ quàm Theologi; quia inferior non potest immutare Legem Superioris. *c. 16. de Major.* & Judici non licet judicare de Legibus vel contra Leges, sed secundùm Leges. *can. 3. d. 4. l. 1. §. 4. ff. ad S. C. Turpill.* Principi autem supremo, qui Lege superior esse censetur *l. 31. ff. de Legib.* id licet ob justam causam, & ubi per indulgentiam non datur sceleratis ansa delinquendi; item iis, qui jus aggratiandi habent ex privilegio vel consuetudine, uti Principes ac Status Imperii Romani in suo territorio. Addidi, *regulariter & per se*; nam per accidens & ob circumstantias vel lenientes vel aggravantes etiam inferiori Judici permissum est immutare pœnas legales, imminuere vel exasperare. *l. 16. §. 3. 4. 5. 6. l. 28. §. 3. 10. l. 42. ff. h. t. l. ferè ff. de R. J.* Sed istæ circumstantiæ, lenientes vel aggravantes, sumuntur præcipuè ex qualitate personæ delinquentis, vel 4

per delictum offensæ, ex modo, loco, tempore, quo commissum est delictum, item ex iteratione frequentiori. Unde, quia ordinariè talis circumstantia mitigationem vel exsperationem pœnæ exigens adesse solet, pœnæ criminum hoc tempore ferè sunt arbitrariæ, præsertim in foro Canonico, ubi consuetudo plerasque fecit arbitrarias, ut notat Engel *h. n. 5.* cum Vallens. favétque Trid. *sess. 25. c. 3. de ref.*

5 Dico 3. Subjectum pœnæ est omnis & solus homo delinquens; quia delicta suos debent tenere auctores; & ubi delictum, ibi sit pœna. *l. 26. ff. l. 22. C. h. t. sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. c. 23. de R. J. in 6.* Si Leges expressè velint innocentes comprehendere pœnâ, sicut liberos privant quibusdam bonis, vel privilegiis propter crimen læsæ Majestatis à patre commissum ex justa causa, ut nempe pater magis puniatur in liberis. *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest.* respectu horum non videtur esse propriè pœna. Sicut propriè pœna respectu defunctorum non est, si propter crimen eorum corpora v. g. suspendantur in furca, vel implicantur Rotæ.

6 Dico 4. Nulla infamia ex delicto oritur, nisi istud sit notorium notorietate Juris, vel Facti. Communior cum Abb. contra Barbos. quia infamia completa, & in actu secundo, est diminutio bonæ famæ: sed fama nunquam diminuitur actu ob delictum hominibus ignotum. Nec obstat, quòd infamia *Juris* imposita dicatur perpetrationi, non manifestationi criminis; quia, si manifestatio non accedat tanquam conditio, actu non inur-

inuritur infamia, sicut ignis actu non urit, nisi accedat applicatio tanquam conditio.

Dico 5. Mulcta pecuniaria, quæ etiam *Emenda* dicitur subin rectè imponitur ab Ecclesiastico etiam Judice. *c. 4. de off. deleg. c. 18. de off. Jud. Ord. c. 2. h. t.* Trid. *s. 25. c. 3. de ref.* Accedit praxis, & ratio, quia subinde magis timetur & absterret à delictis pœna pecuniaria quàm corporalis. Id tamen cavere debent Judices Ecclesiastici (uti & Laici) ne de avaritia & lucri cupiditate se faciant suspectos, nimis frequenter mulctando in pecuniis, eásque sibi applicando. Et hinc Trid. *lo. cit.* jubet, ut illæ *piis locis, ibi existentibus, assignentur.* Sed *Objic.* In *c. 13. de vit. & honest. & c. 3. h. t.* videtur prohiberi exactio pœnæ pecuniariæ. R. hæc & similia Jura intelligi debent de casibus, ubi aliæ à Jure pœnæ sunt præscriptæ, vel ubi Judices Eccesiastici eas sibi applicant, vel ubi Ordo Judiciarius non servatur &c. 7

Dico 6. Inhabilitates pœnales, si non principaliter in pœnam sint statutæ, uti & irregularitates, etiam ex delicto descendentes, probabiliùs incurruntur ab eo, qui laborat ignorantiâ Juris, eas suo delicto annectentis, vel ignorantiâ facti, suum actum esse talem, cui annexa sit irregularitas vel alia inhabilitas. 2. Non tamen ab illo, qui dubitat, dubiô Juris vel Facti, si post debitam diligentiam adhibitam maneat dubium speculativum, & deponatur dubium practicum. Pars 1. suadetur ex *c. 9. de Cler. Excomm. ministr.* dein ex eo, quia inhabilitates non pœnales, & irregularitates ex defectu descendentes incurruntur ab ignorantibus, ut plerique omnes fatentur, v. g. irregularitas 8

ritas orta ex defectu natalium, ætatis, ex bigamia &c. ergo etiam ex delicto descendentes, eò quòd non principaliter & per se in pœnam sint introductæ, sed ex alia causa, scilicet irregularitates in reverentiam Evchariſtiæ & ob decentiam Statûs Eccleſiaſtici, licèt per modum pœnæ ſint ſtatutæ, & ſecundariò ob interveniens delictum rationem pœnæ habeant. Ex quo ſolvitur præcipuum argumentum Adverſariorum, pœnas ab ignorantibus non incurri aſſerentium; id enim conceditur quoad pœnas, quæ principaliter rationem punitionis habent, negatur autem de iis, quæ ſolùm ſecundariò. Pars 2. ex *c. 18. de Sent. Excom. in 6.* ubi ſtatuitur, nullam incurri irregularitatem, niſi in caſibus Jure expreſſis: ſed, ſi eſt dubium *Juris*, an nempe in hunc actum à Jure ſit decreta irregularitas, item ſi eſt dubium *Facti*, an hic actus ſit talis, in quem ſtatuta eſt irregularitas, non eſt in Jure expreſſum, quòd incurratur irregularitas: ergo. Excipitur unicus caſus, quo quis dubitat dubiô facti, an homicidium, quod certò conſtat eſſe commiſſum, à ſe vel alio perpetratum ſit; talis enim pro irregulari (ſed ſolùm in ordine ad abſtinendum à Sacrorum Ordinum exercitio & celebratione Miſſæ) habetur *c. 12. & 18. de homicid.* Sed magis utique *inquies*, excuſare debet ignorantia, quàm dubium, ab irregularitate: ergo, ſi dubius non incurrit, à fortiori nec ignorans incurret. R. N. paritatem in hac materia; quia in caſum dubium nulla à Jure reperitur ſtatuta irregularitas: in caſibus autem, ubi ignorantia excuſare deberet, ſupponitur, certò ſtatutam eſſe in aliquem actum

à Ju-

à Jure irregularitatem, & ignorans nullibi ab ea eximitur.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis & Remissionibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Pœnitentia, & quid Remissiones.*
2. 3. *Quid involvat Pœnitentia ut Sacramentum, tam ex parte Pœnitentis, quàm ex parte Ministri.*
4. *An & quando detur obligatio confitendi peccata, & qualia.*
5. *Quis possit absolvere à peccatis Reservatis.*
6. *Quænam soleant reservari ab Episcopis.*
7. *Quid requiratur ad Reservationem peccati.*
8. *An ignorans incurrat casum reservatum.*
9. *Papa, regulariter solus, potest concedere Indulgentias, etiam pro Defunctis.*
10. *Quæ dicantur Indulgentiæ Plenariæ & non-Plenariæ: quid illis superaddat Jubilæum.*

Pœnitentia consideratur tripliciter. 1. prout est *virtus* specialis, seu detestatio & dolor animi de peccatis, prout hæc sunt offensa DEI, cum proposito melioris vitæ. 2. ut est *Sacramentum*, si nimirum interno dolori accedat confessio peccatorum coram Sacerdote, & hujus absolutio. 3. prout est *Satisfactio*, seu opus pœnale, vel sponte susceptum, vel à Confessario injunctum, ad delendam, quæ ordinariè post dimissa quoad culpam peccata remanet, sustinenda in hoc vel altero mundo, pœnam temporalem, ut ali-

aliqualiter satisfiat Justitiæ Divinæ. Quia verò opera pœnalia, quæ vel à Confessariis injunguntur, vel etiam à Judice Ecclesiastico, ubi delictum est publicum & in Judicium deductum, v. g. peregrinatio ad locum pium, jejunia &c. vel sponte suscepta, aut ærumnæ hujus vitæ patienter toleratæ ad piacandum DEUM, sæpe non sufficiunt ad delendam pœnam præsertim apud peccatores gravibus peccatis obstrictos, Ecclesia succurrit per *Indulgentias*, quæ in Rubrica vocantur *Remissiones*, scilicet pœnarum temporalium, dimissis quoad culpam & pœnam æternam peccatis residuarum, ex Christi & Sanctorum satisfactionibus, quæ vocantur *Thesaurus Ecclesiæ*, liberaliter applicatis à Summo Pontifice; ideo in hoc titulo agendum est non solùm de *Pœnitentia*, ferè tantùm quatenus est Sacramentum (quatenus enim *virtus* est aut *satisfactio*, imò multa etiam, quatenus Secramentum est, Theologis tum speculativis tum Moralibus, qui ex professo fusè hæc pertractant, discutienda relinquere debemus.) sed etiam de *Indulgentiis*.

2 Porro *Sacramentum Pœnitentiæ* est, *quo peccata post Baptismum commissa, & cum debito dolore legitimo ministro manifestata, virtute clavium seu Absolutionis Sacramentalis delentur quoad reatum culpæ potissimùm*. Proin involvit & requirit sequentia. 1. *materiam remotam*, quæ sunt peccata: si hæc sint mortalia, nunquam confessa, sunt materia *necessaria*, seu necessariò subjicienda clavibus Ecclesiæ, h. e. exponenda in Confessione: si venialia, sunt *sufficiens* ad obtinendam absolutionem, uti & mortalia jam semel confessa. 2. *materiam proximam*, quæ sunt tres actus pœnitentis, nimi-

rum

rum dolor de peccatis seu contritio: confessio: & satisfactio. *Contritio* potest esse vel *perfecta*, si nimirum procedat ex motivo amoris DEI offensi, super omnia diligendi & dilecti, atque hæc ordinariè intelligitur nomine *contritionis*: vel *imperfecta*, quæ solet vocari *attritio*, nempe si dolor procedat & fundetur in motivo inferiori, v. g. propter turpitudinem peccatorum, propter gehennam vel pœnas à DEO pro peccatis infligendas, quas peccator metuit, aut propter jacturam cœli, quam fecit. *Confessionem*, quæ debet esse integra & syncera, ita ut omnia prorsus mortalia, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, quoad speciem & numerum fideliter aperienda sint Confessario, nisi moralis saltem impossibilitas excuset. 4. *Satisfactionem*, quæ consistit in executione operis pœnalis seu pœnitentiæ, ut vocamus, à Confessario injunctæ: hæc non est pars essentialis, sed solùm *integralis*. 5. *Formam*, seu Absolutionem à peccatis, quæ consistit in verbis illis, *absolvo te*, vel *absolvo te à peccatis* &c. quæ sacerdos auditis peccatis pronuntiat, & sic authoritate ac nomine Christi peccatorem non merè declarat liberum à peccatis, sed verè etiam liberat, atque confert gratiam sanctificantem, vel primam, si pœnitens attulit mortalia, vel augmentum illius, si priùs jam fuit in statu gratiæ, *ex opere operato*, ut loquuntur, seu ex meritis Christi. 6. *Legitimum ministrum*, qui ex Institutione Christi est solus sacerdos. Trid. *s. 14. c. 6. & can. 10. de Pœnit. Sacr.* ex illo *S. Jo. c. 20. Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ex

3 Ex quibus apparet 1. Sacramentum Pœnitentiæ esse institutum per modum Judicii, in quo Pœnitens & *Reus* & simul sui *Accusator* est, Sacerdos verò absolvens est *Judex*. 2. Pœnitentem obligari ad distinctam peccatorum gravium confessionem; quomodo enim aliàs Sacerdos scire posset, an & quo modo Reus peccator sit absolvendus, aut ligandus. 3. In Sacerdote tanquam Judice requiri *Jurisdictionem*, seu potestatem absolvendi, quam quidem accipit in ipsa Ordinatione, non tamen illius exercitium, quod primùm consequitur, quando ipsi assignantur subditi. in quos in actu secundo exerceat potestatem in ordine ad absolvendum: quæ jurisdictio potest esse vel *ordinaria*, vel *delegata*, expressè vel tacitè concessa: hanc præcedere vel comitari debet *Approbatio*, sive judicium & testimonium authenticum (ab Episcopo regulariter dandum) de alicujus idoneitate ad excipiendas confessiones: vocatur etiam concessio *Curæ animarum*, éstque ad licitè ac validè à peccatis mortalibus absolvendos Sæculares, & Moniales, necessaria. Trid. *s. 23. c. 15. de ref. & Conf. Inscrutabilis. Greg. XV.* Quia verò Jurisdictio non solet concedi illimitatè, sed cum quadam restrictione. dum vel Papa vel Episcopus vel alii Superiores Ecclesiastici certos casus & peccata graviora suæ absolutioni reservant extra articulum mortis pœnitentis, dispicere debet Sacerdos Confessarius, quænam peccata sint reservata, à quibus absolvere ipsi permissum non sit.

4 Dico 1. Datur obligatio de Jure Divino confitendi peccata mortalia post Baptismum commissa in ordine ad obtinendam absolutionem

nem Sacramentalem. 2. Quamvis Christus nullum expressè determinaverit tempus. 3. Bene tamen determinavit Ecclesia, dum in *c. omnis utriusque 12. h. t.* & Trid. *s. 14. c. 5. & can. 8. de Pœnitent. Sacram.* præcepit, ut omnes fideles & singuli, postquam ad annos discretionis pervenerint, peccati vel peccatorum mortalium sibi conscii, saltem semel in anno omnia dicta peccata fideliter confiteantur, & validè, proprio sacerdoti, scilicet Parocho, vel Episcopo, vel Pâpæ, aut horum delegato, aut privilegium confessiones quorumcunque & quovis tempore audiendi habenti, uti habent Religiosi, saltem Mendicantes. Siquis autem culpabiliter omitteret, vivus ab ingressu Ecclesiæ arcendus, mortuus autem sepulturâ sacrâ privandus esset. Prima duo membra, sicut tenent omnes Catholici, ità sumuntur ex *cit. c. 20. Jo.* Tertium verò totidem ferè verbis est decisum in *c. 12. & Trid. citt.* Quòd autem valida debeat esse confessio, specialiter declaravit Alex VII. damnans hanc propositionem: *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, sicut Innoc. XI. damnavit hanc: *præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Imò nec ille reipsa satisfacit, qui ignoranter confessionem invalidam facit, sed tenetur, postquam resciverit, veram peragere, quia actum invalidè fieri, & non fieri, paria sunt. *arg. l. 30. ff. de Testam tutel.* nec finis, à Jure Divino intentus, qui est reparatio amicitiæ Divinæ, per invalidam Confessionem obtinetur. De reliquo, licèt Christus non determinaverit tempus, juxta plerosque tamen omnes urget præ-

ceptum Divinum in articulo mortis, seu in probabili vitæ periculo, ut peccati mortalis sibi conscius suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel saltem, si occasio confitendi non supperat, in voto, quod consistit in contritione perfecta. Et licèt Ecclesia determinet singulos annos, non verò certum anni tempus, per accidens tamen ratione Communionis Sacræ, quam præcipit in Paschate peragendam *c. 12. cit.* stringit tempore Paschali, sicut Jus Divinum per accidens obligat ad Confessionem Sacramentalem toties, quoties aliquis communicare, vel celebrare Missam debet vel cupit. Cœterùm consuetudo universim videtur omnes obligare ad confitendum in Paschate, licèt peccati mortalis sibi non videantur rei, quia alias foret occasio & periculum, ne sub prætextu ce rentiæ peccati mortalis omitterent Confessionem, qui tamen tenerentur.

5 Dico 2. A peccatis reservatis licèt per se & rectè absolvere possit solus, qui reservavit, vel ejus successor, aut superior, & quibus isti hanc potestatem delégant; quia per reservationem alligatur jurisdictio & potestas absolvendi. 2. in articulo tamen mortis cuivis sacerdoti, etiam degradato, hæretico, non approbato &c. id pecmissum est. Trid. *s. 14. c. 7. de Pœnit.* ubi pro hoc articulo vult cessare omnem reservationem. 3. A casibus autem, Papæ reservatis ab ipso Jure, conceditur Episcopis, ut, si occulti sint & ad forum contentiosum non deducti, possint absolvere suos subditos in foro conscientiæ. Trid. *s. 24. c. 6. de ref.* item illas personas, quæ ob impedimentum adire nequeunt Pontificem vel ejus delegatum.

Idem

Idem conceditur 4. Religiosis Mendicantibus quoad personas non Regulares per speciale privilegium, exceptis tamen casibus Bullæ Cœnæ, & quidem solis extra Italiam. *Const. Clem. VIII. de 9. Jun. 1601. & Const. Urbani VIII. 17. Nov. 1628.* imò, ut observat Gobat, etiam concessum videtur iisdem Religiosis absolvere à casibus Bullæ Cœnæ *in casu necessitatis & impedimenti*, quia Urbanus VIII. in sua *Constit.* omisit verba, *in nullo casu, etiam necessitatis & impedimenti &c.* quæ Clemens VIII. prædecessor posuerat. §. A casibus tamen Episcopo reservatis nec Religiosi Mendicantes absolvere possunt, nisi Episcopus id ipsis indulgeat. Sic enim sentire nos jubet Alex. VII. qui damnavit hanc propositionem: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id eorum facultate*; quam tamen facultatem iis sæpe clementer concedunt Episcopi, saltem in Germania.

Quæres, quinam sint casus Episcopales? R. 6 Nulli quidem sunt de Jure Communi, nisi fortè excipias levem Clerici percussionem, mortaliter tamen peccaminosam; solent tamen sibi reservare aliquos specialiter, v. g. homicidium voluntarium, crimen incendiariorum, sacrilegium, per effractionem & exspoliationem loci sacri, vel per voluntariam humani sanguinis aut seminis effusionem in eo factam, commissum, perjurium & falsum testimonium in Judicio, falsificationem litterarum, violentam manûs injectionem in parentes, sortilegium seu Magiæ exercitium, peccata irregularitatem sibi annexam habentia, adulterium notorium, aliáque carnis delicta enormia &

publicè scandalosa. Sed diligenter inspicienda sunt Ritualia cujuslibet Diœcesis; alicubi enim plura, alibi pauciora, alicubi etiam alia à recensitis distincta sibi reservant Episcopi, qui tamen cavere debent, ne nimis multa peccata sibi reservent; id enim potiùs in destructionem cederet, quàm in ædificationem. Trid. *s. 14. cit. c. 7.*

7 Petes, quid requiratur, ut peccatum possit vel soleat reservari? R. sequentia. 1. Ut sit mortale ex objecto suo, & cum plena advertentia commissum. 2. Ut sit externum, ita ut actus externus per se sit mortaliter peccaminosus, v.g. si peccatum carnis in actum externum prodiens reservaretur, graviter is provocativus sit ad Venerem oportet, qualis non est aspectus faciei, tactus manuum &c. etiam alterius sexûs, licèt fiat cum Venerea delectatione interna graviter peccaminosa. 3. Ut sit consummatum in genere suo, & eo modo, qui in lege reservante exprimitur. 4. Ut sit admodum grave, seu habens extraordinariam gravitatem, quæ talem rigorem exigat; cùm reservatio aliàs nimis accideret difficilis. 5. Ut tale peccatum non sit valde frequens. Gobat *Theol. Exper. tr. 7. n. 355.* cum aliis, Engel *in Man. Paroch. p. 3. c. 2.* uti in Germania est peccatum hæresis, saltem apud illos, qui in ea nati sunt, & lectionis librorum Hæreticorum in locis, ubi Hæretici vivunt immixti Catholicis. 6. Ut peccatum non sit dubium, vel dubietate *Juris*, ut si dubitetur de Lege reservante, vel *Facti*, ut si dubitetur, an peccatum eo modo sit commissum, prout exigit Lex reservans. Gobat *n. 356.*

Du-

Dubitabis, an incurrat casum reservatum, qui invincibiliter ignoravit, suum peccatum esse reservatum? R. cum distinctione: si reservatio sit *Pœnalis* principaliter, qualis ferè est omnis & illa tantùm, quæ habet annexam censuram, probabiliùs non incurrit. Gobat *n. 360.* cum Sanch. Lug. & aliis hodie passim: si autem est *Medicinalis*, seu principaliter spectans bonum fidelium, & subditorum, quales ferè sunt reliquæ omnes, omnino incurrit. Sanch. *l. 9. de Matrim. d. 33. n. 18.* La Croix, & alii hodie communiter; quia per talem reservationem *absolutè* censetur inferiori sacerdoti adempta potestas absolvendi. Ex priori parte inferes, à quolibet sacerdote, aliàs potente à mortalibus absolvere, posse absolvi eum, qui commisit peccatum à Pontifice reservatum, si pœnitens ignoravit vel reservationem vel censuram suo peccato annexam, vel ex alio capite à Censura excusatur; quia Pontifex non solet sibi reservare peccata, nisi habeant annexam simul censuram Pontifici reservatam. 8

Dico 3. Indulgentias quascunque, etiam pro defunctis, ex plenitudine potestatis suæ potest Summus Pontifex elargiri, & ii, quibus Papa concedit, at nec validè nec licitè sine justa & rationabili causa. Constat ex *c. Unigenitus 2. h. t. int. Extrav. Comm.* & ex illo *Matth. 16.* ubi Christus ad D. Petrum, ejúsque in Apostolica Cathedra successores, dixit: *tibi dabo claves Regni cœlorum: quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*; item ex praxi & communi sensu Fidelium. Dixi autem 1. *Indulgentias*, quæ sunt remissio pœnæ temporalis, pro peccatis actualibus 9

debitæ, ex Thesauro Ecclesiæ desumpta: adeóque per Indulgentias non remittuntur peccata quoad reatum culpæ, sed solùm quoad reatum pœnæ post culpam dimissam adhuc residuæ, & vel sustinendæ in Purgatorio, vel delendæ in hac vita per opera pœnitentiæ, aut per ærumnas patienter toleratas. *Thesaurus Ecclesiæ* præcipuè sunt opera Christi quà satisfactoria, quæ sunt infiniti valoris, dein B. V. & aliorum Sanctorum, quibus ipsis satisfaciendum pro suis peccatis non indiguerunt, proin est infinitus. *Extrav. cit.* Dixi 2. *Quascunque*, plenarias, & non plenarias, personales seu certis personis, reales seu certis rebus, v. g. numismatis, rosariis &c. & locales seu certis locis, v. g. templis, concedi solitas. 3. *Etiam pro defunctis*, non quidem per modum *absolutionis*, ut contingit in Indulgentiis pro vivis, in quos Papa habet jurisdictionem, sed per modum *suffragii* seu *solutionis*, h. e. satisfactiones Christi exhibendô Divinæ Majestati quasi solutionem pretii, adjunctis precibus, ut eas pro debito pœnæ, à defunctis adhuc sustinendæ, misericorditer accipere dignetur. Nihilominus tamen Indulgentiæ pro defunctis concessæ juxta communiorem & veram cum S. Thoma habent effectum infallibilem. 4. *At nec validè &c. sine justa causa*; quia Papa non est dominus, sed solùm dispensator thesauri Ecclesiæ & satisfactionum Christi &c. dispensatori autem non est concessum gratias elargiri sine justa causa; id enim esset prodigere. Justa autem causa debet esse specialis, v. g. exaltatio Ecclesiæ, extirpatio hæresum, obtinenda per preces & opera pia &c. pro lucrandis Indulgentiis præscripta, communi-

muneratio meritorum in Ecclesiam &c. Nec sufficit generalis illa causa & finalis, scilicet ut liberentur v. g. animæ à pœna aliàs in Purgatorio &c. sustinenda, quæ liberatio est ipse finis Indulgentiarum. *Objic.* Papa validè dispensat in Lege Jejunii, validè absolvit ab excommunicatione, & alias pœnarum remissiones facit, etiam sine justa causa: ergo & Indulgentiæ valebunt sine justa causa concessæ. R. *N. Cons. & parit.* Illas dispensationes, absolutiones, & remissiones facit Pontifex circa rem quasi suam & suæ liberæ dispositioni relictam, ac tanquam dominus: Indulgentias autem concedit solùm ut dispensator, applicando satisfactiones Christi, adeóque alienas; non liberæ dispositioni suæ relictas.

Porro Indulgentiæ *Plenariæ* dicuntur, quæ tollunt omnem pœnam temporalem ob peccata quoad culpam dimissa exsolvendam in hac vel altera vita. *Non-plenariæ* autem seu *Partiales*, quæ solùm tollunt partem pœnæ, vel *indeterminatam*, v. g. tertiam, aut quartam pœnæ partem, vel *determinatam*, v. g. 20. 40. dierum 7. 10. 100. 1000. annorum: si Indulgentia sit 40. dierum, appellatur *Quadragena*, qua deletur pœnæ tantum, quantum fuisset exsolutum per jejunium 40. dierum secundùm antiquos Canones Pœnitentiales continuatum: vel *Carena*, qua exsolvitur tantum pœnæ, quantum per jejunium in solo pane & aqua per 40. dies continuatum juxta dictos Canones fuisset deletum: si sit Indulgentia 7. annorum, dicitur *Septenna*, per quam remittitur pœna, quæ deleri potuisset per 7. annorum jejunium à dictis Canonibus injunctum. Siquidem

sensus concessionis Indulgentiarum determinatarum est, quòd per illas tanta pœna deleatur, quanta fuisset deleta per opera pœnitentiæ secundùm dictos Canones per illud tempus peracta, per quæ longè amplior pœna, v. g. per jejunium 7. annis continuatum (consequenter & per Indulgentias 7. annorum) deletur, quàm per 7. annos in Purgatorio deleretur; cùm opera viatoris in gratia constituti sint DEO longè gratiora, quàm in Purgatorio existentis tolerata pœna, ob defectum libertatis. Unde est erronea opinio putantium, per Indulgentias 40. 100. dierum, 7. 20. 100. annorum &c. deleri tantum pœnæ, quantum in Purgatorio per hujusmodi tempus. *Jubilæum* præter Plenarias Indulgentias hoc habet, quòd concedat facultatem eligendi quemcunque Confessarium ex approbatis, ab Episcopo, cui Confessario indulgetur insuper potestas absolvendi ab omnibus peccatis, censuris, & casibus, aliàs Episcopo, imò & Pontifici (exceptis quandoque casibus Bullæ Cœnæ) reservatis, item licentia commutandi vota; licèt excipi soleant vota aliàs reservata, maximè Castitatis perfectæ, & Religionis ingrediendæ.

TITULUS XXIX.

De Sententia Excommunicationis (Suspensionis, & Interdicti.)

SUMMARIUM.

1. *Quid, & quotuplex sit Censura.*
2. 3. *A quo, & in quem ferri possit.*

4. Pro-

4. *Propter quale delictum.*
5. *Et quomodo debeat ferri.*
6. *Non tollitur, nisi per Absolutionem.*
7. 8. *Aquo, & quo modo hæc impertienda sit.*
9. *Quid, & quotuplex sit Excommunicatio. Quinam Excommunicati dicantur tolerati, & non-tolerati.*
10. *Quibus bonis privet Excommunicatio.*
11. *An iisdem priventur tolerati quoque.*
12. *In quibus communicare liceat cum non toleratis.*
13. *Excommunicatio* Canonis.
14. *Excommunicationes contentæ in Bulla Cœnæ.*
15. *Suspensio quid, & quotuplex.*
16. *Quis ejus effectus.*
17. *Quid & quotuplex sit Interdictum.*
18. 19. *Quinam ejus effectus.*
20. *Quid sit Cessatio à Divinis. An sit Censura.*

TRactatur hìc de pœnis *Medicinalibus*, seu de *Censuris*, quarum tres tantùm sunt species, *Excommunicatio*, *Suspenso*, & *Interdictum:* de quibus in specie agemus, at priùs

De Censuris in genere.

Censura est *pœna spiritualis, & medicinalis* (h. e. inflicta, ut delinquens emendetur & contumaciam ponat) *per quam homini baptizato, delinquenti, & contumaci, per potestatem Ecclesiasticam aufertur usus quorundam bonorum spiritualium*, quæ nimirum aliis fidelibus communia sunt, publica & externa, utì communia Eccle-

siæ Suffragia, Indulgentiæ, Jurisdictio Ecclesiastica, Sacrificia, Beneficia, Officia Ecclesiastica, quæ nimirum subsunt dispositioni Ecclesiæ, uti & ministratio & participatio Sacramentorum &c. Depositio, Degradatio, irregularitas licèt sint pœnæ spirituales, quia tamen medicinales non sunt, sed vindicativæ, ideo censuræ non sunt. Alia dicitur *lata à Jure*, alia *ab Homine*, nimirum Judice, vel Superiore: alia *latæ*, alia *ferendæ sententiæ*.

2 Dico 1. Censuram ferre possunt omnes & soli Superiores Ecclesiastici, etiam Regulares, jurisdictionem in foro externo & contentioso ordinariam obtinentes. *c. 1. 3. 11. 16. de off. Ord. c. 7. eod. in 6. c. 10. 11. de Majorit. c. fin. de Stat. Monach. c. 20. de V. S. c. 1. h. t. in 6.* Qui & aliis hanc potestatem delegare non prohibentur, modò non delégent Laicis & fœminis, utpote jurisdictionis Ecclesiasticæ & spiritualis incapacibus. Absolutè tamen Pontifex Laicos ad id habilitare posset, imò probabiliter etiam fœminas; quamvis, enim istæ de Jure Divino sint incapaces *Ordinis*, non tamen probantur incapaces esse *jurisdictionis* Ecclesiasticæ de Jure Divino. *Objic.* In *c. 12. de Major.* Abbatissæ permittitur suspendere Clericos suæ Ecclesiæ ab Officio & Beneficio, nec non suas Canonicas: ergo de Jure Communi fœminæ sunt capaces ferendi censuram, saltem Suspensionis. R. Illa suspensio non fuit vera, cujus violatio inducit irregularitatem, sed simplex tantùm prohibitio.

3 Dico 2. Censura ferri potest in omnes & solos Christianos subditos, doli capaces, & viatores. Ratio, quia subjectio & jurisdictio sunt

corre-

correlativæ: ergo, sicut in ferente censuram debet esse jurisdictio, ita in patiente debet esse subjectio. Unde illud Pauli: *quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? 1. Cor. 5.* Consonat *c. 21. h.t.* Qui non ampliùs sunt *viatores*, seu in via ad alteram vitam, h. e. in vita præsenti, non ampliùs subjecti sunt Prælatis Ecclesiæ, quibus quidem Christus dedit potestatem ligandi *super terram*, non verò *subtus terram*, seu mortuos. *Objic.* 1. Hæretici etiam post mortem jubentur excommunicari. *can. fin. caus. 24. q.* 2. Et excommunicati, qui cum signis pœnitentiæ decesserunt, debent adhuc absolvi. *c. 28. h. t.* ergo & mortui subsunt jurisdictioni Ecclesiæ. 2. Censura non potest ferri in subditos, extra territorium v. g. existentes. *c. 2. de Constit. in 6.* ergo non in omnes subditos. R. ad 1. Illa excommunicatio, & Absolutio, non est propriè dicta, & directa; sed excommunicatio defunctorum est solùm declaratio publica anathematis, quo viventes adhuc jam erant irretiti, habens hunc effectum, quòd nempe carere debeant sepulturâ sacrâ, & fidelium suffragiis privari &c. velut indigni, ad terrorem fidelium viventium. Pariter illa Absolutio est declaratio, quòd tales coram DEO pro absolutis habendi, sepultura sacra & Ecclesiæ preces ipsis concedendæ à fidelibus, quos maximè spectat hujusmodi ceremonia. Ad 2. *dist. ant.* Si Censura jam est lata per statutum vel sententiam generalem, v. g. in omnes, qui committunt homicidium proditorium, & hoc fuisset patratum extra territorum, vel intra territorium quidem, sed delinquens jam indè egressus ea, & simul Censura esset ferendæ sententiæ. *C.*

ant.

ant. quia extra territorium jus dicenti impune non paretur. *c. 2. cit.* nec taliter absentes manent subditi. Si Censura est lata per specialem sententiam in aliquem, si hoc vel illud delictum committat, vel si delictum compleatur in territorio, licèt delinquens existat extra illud, ut si esset decreta excommunicatio in absentes ultra tres menses à suis beneficiis Parochialibus, vel siquis sub pœna excommunicationis citetur in Judicium, is tamen contumaciter non compareret. *N. ant. & conf.* Cœterùm Reges & Imperatores hodie per Episcopos non ampliùs possunt Censurâ affici.

4 Dico 3. Ut justè feratur Censura, requiritur delictum seu peccatum, & quidem (excepta excommunicatione *Minore*, & suspensione ac interdicto impropriè dictis) mortale tam ex objecto suo quàm ex advertentia, & cum contumacia conjunctum; aliàs enim coram DEO non stringit Censura. Sumitur ex *c. 5. de pœn. in 6.* Trid. *s. 25. c. 3. de ref.* & indè, quia Censura est pœna gravis. Insuper debet esse delictum externum, & opere completum ac eo modo perfectum, quem Lex vel Superior puniens clarè exprimit; quia pœnæ sunt odiosæ, ac ideo restringendæ. *c. 15. de R. J.* Sed & debet esse conjunctum cum contemptu potestatis & Legis Ecclesiasticæ, formali vel virtuali, seu cum contumacia, utì dictum, adeóque delictum oportet adhuc aliquo modo durare, & non esse merè præteritum; quia finis Censuræ est, ut deliquens corrigatur, & à contumacia ac inobedientia recedat. Sic ipse quoque Christus *Matth. 18.* delinquentem ut Ethnicum haberi, & ex gremio Ecclesiæ excludi non voluit,

nisi

nisi monitus *Ecclesiam non audierit.* Debet igitur præcedere monitio, ut aliquis censeatur esse contumax. Si Lex ipsa statuit Censuram in certum delictum, non opus est speciali monitione; cùm ipsa Lex satis & semper moneat. Unde infertur à Censura incurrenda excusare 1. ignorantiam tam Juris quàm Facti, modò non sit crassa, vel affectata, seu mortaliter peccaminosa. 2. Dubium Juris & Facti, si post diligentem inquisitionem deponi non potuit. 3. Metum gravem injustè incussum, qui impellat ad legem violandam, etsi à peccato fortè non excuset, cùm contumax dici nequeat, qui aliquid invitus agit. Excipe tamen metum, qui directè incussus est ad aliquid faciendum in contemptum Legis Ecclesiasticæ, vel ad communicandum cum excommunicato in *crimine criminoso*, seu tali, propter quod alter est excommunicatus, quæ communicatio redundat in contemptum Ecclesiæ, & enervat disciplinam Ecclesiasticam. Idem fortè, si cum Lege Ecclesiastica concurrat Jus Naturale simul aut Divinum. per *c. 5. de his, quæ vi.* ibi: *licèt metus extenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.* 4. Appellationem legitimam, si ea interponatur, antequam feratur sententia Censuræ. *c. 16. de appell.* demum 5. Innocentiam, licèt pro foro externo probaretur delictum. *c. 2. 7. h. t. in 6.*

Dico 4. Ut Censura legitimè feratur ab Homine per sententiam specialem, opus est 1. ut procedat monitio, eáque trina (vel una peremptoria; seu tribus in tempore æquivalens) cum compe- §

petente post quamlibet dierum intervallo, nisi urgens necessitas minus tempus exegerit. *c. 28. de appellat. c. 48. h. t. c. 1. 9. 13. eod. in 6.* Quia ad contumaciam requiritur, ut monitus obedire detrectet. 2. Ut citatio fiat in scriptis continens causam, propter quam intentetur censura; imò ut ipsa quoque sententia feratur in scriptis, & cum expressione causæ. *c. 1. & c. 48. citt.* Si prior conditio non observetur, Censura invalidè, si posterior, solùm injustè fertur. Notandum quoque, quòd requiratur monitio etiam in casu, quo Judex aliquem vult denuntiare tanquam ligatum Censurâ ab ipso Jure latâ, saltem ut licitè denuntiet. Pirhing *h. t. n. 36.* nisi nempe crimen sit notorium. *arg. c. 9. de accus.*

6 Dico 5. Censura non tollitur nisi per Absolutionem, etsi censuratus ad frugem jam redierit, ac positâ contumaciâ plenam satisfactionem præstiterit. *c. 28. h. t.* & ab Alex. VII. damnata est hæc propositio: *quoad forum conscientiæ vel correctô, ejúsque contumacia cessante, cessant Censuræ*; nisi nimirum Censura esset expressè lata sub conditione emendationis, v. g. donec se emendaverit, vel satisfecerit censuratus. Si intra annum non petat absolutionem, & sic in Censura *insordescat*, fit suspectus de hæresi. Trid. *s. 25. c. 3. de ref. in f.* Absolutio autem dari non debet, nisi censuratus priùs ponat contumaciam, & satisfecerit parti læsæ, vel de satisfactione cautionem idoneam præstiterit; quia sic exigit Ordo Juris, & jus partis læsæ. Datam verò pro foro merè interno non tenetur Judex Ecclesiasticus acceptare pro foro externo, quam-

vis

vis possit, ut habet communis cum Avil. & Laym.

Quæres, quis possit absolvere à Censura? ℟. 6
1. Si Censura est lata ab homine per sententiam particularem, solus ille (saltem pro foro etiam externo) qui tulit, ejúsque successor, aut Superior jurisdictionem immediatam habens in censuratum, vel eorum delegatus, licèt Censura specialiter reservata non sit. *c. 11. §. præterea de off. Jud. Ord. c. 7. §. porro h. t. in 6. c. 1. de R. J. in 6.* ℟. 2. Si Censura est lata ab ipso Jure aut Lege, vel ab Homine quidem, at per sententiam vel decretum generale (quod æquivalet Legi.) eâque non est reservata specialiter, quilibet aliàs pœnitentem à peccatis mortalibus absolvere potens. *c. 29. h. t.* ℟. 3. Si Censura est reservata, tunc ille, qui reservavit, vel ejus successor, vel Superior in jurisdictione, vel eorum delegatus pro utroque foro *arg. c. 20. h. t.* & per se clarum est; in hoc enim consistit reservatio. Si est reservata Summo Pontifici, tunc pro foro interno concessum est absolvere ab occulta & ad forum contentiosum non deducta Episcopo. Trid. *s. 24. c. 6. de ref.* & Religiosis Mendicantium, si excipias Censuras Bullæ Cœnæ extra casum necessitatis, & impedimenti ad Pontificem accedendi. *Compend. Privil. Soc. Jes. V. absolutio.* vid. dicta. *tit. præced. n. 5.* Imò in casu impedimenti & necessitatis videtur in utroque foro id concessum esse & Episcopo, & dictis Religiosis, imò & aliis Confessariis, at cum reincidentia, seu prævio juramentô (vel saltem promissione simplici) quo absolvendus se obliget, quòd cessante impedimento sistere se velit

lit reservanti tanquam obedientem, & mandatum de satisfaciendo (non novam absolutionem) ab eodem suscipere: quo postea forsan non præstito reincidet in Censuram. *c.13.58.h.t.* Idem est, si quis inferior absolvat censuratum in articulo mortis constitutum, ubi cessat omnis reservatio. Trid. *s.14. c.7. de Pœnit. Sacram. c.22.h.t. in 6. c.13. c.58. tit.*

8 Petes, quo modo sit impertienda Absolutio à Censuris ℟. Quamvis in Jure non sit præscripta forma, vel verba certa, nec requiratur præsentia absolvendi, sicut in absolutione Sacramentali à peccatis; pro foro tamen externo observandus est ritus in diœcesi usitatus, vel Pontificale Romanum, aut *c.28.h.t.* ubi præscribitur recitatio Psalmi Pœnitentialis, Orationis dominicæ & alterius consuetæ: pro foro autem interno in usu est hæc formula: *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis* suspensionis &c.) *quam incurristi propter causam N. & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium in nomine Patris &c.* (executioni tuorum Ordinum, Officiorum, Beneficiorum &c. si absolvendus fuit in suspensione.) Si verò absolutio fiat potestate delegata, præmittuntur hæc verba, *auctoritate Omnipotentis DEI, SS. Apostolorum Petri & Pauli, & SS. Domini nostri NB.* (si absolvens delegationem habeat à Papa) *in hac parte tibi concessâ & mihi commissâ absolvo te &c.* Monacella in *Formulario p.3. in prælud. n.75.* Cæterùm absolutio dari potest vel simpliciter & *absolutè*, uti in allegata formula videre est, vel *conditionatè*, v. g. *si parti læsæ satisfactionem præstiteris, sis absolutus*; qui tamen modus non facilè adhi-

ben-

bendus est: vel *ad cautelam*, quando nimirum dubitatur, num quis Censuram incurrerit; qualis absolutio ante Sacramentalem absolutionem à peccatis præmitti solet à Confessariis in reverentiam Sacramenti; item ante collationem Beneficii vel Privilegii aut Rescripti &c. *ad certum effectum*, nempe pro evitando nullitatis periculo, addi solet absolutio à Censuris, licèt ne quidem suspicio sit alicujus Censuræ: vel *ad reincidentiam*, ut absolutus cum onere injuncto in Censuram reincidat, si illud non expleverit.

De Excommunicatione.

Prima & gravissima inter Censuras est *Excommunicatio*, quæ in genere dici potest *segregatio à communione fidelium*, vel: *Censura privans communione fidelium, à Lege vel ab Homine proveniens.* Differt ab *Anathemate* vel *Anathematizatione* solùm accidentaliter, quia hæc superaddit aliquam solennitatem ac specialem execrationem, dum fit coram 12. presbyteris ardentes lucernas in terram projectas conculcantibus cum maledictionibus. *can. 106. caus. 11. q. 3.* Excommunicatio alia vocatur *Major*, qua quis totaliter removetur à corpore, & communione fidelium, tam spirituali & Ecclesiastica, quàm Civili, seu omnibus Ecclesiæ bonis communibus privatur. Et hæc semper intelligitur sub voce *Excommunicationis* simpliciter prolatæ. *c. 59. h. t.* & de hac sola procedent dicenda. *Alia* autem dicitur *Minor*, qua quis solùm removetur secundùm quid, & tantùm privatur usu passivo seu participatione

Sacramentorum *c. cit. c. fin. de Cler. excomm. ministr.* Et ista hodie propter unicam causam incurritur, siquis nimirum communicet cum excommunicato excommunicatione majore, eóque vitando, seu non tolerato. *c. 15. 29. 55. h. t.* Siquidem excommunicati sunt in duplici classe, *vitandi* seu *non-tolerati*, quos reliqui fideles vitare tenentur, h. e. cum ipsis communicare prohibentur, & tales quamvis olim fuerint omnes, hodie tamen non sunt alii, quàm præcisè *notorii percussores Clericorum* (qui incurrerunt excommunicationem Canonis, ut vocatur, de qua infrà) ac *nominatim & publicè denuntiati* tanquam excommunicati. Reliqui autem omnes sunt & vocantur *tolerati* seu *non vitandi*, licèt eorum excommunicatio sit notoria, uti in favorem reliquorum fidelium, quibus difficilis erat, & causa multorum scrupulorum, obligatio abstinendi à communicatione, statuit Martinus V. in famosa Constitutione Extravagante, quæ incipit, *Ad evitanda*, postmodum confirmata in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 11.* Observandum tamen est, quòd Martinus V. in *cit. Bulla* protestetur, se ipsis excommunicatis, quando de solo eorum commodo agitur, nihil juris aut favoris concedere, licèt indirectè in ipsos favor redundet, si cum ipsis communicare velint, aut communicationem exigant reliqui fideles: quare hodiedum adhuc licitè non possunt (& quandoque nec validè) se in communionem ingerere excommunicati, sed solùm ipsis permittitur, si alii fideles communicare cum ipsis velint, vel expetant.

10 Dico 1. Excommunicatio privat sequentibus bonis.

nis. 1. Usu tam activo quàm passivo Sacramentorum extra articulum mortis, ita ut Sacramenta nec administrare nec suscipere licitè possint excommunicati, & Sacramentum Pœnitentiæ nec validè. *c. 32. 38. h. t.* 2. Communibus Ecclesiæ suffragiis, nempe quoad Sacrificia, Indulgentias, publicas preces, participationem bonorum operum. *c. 28. c. 38. eod.* privatim tamen pro excommunicatis orare licet. 3. Divinis Officiis, ita ut excommunicatis intereſſe non liceat Sacrificio Missæ, Horis Canonicis publicè recitari solitis, Processioni vel Benedictioni publicæ. *c. 18. 43. x. c. 24. in 6. eod.* Privatim tamen adire templum, ibíque orare, aut concionem audire non prohibentur. 4. Sepulturâ sacrâ. *c. 12. Clem. 1. de Sepultur.* ubi & sepelientes dicuntur incurrere excommunicationem. 5. Jurisdictione Ecclesiastica tam voluntariâ quàm contentiosâ. *c. 24. de sent. & re jud. c. 1. de off. Vicar. in 6.* proin actus jurisdictionis, quos exercent, etiam sunt invalidi. 6. Administratione Officii & Beneficii jam habiti, ita ut eligere ad Prælaturam, conferre vel præsentare ad beneficium &c. non valeant. per *c. 8. de consuet. c. 5. de conceſſ. præb. c. 8. de Cleric. excomm.* 7. Capacitate ad Dignitates, Beneficia, & Officia Ecclesiastica deinceps obtinenda & eorum exercitium, item ad consequenda Rescripta. *c. 7. & fin. eod. c. 1. de Reſcr. in 6.* Beneficia &c. tamen priùs habita non amittunt, nec fructus ante sententiam, per *c. 53. §. verùm. de appellat.* si nempe officium per alium adimplere possint. 8. Communione & commercio civili cum fidelibus per verba, litteras, salutationem, pacta & contractus,

convictum. *can. 16. seqq. 11. q. 3. c. 29. h. t.* licèt contractus cum illis initi valeant. 9. Communione forensi, seu fori Judicialis, ita ut excommunicatus nequeat esse Judex, Actor, Advocatus, Procurator, Tabellio, Testis &c. *c. 8. h. t. in 6.* ut Reus tamen vel per se vel per procuratorem in Judicio comparere potest,

11 Notandum verò est 1. quòd his bonis per se & directè priventur quidem etiam excommunicati tolerati, ita ut se ingerere non valeant, cùm in Bulla *Ad evitanda* ipsis per se & directè nullus favor sit indultus; si tamen fideles cum ipsis communicare velint sponte, vel actum ipsis prohibitum ab eis requirant, vel quoad actus forenses contra illos nemo excipiat) utì tamen fieri posset) per accidens & indirectè gaudeat communione, & tales actus licitè ac validè exerceantur. Si verò sint excommunicati non tolerati, nec fideles licitè cum ipsis communicant, nec possunt actus ipsis prohibitos exigere, vel ad hos admittere. *can. 17. seqq. 11. q. 3. c. penult. h. t. c. 5. de Cler. excom. c. 2. Except.* Proin communicare in Sacris & Divinis in Civilibus & Politicis: ac in Forensibus negotiis (ad hæc tria enim reducuntur omnia, quibus privari excommunicatos diximus, & hoc versu comprehenduntur, *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.*) fideles non possunt absque peccato (& quidem gravi in Sacris, levi autem in reliquis, nisi communicatio esset valde familiaris, frequens, aut facta cum scandalo, & præbens occasionem perseverandi in contumacia) & sine excommunicatione minore cum dictis excommunicatis non peccant. per *c. 2. cit. c. 5. 29. 55. h. t. c. 3. eod. in 6.*

No-

Notandum tamen 2. quòd communicatio in 12
Civilibus etiam cum non-toleratis permissa sit fidelibus ex his causis. 1. ubi eam exigit magna utilitas vel excommunicati, ut si fiat cum spe eum convertendi, aut ipsi detur eleemosyna; vel communicantis, ut si hic ab ipso urgeat solutionem debiti, petat consilium, opem &c. 2. si exigat lex vinculi conjugalis in ordine ad thorum & obsequia domestica. 3. si exigat subjectio, qualem habent liberi erga parentes, Minores erga Curatorem, famuli erga herum, domestici erga patremfamilias &c. 4. si detur ignorantia (etiam vincibilis, modò non sit affectata) sive Juris sive Facti. 5. si postulet necessitas seu animæ seu corporis, tenens se vel ex parte excommunicati, vel ex parte communicantis. DD. communiter ex variis Canonibus, qui dictas causas in hunc versiculum compegerunt: *Utile, Lex, Humilis, Res ignorata, Necesse.*

Dico 2. Excommunicatio *Canonis*, ut vocatur, 13
incurritur ipso facto ab omni rationis compote (etiam impubere, vel fœmina) qui in personam Ecclesiasticam, Clericum vel Monachum seu Religiosum utriusque sexûs, sui statûs privilegiô non privatam, violentas manus injicit, v. g. percutiendo, vulnerando, conspurcando, crines evellendo &c. vel in res tali personæ inhærentes, v. g. per vim auferendo pileum, lacerando vestimenta, equum aut currum sistendo &c. si per quamcunque actionem graviter injuriosam personæ aut statui Ecclesiastico, & mortaliter peccaminosam, id fiat, vel qui tale quid mandat vel suadet effectu secuto, aut etiam ratum tantùm habet anteceden-

ter & cum effectu. Text. & DD. in *can. siquis suadente 29. caus. 17. q. 4.* (à quo Canone nomen obtinuit.) *c. 26. c. 47. x. c. 23. h. t. in 6.* Textus in *cit. can. 29.* sic habet: *siquis suadente diabolo* (scilicet prava affectione interna & animô graviter lædendi in corpore vel honore:) *hujus sacrilegii reatum incurrit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum* (nisi percussio sit occulta in ordine ad forum internum. Trid. *s. 24. c. 6. de Ref.* vel, ut notant DD. respectu levis, mortaliter tamen peccaminosa, etiam in ordine ad forum externum, & nisi percutiens labore ret impedimento accedendi Pontificem vel ejus Legatum aut Nuntium) *illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum susceperit.* Ex quibus ultimis verbis patet, famosam hanc excommunicationem Canonis per se Pontifici esse reservatam. Pro foro tamen interno, si peccatio est occulta, etiam Religiosi Mendicantes, sicut Episcopi, absolvendi privilegium obtinent. *Compend. Privil. Societatis JESU V. Absolutio* quia hic casus non est inter casus Bullæ Cœnæ quorum absolutionem Papa negat iisdem Religiosis saltem extra casum necessitatis, & impedimentum Pontificem accedendi. Et hinc

14 Quæres, quinam sint casus in Bulla Cœnæ Pontifici reservati? R. Sequentes. Nimirum excommunicatio lata

1. Contra Hæreticos, eorúmque Credentes, Fautores; ac Schismaticos; item eos, qui legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt libros

bros Hæreticorum, de Religione tractantes, vel Hæresim continentes.

2. Contra eos, qui appellant à Pontifice ad futurum Concilium.

3. Contra Piratas in Mari Romano, eorúmque fautores.

4. Contra eos qui surripiunt bona naufragorum.

5. Qui ponunt, augent, exigunt nova & injusta tributa, pedagia, & gabellas.

6. Qui falsificant litteras Apostolicas.

7. Qui deferunt equos, arma, aliáque instrumenta, usibus Bellicis idonea, ad Turcas, aliósque infideles: item qui eis (etiam Hæreticis non toleratis) nuntiant statum Reipublicæ Christianæ in hujus perniciem, aut alio modo consilium, auxilium, favorem præstant.

8. Qui impediunt, ne Curiæ Romanæ victualia, aliáque necessaria deferantur.

9. Qui vulnerant, detinent, deprædantur &c. accedentes, vel recedentes à Romana Sede, vel in Curia Romana commorantes.

10. Qui vulnerant, detinent, spoliant &c. Romipetas, & peregrinos accedentes ad Urbem, vel ibi commorantes, aut ab ea recedentes.

11. Qui vulnerant, percutiunt &c. Cardinales, vel alios Prælatos & Legatos Sedis Apostolicæ.

12. Qui percutiunt, spoliant &c. recurrentes ad Romanam Curiam pro suis negotiis.

13. Qui à gravamine, & executione litterarum Apostolicarum frivolè appellant, aut aliàs ad Curias Sæculares recurrunt, vel accedentes ad

Romanam Curiam pro expeditione negotiorum & gratiarum impediunt.

14. Qui causas à Judicibus Ecclesiasticis avocant, vel eorum cursum, & executionem litterarum Apostolicarum impediunt.

15. Qui trahunt, vel trahi curant personas Ecclesiasticas ad sæculare tribunal, item qui condunt quovis modo vel quæsito colore Statuta libertati Ecclesiasticæ repugnantia, aut iisdem utuntur.

16. Qui impediunt, ne Prælati Ecclesiastici sua jurisdictione utantur.

17. Qui sine legitima Superiorum licentia usurpant, vel sequestrant reditus, fructus, & proventus ad Pontificem, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentes.

18. Qui imponunt decimas, collectas, aut alia onera personis Ecclesiasticis.

19. Judices sæculares, qui in causis capitalibus, seu criminalibus Clericorum se interponunt.

20. Qui occupant bona aut terras Ecclesiæ Romanæ, vel supremam ejus jurisdictionem usurpant.

Qui ab his Censuris extra articulum mortis, & seclusô privilegiô vel speciali facultate, absolvunt, ipso Jure excommunicantur, & absolutio est invalida: quæ quidem excommunicatio non est reservata, nisi quis absolveret sub prætextu privilegii, quod non habet, ut declaravit Clemens VIII. approbans decretum *S. Congreg. Episc. & Regular.* anno 1601. apud Piasec. *p. 2. c. 1. art. 3.*

Objic.

Objic. Bulla Cœnæ in Germania nec promulgata, nec recepta est. D. à Sommeting in *Introduct. in Univers. Jus. l. 1. tit. 2. n. 75.* & alii: ergo. R. Hoc ita simpliciter asserere mihi semper visum est temerarium, pernicioſum, & Sanctæ Sedi injurioſum. De sufficienti promulgatione quis dubitet, cùm soleat omnium ferè diœcesium Ritualibus inseri, in Religioſorum domiciliis publicè affigi, & alicubi jussu Ordinariorum etiam Confessionalibus? Quis de receptione; cùm non tantùm in sacris Pœnitentiæ tribunalibus nullus Confessarius audeat absolvere obstrictum peccatô in Bulla Cœnæ contento, sed etiam in Curiis Ecclesiasticis emergentes contra Immunitatem Ecclesiasticam, quæ maximum ex hac Bulla subsidium habet, Casus juxta eam dicîdantur? Id non improbabile puto, quòd apud nos quoad omnia & omnem rigorem recepta non sit. Sic enim Laym. *to. 1. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 4.* à Scriptoribus Germaniæ communiter receptus, docet de libris Hæreticorum, non ex instituto de Religione tractantibus, hinc indè tamen obiter hæresim continentibus, dicens: *Veruntamen in partibus nostris Septentrionalibus Bullaris hæc constitutio secundùm talem rigorem recepta non est.* Quid de ipsa hæresi, & lectione librorum Hæreticorum, quoad absolutionem, nos sentiamus, aperuimus ad *tit. de Hæreticis. n. 4.*

De Suspensione.

Suspensio, propriè sumpta, est *Censura Eccle-* 1 §
siastica, à Jure vel ab Homine lata, vel ferenda, privans Clericum exercitiô Officii, vel Beneficii

Ecclesiastici, vel utriusque simul, quà talis. Dicitur 1. *Propriè sumpta*; si enim feratur in pœnam & vindictam delicti merè præteriti, vel ad certum tempus, v. g. biennium, vel in perpetuum, Censura propriè non est, utpote non pœna medicinalis, & ad emendationem contumacis non ordinata. 2. *Privans Clericum*, cùm Laicus officii & beneficii Ecclesiastici sit incapax, atque ideo ab iis suspendi nequeat: proin hæc Censura solis Clericis est propria. Unde dum Abbatissæ vel Priorissæ Monialium dicuntur suspendi, non est propriè suspensio ab Ecclesiasticis, sed solùm ab officio & actibus suæ œconomiæ. 3. *Exercitii*; non enim privat ipso Officiô & Ordine Clericali, vel Beneficiô & titulô, uti Depositio &c. 4. *Officii*, quo nomine venit etiam functio seu actus Ordinis Clericalis, sicut & jurisdictionis Ecclesiasticæ. 5. *Beneficii*, quo nomine intelligitur functio vel administratio Beneficii, & perceptio fructuum beneficialium. 6. *Quà talis*, seu quatenus illud exercitium est functio quædam potestatis, ab Ordine, Officio, vel Beneficio Ecclesiastico provenientis: & ex hoc capite præter alia differt Suspensio ab *Excommunicatione*, quia hæc privat quidem eodem exercitio officii & beneficii, at non tantùm, sed simul etiam aliis bonis, & quidem simul quatenus illud exercitium est communicatio cum reliquis fidelibus: item ab *Interdicto*, quod quidem etiam privat functionibus sacris, sed quatenus sunt quædam Divinorum participatio per præsentiam & assistentiam, privat quoque sepulturâ Ecclesiasticâ. Dein Excommunicatio & Interdictum afficiunt etiam Laicos, Suspensio autem

autem solos Clericos. 7. Vel *utriusque simul*, & tunc est suspensio *totalis*, quæ semper venit nomine *suspensionis* à Jure vel Homine terminis indefinitis & absolutis latæ: si autem quis vel ab Officio, vel à Beneficio suspendatur expressè, vocatur *Partialis*, quæ iterum vel est à toto Officio, vel à toto Beneficio, qualis esse intelligitur, si illiminatè fertur; vel ab uno vel altero tantùm actu Ordinis aut Officii, v. g. siquis suspenditur à celebratione Missarum, ab audiendis Confessionibus, à collatione Beneficiorum &c. vel à beneficio ex parte, v. g. ab uno tantùm beneficio, aut parte fructuum beneficialium, v. g. distributionibus, appellari poterit *partialis secundùm quid*: talis quoque erit, siquis tantùm suspendatur ab Ordine, tunc enim non extenditur ad alios actus Officii.

Dico. Effectus Suspensionis est 1. Obligatio, 16
regulariter gravis, abstinendi ab actibus, à quibus aliquis est suspensus, ut adeò illicitè exerceat actum Officii, vel Beneficii &c. ut per se clarum est. 2. Privatio Beneficii, si suspensus in ejus administrationem se ingerat. *c. 1. §. fin. c. 16. §. cæterùm de Elect. in 6.* 3. Irregularitas, si suspensus exerceat actum Ordinis. *c. 9. de Cler. excomm.* quæ non per *absolutionem*, uti Censuræ, sed per *dispensationem* tolli debet. 4. Nullitas actuum jurisdictionis, beneficii, officii (excepto actu Ordinis) quos exercet suspensus *non-toleratus*, h. e. nominatim & publicè denuntiatus, qui à fidelibus etiam vitandus est, ita ut talem actum à taliter suspenso requirere licitè non possint. *c. 8. consuet. c. 16.*

de

de Elect. Si tamen *toleratus* est, suspensus agit validè, imò, si se ipsum non ingerat, sed à fidelibus ex justa causa requiratur, v. g. ut legat Missam &c. etiam licitè. per *Bull. Ad evitanda Martini V.* 5. Suspensio potest etiam ferri in integram Communitatem, v. g. Capitulum, Collegium &c. licèt aliqui ex tali gremio sint innocentes. *c. 40. de Elect. in 6. Extrav. 1. eod. int. Comm. Extr. 1. cit. comm. de Simon.* Si tamen generali Lege vel Sententia feratur Suspensio (idem est de Interdicto, non verò de Excommunicatione, ut communiter notant DD.) non comprehenduntur Episcopi. *c. 4. h. t. in 6.*

Objic. 1. Integra communitas excommunicari non potest. *c. 5. v. In universitatem. h. t. in 6.* ergo nec suspendi. 2. Peccata suos debent tenere authores. *c. 2. de his, quæ fiunt à Majori.* & sine delicto vel culpa nemo debet puniri. *c. 23. de R. J. in 6.* ergo innocentes, si suspendatur communitas, non involvuntur.. *N. ad 1. dist. ant.* si liquidò constaret, omnes & singulas Communitatis vel Collegii personas esse reas & contumaces. *N. ant.* per *d. c. 5. in f.* Si in Communitate sint aliquæ innocentes vel minùs nocentes, utì plerumque contingit. *C. ant.* At *N. cons. & parit.* quia per suspensionem Communitatis innocentes non privantur juribus & functionibus, quæ ipsis *quà singulis* competunt (utì tamen fieret per excommunicationem) sed iis tantùm, quæ competunt Collegio vel Communitati *quà tali*, cujus sunt membra, ut v. g. est jus eligendi Prælatum &c. Ad 2. *dist. cons.* non involvuntur quoad ea jura, quæ innocentibus quà singulis competunt.

tunt. *C. conſ.* quæ ut Communitati. *N. conſ.* quamvis enim ex hoc indirectè aliquod gravamen redundet etiam in innocentes, Jura tamen involvi, & illud pati voluerunt etiam innocentes.

De reliquo diſces ex dictis *de Cenſuris in genere*, à quo, in quos, quo modo, & quam ob cauſam ferri Suſpenſio (utì & Excommunicatio, ac Interdictum) valeat, & à quibus Abſolutio impertiri, caſu quo reſervata vel non reſervata eſt.

De Interdicto.

Interdictum, huic loco propriè ſumptum, eſt 17
Cenſura Eccleſiaſtica, à Jure vel Homine lata vel ferenda, privans uſu (ſeu participatione) *tam activo quàm paſſivo Officiorum Divinorum omnium aliquorum Sacramentorum, & ſacræ ſepulturæ, quà talium*, ſeu quatenus ſunt res ſacræ, per quod differt ab Excommunicatione & Suſpenſione, quæ iisdem ſub alia ratione privant, ſicut quoque ex eo, quòd privet paucioribus bonis, quàm Excommunicatio, & non ſolùm Clericos, ut Suſpenſio, ſed etiam Laicos afficiat. Aliud eſt *Locale*, quod principaliter directè & immediatè tantùm afficit locum, ne in eo peragantur & participentur functiones ſacræ, v. g. in Eccleſia, Civitate &c. Aliud *Perſonale*, quod immediatè & tantùm perſonam vel perſonas, v. g. Titium, Prætorem, membra communitatis, cives &c. afficit. Aliud *Mixtum*, quo tam locus quàm perſonæ ſimul immediatè afficiuntur. Si feratur in locum plura loca continentem, v. g. in Regnum,

Pro-

Provinciam, Civitatem, est *generale locale*; si feratur in unum alterúmve particularem locum, v. g. determinatam Ecclesiam, Parochiam, est *locale speciale* seu *particulare*: ubi observa, quòd interdicto loco principali etiam censeantur interdicta accessoria & annexa, ut, si Civitas interdicatur, etiam ad Suburbia, si Ecclesia, etiam ad Capellas & Cœmeterium contiguum exporrigitur. *c. 17. h. t. in 6.* licèt aliàs odia sint restringenda. Si feratur in totam aliquam Communitatem, Collegium, Capitulum, est *Personale generale*, ac officit omnia & singula membra, licèt aliqua careant delictô, quamdiu membra sunt, & ubicunque sunt. *c. 16. eod. in 6.* Quæ autem causam non dederunt Interdicto, liberantur, si membra esse desinant. Si autem feratur in unam, vel plures personas certas & particulares, est *Personale particulare*. Personaliter interdicti, si nominatim & publicè sint denuntiati, sunt *vitandi* seu *non tolerati*. Extrav. *Ad evitanda* Martini V. Cæteri sunt *tolerati*. Interdictum locale etiam requirit aliquam denuntiationem, saltem, si à Jure jam sit latum, declaratoriam. Denique si Interdictum habeat omnes effectus postea recensendos, est *totale*, si solùm unum vel alterum, est *partiale*, ut si alicui tantùm interdicatur *ingressus in Ecclesiam*, quod apud Prælatos Ecclesiasticos loco Excomunicationis vel Suspensionis, ex quibus facilè redundat incommodum in subditos, usurpari quandoque voluit Tridentinum.

18 Dico. Effectus Interdicti est 1. Obligatio illud servandi, ut patet. 2. Privatio usûs Sacramentorum quorundam activi & passivi, ut adeò illicitè conferatur & suscipiatur Ordo, Extrema Unctio, nisi

nisi morienti aliud Sacramentum administrari nequeat, item Evchariſtia, nisi moribundis per modum viatici, Matrimonium cum benedictione nuptiali. *c. 11. depœnit. & remiſſ. c. 43. 57. h.t. c. 16. 24. eod. in 6.* Licitè tamen confertur Baptiſmus, Confirmatio, & Pœnitentia; licèt hoc Sacramentum iis, qui dederunt cauſam Interdicto, antequam ſatisfecerint, vel ſufficientem cautionem præſtiterint, negandum ſit. *c. 24. cit.* Permiſſum quoque eſt Matrimonium ſine benedictione conjugum. 3. Privatio Officiorum Divinorum. *c. 16. cit.* quo nomine veniunt functiones ſacræ, quæ fiunt à Clericis publicè & ratione Ordinis ſacri, uti Sacrificium Miſſæ, Horarum Canonicarum, Pſalmorum, aliarúmque Precum Eccleſiaſticarum in loco ſpecialiter deputato decantatio vel recitatio, olei, chriſmatis, aquæ, cereorum, palmarum, nuptiarum, veſtium, templi, vaſorum, altaris &c. benedictiones publicæ. Permittitur tamen Conciones habere & audire. Ne autem ex diuturniori Sacramentorum, & Divinorum omiſſione Officiorum, tepeſcere incipiat devotio populi, in *cc. 57. 24. citt.* in Interdictio locali generali conceditur, ut ſemel in hebdomade celebretur Miſſa ad conficiendam Evchariſtiam, in Monaſteriis autem quotidie Miſſæ & Divina Officia habeantur, at ſubmiſſa voce, januis clauſis, ſine pulſatione campanæ, & tintinnabuli ad *Sanctus* & ad *Elevationem*, atque excluſis Laicis, & Clericis nominatim interdictis: dein ut feſtis Nativitatis Chriſti, Paſchatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. V. atque ex *Conſtit. Excellentiſſimi.* Eugen. IV. in feſto Corporis Chriſti ejusque tota octava,

aper-

apertis etiam januis, pulsatis campanis, & cum omni solennitate celebrentur Missæ & alia Officia Divina. Quando autem permittitur celebratio Missæ, censetur quoque permissa Communio sacra. 4. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. *c. 11. cit. c. 3. 24. de privil.* Excipiuntur tamen ibi personæ Ecclesiasticæ, quæ, si personaliter non sint interdictæ, in loco interdicto aliàs ad sepulturam deputato sepeliri possunt, at in silentio ac sine pulsu campanarum. Cessante Interdicto etiam aliorum corpora, in loco non sacro sepulta, transferri ad sacrum permittuntur. Notandum adhuc est, quòd, ubi personæ tantùm, non locus Interdicto suppositus est, dictæ privationes non procedant, casu quo interdicti sunt *tolerati*, seu nominatim non denuntiati, si nimirum fideles reliqui, uti saltem ex justa causa possunt, ab iis requirant Sacramenta, & alia Divina, vel sepulturam sacram iis indulgeant. Præter recensitos.

19 Effectus indirecti sunt aliquæ pœnæ violati Interdicti; nam Clerici, tam Regulares quàm Sæculares, si violent Interdictum personale per actum Ordinis aut locale per celebrationem Missæ, irregulares efficiuntur. *c. 18. 20. h. t. in 6.* privantur jure electionis activæ & passivæ. *c. 18. cit. c. 1. de Postul. Præl.* incurrunt suspensionem ab Officio, Beneficio, & jurisdictione. *c. 18. de Excess. Præl.* Religiosi autem, etiam exempti, non servantes Interdictum locale, quod servatur in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice, aut Parochiali illius loci, incurrunt excommunicationem. *Clem. 1. h. t.* uti & sepelientes aliquem in loco interdicto, vel interdictum

ctum nominatim denuntiatum. *Clem 1. de sepult.* Eandem Excommunicationem, & quidem Pontifici reservatam, contrahunt Domini temporales, qui compellunt Clericum ad celebrandum in loco interdicto, item interdicti denuntiati, qui, postquam jussi sunt, non exeunt de templo, ubi celebratur Missa. *Clem. 2. h. t.*

Quæres, quid sit *Cessatio à Divinis*, & quomodo differat ab Interdicto? ℟. 1. Est *prohibitio Ecclesiastica, Clericis imposita, ut in aliquo loco abstineant ab Officiis Divinis, & quorundam Sacramentorum administratione ob grave alicujus delictum* (cedens in enormem injuriam Divini honoris vel Ecclesiæ) *in contestationem mœroris. c. 11, de Sponsal. c. 2. 8. de off. Ord. in 6.* ℟. 2. Differt ab Interdicto, quia prohibitio directè non spectat delinquentem, sed Clericum, non in pœnam, sed in signum doloris ob læsionem honoris Divini vel Ecclesiæ, ut hoc modo delinquens excitetur ad emendationem, & ad reparandam congrua satisfactione offensam: quod si intra mensem non præstiterit, nec causa Romam delata fuerit, desinere debet cessatio à Divinis. *c. 8. cit.* Unde apparet, Censuram non esse. Deinde Cessatio à Divinis semper ab Homine, nunquam à Jure, indicitur, Interdictum verò ab utroque. 20

TITULUS XL.

De Verborum Significatione.

SUMMARIUM.

1. 2. *Verba sunt accipienda juxta mentem proferentis.*

3. *Quomodo, si dubia sint, interpretanda.*
4. *Generalia an generaliter intelligenda.*
5. *Quid operentur specialia, & geminata.*

1 Cùm in toto Jure plurimùm interfit Legislatorum mentem atque Legum sensum, quod utrumque vel maximè genuina vocum significatione & intelligentiâ obtinetur, ritè perspectum habere, ideo ad finem Juris utriusque, Canonici & Digestorum, ponitur titulus de *Verborum Significatione*, de qua pono sequentes regulas, &

2 Dico 1. Verba sunt accipienda juxta mentem & intentionem proferentis, unde unde de illa liquidò constiterit; hæc enim velut Regina semper attendi debet in qualibet dispositione. *l. 69. pr. ff. de Legat. III. c. 6. h. t.* Unde illud receptum: *verba intentioni, non intentio verbis deservire debet.* Mens autem proferentis præcipuè elucet vel ex ratione adjecta, quæ est quasi anima dispositionis, & quasi idem cum mente loquentis: vel ex verborum propria significatione, quam habent ex institutione sua, aut potiùs communi peritorum usu & acceptione. *c. 2. de translat. Episc. c. 12. de Decimis. l. 69. cit.* Nisi nimirum ex verbis in propria significatione acceptis sequeretur absurdum, vel dispositio careret effectu, vel subjecta materia, aut antecedentia & consequentia non paterentur verba propriè accipi. *l. 69. c. 6. citt. l. 7. ff. de R. J.*

3 Dico 2. Si verba aliquo modo sunt dubia & ambigua) nam in claris non habet locum interpretatio) ita sunt interpretanda. 1. Ut quàm maximè consonent menti loquentis aliunde cognitæ.

2. Ut

2. Ut evitetur iniquitas, peccatum, vel præjudicium tertii. 3, Ut evitetur contradictio, vel Juris correctio. 4. Ut consonent rei ac materiæ subjectæ, vel personis, circa quas proferuntur. 5. Ut correspondeant præcedentibus & consequentibus. 6. Ut operentur aliquem effectum: licèt potiùs sustineatur superfluitas, & carentia effectûs, vel etiam improprietas verborum, quàm absurdum, iniquitas, præjudicium tertii, vel aliquid ultra limites subjectæ materiæ. 7. Ut dispositio vel actus valeat potiùs, quàm pereat. 8. Ut potiùs sumantur contra proferentem, quàm pro illo, præsertim in Legibus & Contractibus, servatâ tamen, quantum fieri potest, æqualitate inter contrahentes: quod tamen in actibus Judicialibus non procedit. Ita DD. communiter ex variis Legibus. Præ cœteris pretiosum thesaurum exhibent Barbosa & Tabor, seu Tabor ad Barbosam *in Locis Communibus*, præsertim in *Axiomatis*.

Dico 3. Verba generalia generaliter sunt intelligenda, ita ut ad omnes species & ad omnia sub genere contenta regulariter extendenda sint. *l. 1. ff. de legat. præst. l. 15. §. 26. ff. de injur.* Unde illud brocardicum: *ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere.* Id quoque procedit in propositione indefinita, & signo universali, *omnis, nullus*, non affecta, cùm æquipolleat locutioni generali. *c. 22. de privil. l. 1. §. 4. ff. de Off. Præf. Urbi.* Maximè in dispositione Legali. *c. 1. de Constit. l. 8. ff. l. 3. C. de Legib.* Nisi nimirum adsit causa restringendi, qualis est, si generalis dispositio fundetur in ratione speciali eáque expressa, quæ tamen ad omnes species se non extendit: si

ſubjecta materia non patiatur generalem intellectum: ſi abſurdum iniquum, præjudicium tertii ſequeretur ex illimitata acceptione: pariter generalis locutio extendi non debet ad graviora expreſſis. *c. 15. de Reſcr.* Nec ad ea, quæ ſpeciali nota ſunt digna. *c. 81. de R. J. in 6.* Nec ad illa, quæ de Jure vel Conſuetudine poſtulant expreſſam mentionem. *c. 4. 5. de Procurat in 6.* Neque tunc generalis locutio includit omnia ſpecialia, quando certa quædam exprimit in ſpecie, niſi exprimat per modum exempli.

§ Dico 4. Verba ſpecialia plùs operantur, quàm generalia, h. e. ſpecies derogat generi non genus ſpeciei. *l. 15. §. 26. cit. l. 41. ff. de pœn. l. 80. ff. de R. J.* Et verba geminata plùs, quàm ſimplicia. per *l. 32. ff. ad S. C. Trebell.* quia geminatio indicat magìs ſeriam, & enixam, omniſque metu liberam voluntatem.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Ingreſſus. Regula Juris quid & quotuplex.*
4. *Quam vim habeant Regulæ Juris authenticæ.*
5. *Patiuntur ſuas exceptiones.*
6. *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
7. 8. *Quot ſint Regulæ Juris, & quænam Juris Canonici.*

1 SCiendum 1. Ut curſum meum, ſecundùm leges Juſtitiæ in V. Decretalium libris comprehenſas hucusque inſtitutum, ad DEI glo-

gloriam principaliter, tum verò ad meorum Discipulorum utilitatem, synceriſſimè ordinatum, non extra rhombum ſaltando, ſed *ſecundum regulam* currendo finiam, breviter adhuc aliquid dicendum ſupereſſe *de Regulis Juris*, de quibus fuſior explicatio in Scholis dari non conſuevit, nec ordinariè in Libris; quamvis non deſint, qui vel peculiares tractatus de iis ediderint, uti Dynus & Petrus Peckius, vel ſuis libris annexuerint, ut Henricus Caniſius, Barboſa, P. Streinius, & noviſſimè P. Wieſtner, qui proin ulitiſſimè inſpiciuntur.

Sc. 2. Regulas Juris nihil eſſe aliud, quam breves ſententias, axiomata, & propoſitiones generales, ex Legibus vel SS. Canonibus deductas, quæ ſerviunt velut generalia quædam principia ad cauſas ritè decidendas, generalibus propoſita verbis & brevi ſententia; nam *regula eſt, quæ rem, quæ eſt, breviter enarrat. l. 1. ff. h. t.* Hæ quidem regulæ non conſtituunt novum Jus, ſed jam conſtitutum ſupponunt, utpote deductæ ex Legibus & Canonibus jam præcedentibus; nam ex Regula non fit Jus, ſed ex Jure Regula. *l. 1. cit.* Quæ etiam cauſa fuit, ut tam Juris Canonici Compilator primùm in fine Decretalium, quàm Imperator in fine Pandectarum, ex profeſſo poſuerint Regulas Juris, tanquam ſummam & compendium Juris, jam antè conſtituti; licèt hinc indè in prioribus titulis jam aliquas inſperſerint. Unde ſine Juris notitia non ſatis perfectè penetratur ſenſus, vis, & veritas Regularum. 2.

S. 3. Regulas Juris dividi in Authenticas, & merè Doctrinales: Authenticæ ſunt, quæ authoritate Legislatoris, Sacri vel Politici, in Corpore 3.

Juris, Canonici vel Civilis, præsertim in hac Rubrica sedem obtinuerunt: *Doctrinales*, quæ etiam vocantur *Brocardica*, sunt axiomata Juris-Consultorum vel aliorum Doctorum, à nullo Legislatore in vim Legum authentizata, nec in Corpore Juris posita, sed ab iisdem DD. deprompta vel ex Juris textibus, vel ex Philosophorum dictis, uti sunt: *Spoliatus est ante omnia restituendus: Sine litis contestatione non valet processus: Privatio supponit habitum.* Quæ, licèt contemnenda non sint, non tamen nisi cautè & circumspectè allegan-da; cùm innumeras patiantur exceptiones, nec authoritatem habeant & vim probandi, nisi in quantum suffulciuntur Legum Canonúmve auxiliô, vel Curiarum usu recepta & approbata sunt.

4 Dico 1. Qui Regulam Authenticam habet pro se, non tantùm habet intentionem fundatam in Jure, ut liberetur ab onere probandi. *arg. c. 2. de Restit. Spol. in 6.* sed etiam jus certum, ita ut pro ipso pronuntiandum sit, nisi Adversarius doceat, illud, de quo est quæstio, non comprehendi sub Regula, sed ab ea exceptum esse. *l. 5. ff. de Probat.* Imò sententia contra Juris Regulam lata non minùs est nulla, ac illa, quæ fertur contra Legem vel Canonem, ut docent cum Peckio,

5 Dico 2. Regulæ Juris patiuntur suas exceptiones, & subinde multas. Patet tum ex trito brocardico, *nulla regula sine exceptione*, quod & ipsum non procedit universaliter, sed patitur exceptionem in hac regula, *liber homo non usucapitur*, prodita *§. 1. Inst. de Usucap.* tum ex Auctoribus. Oppones: juxta dicta priori Titulo verba generalia sunt generaliter accipienda, ita ut verificen-

ficentur de omnibus sub sua generalitate comprehensis: sed Regulæ Juris sunt sententiæ generales: ergo generaliter de omnibus contentis accipiendæ: ergo non patiuntur exceptiones ullas. R. Sunt quidem regulæ generales, non tamen in sensu absoluto, sed in accommodo, uti hæc propositio, *Cœlum tegit omnia*; non enim absolutè omnia tegit, quia se ipsum non tegit. Imò, cùm Regulæ Juris habeant maximam amplitudinem & generalitatem, plurimas recipiunt exceptiones: cùm plurimæ possint circumstantiæ circa factum emergere vel intervenire, propter quam varietatem facti & circumstantiarum variari & Jus necesse est. Unde fallitur, qui existimat se totum Jus intelligere, si noverit Regulas Juris: cùm sint meriſſimum compendium innumeris exceptionibus, sicut circumstantiarum mutationibus ipsa causa, obnoxium.

Dico 3. Exceptio firmat regulam in contra- 6
rium in casibus non exceptis, h. e. censentur comprehensi in Regula, quos exceptio indè non subtrahit. Est commune axioma ex *l. 12. de Judic.* sed iterum ob generalitatem suam patiens exceptionem & limitationem, nisi nempe vel similitudo, vel eadem ratio, vel correctio Juris, aut absurdum aliàs secuturum, vel aliunde perspecta mens disponentis postulet, exceptionem etiam ad casus specialiter & expressè non exceptos extendendam esse.

Dico 4. Regulæ Juris ad hanc Rubricam in 7
Digestis omnino 211. (ducentæ & undecim quas Legistis inspiciendas & considerandas relinquo;

in *Decretalibus* verò *extra* 11. (undecim tantùm) in *Sexto* autem 88. (octoginta octo) reperiuntur expressæ, quas Lectori, qui non semper ad manum habet Corpus Juris, legendas hìc ob oculos pono iisdem verbis & ordine, quibus in Corpore Juris Canonici sunt descriptæ.

REGULÆ JURIS.

Prout reperiuntur in fine V. Decretalium Gregorii IX.

1. *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*
2. *Facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.*
3. *Utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.*
4. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*
5. *Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.*
6. *In ipso causæ initio non est à quæstionibus inchoandum.*
7. *Quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur.*
8. *Qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debet, facit, & ideo jam non facit.*
9. *Offendens in uno factus est omnium reus.*
10. *Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.*

11. *In-*

11. *Indignum est, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.*

REGULÆ JURIS.

Prout sunt in Sexto Decretal. Bonifacii VIII.

1. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri.*
2. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.*
3. *Sine possessione præscriptio non procedit.*
4. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*
5. *Peccati venia non datur nisi correcto.*
6. *Nemo potest ad impossibile obligari.*
7. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.*
8. *Semel malus semper præsumitur esse malus.*
9. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.*
10. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non non est dubium comparari.*
11. *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.*
12. *In Judiciis non est acceptio personarum habenda.*
13. *Ignorantia Facti, non Juris, excusat.*
14. *Cùm quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.*
15. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.*
16. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.*
17. *Indultum à Jure beneficium non est alicui auferendum.*

18. *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.*
19. *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.*
20. *Nullus pluribus uti defensionibûs prohibetur.*
21. *Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.*
22. *Non debet aliquis alterius odiô prægravari.*
23. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*
24. *Quod quis mandatô facit Judicis, dolô facere non videtur; cùm habeat parére necesse.*
25. *Mora sua cuilibet est nociva.*
26. *Ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribûs non subsistunt.*
27. *Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.*
28. *Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.*
29. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*
30. *In obscuris minimum est sequendum.*
31. *Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet.*
32. *Non licet Actori, quod Reo licitum non existit.*
33. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.*
34. *Generi per speciem derogatur.*
35. *Plus semper in se continet, quod est minus.*
36. *Pro possessore habetur, qui dolô desiit possidere.*
37. *Utile non debet per inutile vitiari.*

38. Ex

38. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.*
39. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.*
40. *Pluralis locutio duorum numerô est contenta.*
41. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*
42. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*
43. *Qui tacet, consentire videtur.*
44. *Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur.*
45. *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*
46. *Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quô ille, uti debebit.*
47. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.*
48. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria aut jactura.*
49. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.*
50. *Actus Legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.*
51. *Semel DEO dicatum non est ad usus humanos ulteriùs transferendum.*
52. *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum.*
53. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.*
54. *Qui prior est tempore, potior est jure.*
55. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & econtra.*
56. *In re communi potior est conditio prohibentis.*

57. Con-

57. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.*
58. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.*
59. *Dolô facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.*
60. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.*
61. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*
62. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit obligatur.*
63. *Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.*
64. *Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*
65. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.*
66. *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.*
67. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.*
68. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.*
69. *In malis promissis fidem non expedit observari.*
70. *In alternativis electoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.*
71. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.*
72. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.*

73. Fa-

73. *Factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.*
74. *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.*
75. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.*
76. *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.*
77. *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.*
78. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.*
79. *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.*
80. *In toto partem non eſt dubium contineri.*
81. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſerus.*
82. *Qui contra Jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.*
83. *Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.*
84. *Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.*
85. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.*
86. *Damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non aliis, imputare.*
87. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.*
88. *Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.*

Atque

Atque hæc omnia cedant imprimis ad laudem *Primæ Regulæ* omnis honeſtatis, dein verò ad *regulandos* Legentium mores ſecundùm mentem SS. Canonum. Si bene hucusque ſcripſi, non aliam peto mercedem, quàm Deum ter Optimum Maximum, cujus majorem honorem, & diſcentium utilitatem, cupio indè promoveri quàm maximè: ſi malè, & erroris aliquid, quod humanum eſt, hinc indè irrepſit, veniam precor, & omnia Apoſtolicæ Sedi, veritatis magiſtræ, corrigenda demiſsè ſubmitto, pro qua tuenda non calamum modò, ſed & vires omnes ac vitam ipſam devovi jam pridem.

INDEX.

Numerus Romanus I. II. indicat partem Compendii istius, primam vel secundam: *Cifra* autem dénotat paginam.

A.

ABsolvere quis possit ab hæresi, casibus reservatis, & à Censuris, part. II, pag. 574. seqq. 786. 799.
Accessiones, I. 392.
Accusatio, accusare &c, II. 497. seqq.
Acquæstus 488.
Actio quid & quotuplex, I. 302.
Quo tempore præscribatur actionibus. 560. 561.
Actus interni non cadunt sub legem humanam, 40.
Requisiti ad Consuetudinem. 103.
Meræ facultatis. 562.
Addictio in diem 715.
Aditio hæreditatis II. 89. 93.
Ad vel apud Acta testari, 65. 66.
Adoptio. 396.
Adulterium, II, 641.
Quando dirimat Matrimonium. 375.
Vel dissolvat Matrimonium. 477.
Advocatus I. 264.
Ædilitium Edictum, 733.
Æquivocatio. 430.
Ætas requisita ad Beneficium. 171.
Ad Ordines. 163. Et ad Sponsalia, II, 313.
Affinitas illegitima, & legitima. 400, 422.
Affines, 425.
Agnati. 408.
Alienatio Judicii mutandi causâ, I. 291.
Rerum Ecclesiasticarum. 690, seqq.
Feudi, 782.

Alta-

Altare. II. 198. 201.
Anatocismus 688.
Ancilla, seu serva. 384.
Annatæ. I. 653.
Antichresis. II. 688.
Apostasia. Apostata. 594.
Apostoli. I. 595
Appellatio, appellare &c. 588. seqq.
Apprehensio rei vera vel ficta 383.
Approbatio Confessarii. II. 784.
Aquilia Lex. 762. 764.
Arbiter. Arbitrator. I. 292.
Archidiaconus. 192.
Archiepiscopus. 223.
Archipresbyter. 194.
Arrestatio vel Arrestum. 420. 422.
Arrha. 715. II. 257.
Arrogatio. II. 396. seq.
Ascendentes consanguinei. 102. 411.
Aspectus turpes. 651. 654.
Assecuratio sortis 681.
Asylia. Asylum. 220.
Austrégæ. I. 320.
Authenticum. 12. Instrumentum. 464. 468.

B.

Baptismus. II. 208. Ejus reiteratio. 595. seq.
Bellum. I. 242.
Benedictio Ecclesiæ. II. 199. Nuptiarum. 337. 495.
Beneficium Ecclesiasticum. I. 628. seqq. 669.
Ejus præscriptio. 656.
Beneficiati. 617. seqq. II. 35. seqq.
Bestialitas. 646.
Bigamia. Bigami. I. 188.
Blasphemia. II 717.
Bona Castrensia &c. I. 249. Vacantia &c. 391.
Clericorum varia. II. 33.
Parapherna, Receptitia &c. 487.
Bulla Cœnæ. 583. 809.

C.

INDEX.

C.

Caducitas emphytevſis. I. 759. Feudi. 781.
Calumnia. Calumniator, II. 516. ſeq.
Cambium. 686.
Canonici. I. 617. ſeq.
Capellæ Religioſorum. II 179.
Capitulatio in Electione. I. 114.
Capitulum. Conventus. 678.
Cardinales. 222.
Caſtitatis votum. II. 365. 370.
Reſervatum. 166. 441.
Caſus fortuitus. I. 258. 260.
Caſus reſervati. II. 786. ſeqq.
Cathedraticum. I. 194. 196.
Canſa. I. 354. 363.
Cauſa finalis. I. 91.
Cauſæ connexæ, ſeu continentes. 345.
Cautio. II. 1.
Cenſura, 793. ſeqq.
Cenſus. 193. Cenſualis contractus. 682.
Ceſſatio Legis. I. 79. A Divinis. II. 817.
Ceſſio bonorum. I. 18.
Choreæ an licitæ. II. 652.
Chriſma. I. 176.
Citatio 351.
Clandeſtinitas Matrimonii. II. 318. ſeqq.
Clauſulæ privilegiorum. 747.
Clerici. I. 603. 310.
Clericorum exemptio. 309. ſeqq.
Honeſtas vitæ. 603.
Conjugium. 610.
Cohabitatio cum mulieribus 607.
Bona. II. 33.
Coadjutor. Coadjutoria. I. 661.
Codicillus. II. 67. 74.
Cœmeterium. 199. 221.
Cognatio - Cognati 408. 411.
Cognatio Legalis. 396.
Spiritualis. 389.

Collaterales consanguinei. 104. 408. 412.
Collatio Beneficiorum. I. 640. 668.
Colluſio. II. 700.
Commodare. Commodatum. I. 703. ſeqq.
Compenſatio. II. 16.
Competentiæ Beneficium. 18.
Concluſio in cauſa. I. 572. ſeq.
Concordata Germaniæ. 647.
Concubina. Concubinarii. 608. II. 280. 458. 639.
Concurſus creditorum. 20.
Conditio indebiti. II. 24.
Conditio. 357. an locum habet in Matrimonio. 254. ſeqq.
Conditio ſervilis. 384.
Conducto, Conductor. I. 739. 746.
Confeſſio Judicialis & Extrajud. 423. ſeqq.
Sacramentalis. II. 784.
Confirmatio utilis, & inutilis. &c. I. 600.
Conjugicidium. II. 377.
Conſanguinitas. Conſanguinei. 408. 411.
Conſecratio Eccleſiæ, Altaris. 199.
Epiſcopi. I. 137.
Conſenſus Legalis & Perſonalis. 97.
Fictus. II. 247. 540.
Conſuetudo. I. 96. ſeqq.
Facit licitas uſuras. II. 675.
In continenti quid ſit. I. 432. II. 315. 607.
Contractus. I. 245. 256.
Contra-dos II. 484.
Contumacia. Contumax. I. 406. 411.
Converſio conjugatorum. II. 157. Infidelium. 160.
Copia vidimatata. I. 464.
Corpore vitiati. 186.
Creditor. II. 19.
Criminis impedimentum. 374.
Culpa Juridica. I. 258. 260. II. 763. 767. ſeqq.
Cultûs diſparitas. 307.
Cumulatio Actionum & exceptionum. I. 349. 507.
Cuſtos, & ejus officium. 197.

INDEX.

D.

Damnum reſarciendum. II. 765. ſeqq.
Dolô vel culpâ datum. *ibid.*
Emergens facit uſuras licitas. 680.
Debitor. Debitum. 17. 23.
Debitum conjugale. 372. 402. ſeq.
Decanus. I. 195.
Decimæ, & jus decimandi. II. 121. ſeqq.
Earum Judex. 142.
Decretum Gratiani. I. 16.
Decretum primum & ſecundum. 415.
Degradatio. II. 775.
Delectatio Venerea, & ſenſualis. 647.
Delegatus. Delegare. I. 207. 210. ſeqq.
Delictum. quaſi-delictum. II. 498. 763.
Demonſtratio. 354. 363.
Denuntiatio criminis &c. 505.
Denuntiationes ante Matrimonium. 333.
Deponere. Depoſitum. I. 707. ſeqq.
Depoſitionis pœna. II. 774.
Deſponſatio Clandeſtina. 318.
Impuberum. 313.
Devolutio collationis Beneficiorũ. I. 672.
Dignitas Eccleſiaſtica. 630.
Dilatio Judicialis. 366.
Diminutio Beneficiorum. 684.
Dimiſſoriales litteræ. 160. ſeq.
Diſpenſatio. Diſpenſare. 79. ſeq.
Diſpenſatio. Diſpenſare 79. II. 440. ſeqq.
Diſtillatio Venerea. 654.
Diſtributiones quotidianæ. I. 622. ſeqq.
Divinatio. II. 697. ſeqq.
Divortium Conjugum. 470. ſeqq.
Dolus. I. 258. 260. 405.
Accidentalis non irritat actus. 407.
Domicilium, & quaſi. 73. 330.
Dominium quomodo acquiratur. 390.
Dominus directus. 749. 767.
Domus. Religioſæ. II. 176.
Parochi. 217.

Donatio. 27. mortis causâ. 73.
Inter virum & uxorem. 483.
Dos. Dotalitium. 484. 486. 488.
Dubium ſpeculativum & practicum. I. 532. ſeqq.
De impedimentis, & valore Matrimonii. II. 293. 494.
Duellum. 626. ſeqq.

E.

Eccleſia quid. I. 689. II. 198. 216.
Ejus ædificatio, reparatio. 216. ſeq.
Electio Prælatorum. Eligere &c. &c. I. 112. ſeqq.
Emptio & venditio. Emere &c. 712. ſeqq.
Emptor. 730.
Emphyteuſis. 748.
Epijkia. 78.
Epiſcopatus an ſit Ordo. 158.
Epiſcopus. 224.
Eremitæ an gaudeant privilegiô fori. 311.
Error. II. 296.
Evchariſtia. I. 203. 208.
Evictio. 720.
Examen. v. ſcrutinium.
Exceptio. 505.
Exceſſus Prælatorum &c. II. 725.
Excommunicatio. 801.
Canonis. 805.
Excommunicatus. 802.
Excuſſio. 13.
Executio ſententiæ. I. 581.
Teſtamenti. II. 95. ſeqq.
Exemptionis privilegium. 738.
Exequiæ. 115.
Exhæredatio. 85.
Expenſæ. I. 348. 584. II. 517.
Exponere. Expoſiti. 599.

F.

Facultatis meræ actus. I. 562.
Falcidia. II. 92.
Falſi crimen. 693.

Falsitas Instrumenti. I. 476.
Fama quid probet. 440.
Fatalia appellationis. 595.
Fera, Feripeta. II. 706.
Feriæ. I. 369. seqq.
Feudum. I. 767. seqq.
Fictè promittens Matrimonium. II. 247.
Fidei commissum. 70.
Fidejussio. Fidejussor. 10. seqq.
Fides Catholica. I. 33.
Fides bona & mala. 522. seqq.
Filiusfamilias. 248. 253. II. 692.
Fiscus. 107.
Fœmina. I. 162. 444. 776. 778.
Fornicator. Fornicatio. 608. II. 638.
Forum competens, & incompetens. I. 306. seqq.
Clericorum. &c. 309.
Causarum spiritualium &c. 324.
Frigidi quoad Matrimonium. II. 431. seqq.
Fructus. I. 386.
Funeraria. II. 115. Furtum 562. seqq.

G.

Gradus Consanguinitatis & Affinitatis. 409. 423.
Græci Clerici. 366.

H.

Haunoldus vindicatur. 711.
Hæreditas. 90.
Hæres ex Testamento. 79. seqq. ab intestato. 100. seqq.
Hæresis. Hæreticus. 570.
Homicidium. 604.
Proditorium privat. asylô. 226.
Honestas publica. 265. 311.
Hypotheca. 2.

I.

Jejunium. 211.
Ignorantia. I. 83. 531.
Excusat à pœnis. II. 378.
An à reservatione culuúm. 789.
An ab irregularitate 779.

Ille-

Illegitimi. Illegitimitas. 101. 458. 644. I. 180.
Immissio in bona. I. 416.
Immunitas Ecclesiastica localis. II. 219. seqq.
Realis. 231.
Personalis 309. seqq.
à solvendis Decimis. II. 136. seqq.
Impedimenta Matrimonij. 286.
Eligibiliratis. I. 121.
Præscriptionis. 565.
Imperium merum, & mixtum. 208.
Impotentia quoad Matrimonium. II. 431. seq.
Impuberes. I. 248. 250. II. 313. 702.
Incendium. Incendiarii 657. 659.
Incestus. 640.
Indebitum. 24.
Indignus. I. 122. 123. 174.
Indulgentiæ, II. 789. seqq.
Infamia. 510. 778.
Infantes. I. 249. II. 313. 702.
Infideles. 160. 307. 562. seqq.
Injuria. 755. seqq.
Innocens non condemnandus. I. 232.
Inquisitio. Inquisitus. II. 508. seqq.
Institutio Canonica. I. 664.
Institutio hæredis. II. 79. seqq.
Instrumentum. I. 463. seqq.
Interdicta possessoria. 397. 402.
Interdictum Censura. II. 813.
Interdictum Ecclesiæ. 438. seqq.
Interpretatio Legis. I. 76. seqq. Privilegij. II. 741.
Verborum. 818.
Interstitia. I. 165.
Intrusus. 657.
Inventarium. II. 91.
Investitura in beneficio. I. 664. in feudo. 773.
Irregulares. I. 163. II. 614. seqq. 719. seqq.
Irregularitas. 614. 779.
Irritatio, lex irritans. I. 61. seqq.
Irritatio voti. III 169.
Jubilæum. 792.

Judæi. 562. seqq.
Judex. ejus officium. I. 206. seqq. 230. seqq.
Putatitius. 300.
Puniens. II. 777.
Delegatus. Ordinarius. I. 206. seqq.
Judicium. 296. seqq.
Juramentum. 485. seqq.
Promissorium. 490. confirmans actum. 494.
Calumniæ malitiæ, veritatis &c. 363. seqq.
Adjectum pacto hæreditario. II. 308.
Donationi. 31:
Jurisdictio I. 208.
Vicarii Generalis. 199. seqq.
Confessarij. II. 748.
Jus variè accipitur. I. 2. seqq.
Naturale. Gentium, Canonicum, Civile. 4. seqq.
Jus Patronatûs. II. 180. seqq.

L.

Læsio. I. 284.
Laici. 119. 666. II. 132. 144.
Laudum. I. 292. 294.
Laudemium. 750. 755.
Legatum. II. 73. 74.
Legatus. I. 216.
Legislator. 52. seqq. 69.
Legitima. II. 83.
Legitimitas prolium. 456.
Legitimatio prolium. 462.
Lenocinium. 641.
Lepra. 381. seqq.
Lex. I. 38. seqq. Diœcesana. 225.
Lex pœnalis & irritans. 59. seqq.
Lex Commissoria. 715.
Libellus. 347. seqq.
Liber. seu ingenuus. 387.
Liberi. I. 183. II. 384.
Linea consang. & affinit. II. 408. 423.
Lis pendens. I. 417.
Litigiosa res vel actio. *ibid.*

Litis conteſtatio. 358. ſeqq.
Loca Religioſa, Sacra. Pia. II. 176.
Locator. Locare. I. 139. 742.
Lucrum Lucari. 389.
Lucrum ceſſans. II. 680.
Luxuria, & ejus ſpecies. 637. ſeqq.

M.

Magia. 697.
Magiſter. 557.
Majora vota I. 127. 682.
Majoritas. 239.
Maledictum. Malédicus. II. 716.
Maleficium. 431. 698.
Maleficiati. 431. ſeqq.
Malitia an ſuppleat ætatem. 313. 317.
Mandatum generale & ſpeciale. I. 201. 269. ſeq.
Matrimonium II. 275. ſeqq. conſcientiæ 279.
Cum dubio Juris initum. 293.
Clandeſtinum. 318. ſeqq.
Catholici cum hæretica. 308.
Infidelium. 160.
Sub conditione. 354. ſeqq.
Impuberum 317.
Clericorum. I. 610.
Inſolubile. II. 470. 474.
Invalidum quî reſtaurandum. 447.
Mendicantes Religioſi. 150. 156. 739.
Menſis Papalis. I. 648. 651.
Metus. 275. ſeqq.
Minores ſeu Minorennes. 248. 252. 284. ſeqq.
Miſſio in poſſeſſionem. 416. 664.
Modus. II. 354. 362.
Móhatra. 688.
Mollities. 646.
Monaſteria. 177.
Moniales. 726.
Montes Pietatis. 686.
Morgenatica. Matrimon. Morganat. 279.
Mortuaria. 115.

Motus turpes. 647. 649.
Munera. I. 237.
Munus à lingua, & obsequio. II. 532.
Mutilatio. 614. 616. 618.
Mutilari. I. 186.
Mutuum. Mutuatarius. II. 672.

N.

Natalium defectus. I. 182.
Naturales liberi. II. 101. 459.
Necessitas extrema. 666.
Negativa. I. 438.
Negligentia. 149.
Negotia sæcularia. II. 239.
Negotiatio. 240. seqq.
Nomina, ac debita. 688. I. 582.
Notarius. 297.
Novalia. 469. seq. 123. 127. seqq.
Novatio. II. 16.
Novitiatus. Novitii. 150. seqq.
Novum opus. 728. seqq.
Nullitas I. 5. 76. 593.
Nuptiæ. II. 140. secundæ. 491.

O.

Obedientia. I. 240. II. 172.
Oblationes. II. 146.
Obligatio Legis. I. 57.
Obligatio Naturalis & Civilis. 245. II. 12.
Obreptio. I. 87.
Occultum. II. 499.
Odiosa lex. I. 75. privilegia. II. 742.
Officia Divina. 204.
Officium, prout est beneficium duplex. I 630.
Olea sacra I. 176.
Ordines Clericales. 153.
Malè susceptι. 166. II. 723.
Ordo cognitionum. I. 373.
Ordo creditorum. II. 20.
Originale Instrumentum. 464.

INDEX.

P.

Pacta super hæreditate 108.
Dotalia, 74.
Pactum Legis Commissoriæ. I. 715.
Pactum, prout differt à contractu. 245.
De re turpi. II. 707.
Simoniacum. 533. 540.
Pallium Archiepiscopale. I. 343.
Papa. 220. seqq.
Parapherna. Paraphernalia. II. 487.
Parentum consensus. 261. 280.
Parochia. Parochianus. 118.
Parochus. I. 228. II. 115. 120.
Parricidium. 597.
Patriarchæ. I. 222.
Patronatus. II. 180.
Patronus. 181. I. 264.
Paupertas Religiosa. II. 173.
Peculium. filiifamilias. I. 249.
Clericorum. II. 33.
Pensi. I. 629. 686.
Percussio. Percussor. II. 714.
Peregrini. I. 71. seqq. 191.
Periculum amittendæ sortis. II. 681.
Rei emptæ venditæ. I. 731.
Permutatio. I. 761.
beneficiorum. 764.
Personatus. 630.
Pignus. II. 2. seqq.
Plus-petitio I. 375.
Pœna. II. 772. seqq.
Sponsalibus adjecta. 257.
Pœna binubentium. 491.
Hæreticorum. 572.
Contumacium. I. 411.
Malè Ordinantium & Ordinatorum. 166.
Simoniacorum. II. 166.
Pœnæ ignorantia. II. 378.
Pœnalis lex. 59.
Pœnitentia. II. 781.

Pa-

Pœnitentiaria Romana. 445.
Pollutio. II. 646.
Polygamia. Polyviria. 339.
Poſſeſſio. I 378. ſeqq.
Ad præſcribendum neceſſaria. 526. 550.
Poſſeſſor bonæ & malæ fidei. 385. 522.
Poſſeſſoria remedia. 396. 402.
Poſtulare Poſtulatio. 108. 264.
Præbenda. 627. Præcedentia 239.
Prædatio. II. 658.
Prælati. & Præfectæ Regulares. I. 227.
Præſcribere. Præſcriptio. 513. ſeqq.
Ejus requiſita. 522. tempus. 527. 551. ſeqq.
Impedimenta, & interruptio. 565.
Præſcriptio beneficii. 657.
Præſentatio ad beneficium. II. 186.
Præſtationes Annuæ. I. 556.
Præſumptio. I. 479. ſeqq.
Prævaricatio. Prævaricator. II. 516.
Præventio. I. 327.
Precariæ, & Præcarium. II. 701.
Preces primæ Imperatoris 191.
Pretio emptionis-venditionis. I. 722.
Simoniacum, II. 532.
Primicerius. I. 196.
Primitiæ II. 145.
Privatio Beneficii. I. 609. ſed. 668.
Privilegium. II. 734. ſeqq.
Fori & Canonis. I. 606.
Probare. Probatio. 433. ſeqq.
Proceſſus Ordinar. & Summar. 298. 301.
Procurationes viſitales. II. 195. 197.
Procurator. I 268.
Ad Matrimonium. II. 283.
Profeſſio Fidei. I. 34.
Religioſa. II. 151.
Promiſſio. I. 491.
Beneficij non vacantis. 669.
Proprietas. 390. ſeqq. 767.
Prorogatio. 342.

Pro-

Protocollum. 464.
Proviſio Beneficialis. 640.
Provocatio ad Divinum tribunal. II. 753.
Puberes & Pubertas. 313. 317. 702. ſeq.
Publicatio atteſtationum. I. 453.
Pueri. II. 702. quomodo puniendi. 703.
An obligentur Legibus. I. 71.
Pupillus. 248. 250.
Purgatio Canonica. II. 748.
Vulgaris. 750.
Purificatio poſt partum. I. 215.

Q.

Qualitates Ordinandorum. 162.
Promovendorum ad Beneficia. 171.
Quarta Decimarum II. 144.
Quaſi-contractus. 25.
Quaſi delictum. 763.
Querela inofficioſi. 82. 94.
Quitantia ſeu quietantia. I. 465.

R.

Ratiocinia. 185.
Rationum libri 472.
Rapina. Raptores. II. 657. 659.
Raptus. 350. 640.
Ratihabitio. 326. 500.
Receptitia bona. 487.
Reconventio. I. 354.
Recuſatio Juramenti calum. 364.
Judicis. 586.
Reditus Beneficiales. II. 33. 36.
Regalia. I. 545.
Regiſtra. 466. 472.
Regula de viginti. 659.
De Triennali poſſeſſore. 657.
Regulæ Cancellariæ. 27.
Regulæ Juris. 820. 824.
Regularium privilegia. 739.
Relatio. I. 587.
Relaxatio Juramenti. 496. 498.

Relevium. 772.
Religio, & ſtatus Religioſus. II. 148.
Religioſi, vel Regulares. *ibid* I. 309. ſeqq.
Reliquiæ Sanctorum, I. 209.
Remiſſio contrahentis, & delinquentis. 337. 339.
Remiſſiones. V. Indulgentiæ.
Renuntiatio. I. 145.
Replicatio. 505.
Repudiatio hæreditatis & legati. 695.
Repudium uxoris. II. 411.
Res mobiles &c. I. 689. 551. Vitioſæ. 563.
Res Judicata. 573. 578.
Rei ſitæ forum. 329. 340.
Reſcriptum. 84. ſeqq.
Reſervatio caſuum II. 787. ſeqq.
Beneficiorum. I. 643.
Reſidentia. Reſidere. 617. ſeqq.
Reſtitutio in integrum. 284. ſeqq.
Reſtitutio ſimoniacè acceptorum. II. 553.
Reſtrictio mentalis. I. 430.
Retorſio injuriæ. II. 760.
Retractus. I. 737.
Retrovenditio. 716.
Reviſio. 597.
Reus. 297.
Rota Romana. 27.
Rubrica. 22.

S.

Sacerdotium. 153. 158.
Sacramentalia. II. 209. 527.
Sacramentum. I. 178.
Sacrificium. 152. II. 203.
Sacrilegium. 519. 640. 658.
Sacriſta. I. 196.
Sævities conjugis. II. 481.
Sagittarii. 235.
Salvianum interdictum. 8.
Sancti. 210.
Sarraceni. 562.
Schiſma. 592.

Scientia Juris alieni an obsit bonæ fidei. I. 544
Scrutatores, Scrutinium, 126.
Sedes vacans, 673.
Senatus-consultum Macedon. II. 692.
Senatus-consultum Vellejanum. II.
Sententia Judicis. I. 572. seqq.
Fundata in falsa præsumptione. 580.
Sententiæ nullitas. 574.
Sepultura sacra II. 109. 634. &c.
Sequester. Sequestrum. I. 419.
Servitus quando præscribatur &c. 529. 558.
Servus. I. 183.
Sextus Decretalium. 18.
Sigillum. 464. II. 50.
Simovia. 519. seqq.
Ejus pœnæ. 548.
Judex dispensans. 554.
Sodomia. 646.
Solennitas alienationis. I. 692.
Postulationis, & Electionis. 110. 126.
Confectionis Instrumentorum. 469.
Testamentorum, II. 49. seqq.
Solutio. 15. seqq.
Indebiti. 24.
Sortes, & sortilegium. 696.
Spoliatus, Spolium. I. 398. seqq.
Sponsa, & sponsus. II. 268. seqq. 338.
Sponsalia de futuro. 240. seqq.
Conditionata. 255.
Gravi metu extorta. 251.
Catholici cum hæretica. 262.
Quomodo solvantur. 267.
Sponsalia de præsenti. 348.
Sponsis quid liceat. 656.
Sportulæ. I. 238.
Statutum. 38.
An usuras faciat licitas. 675.
Steuræ, 194. 232.
Stipes in consang. & affinit. 407. 423.
Studiosi. I. 321.
Stuprum. II. 639.

Sub

Subditus quo modo quis fiat, I, 160. 329. seqq.
Subreptio. 87.
Subscriptio Capituli. 683. 692.
Testium Testamenti. II. 50.
Substitutio. 69. seqq.
Successio ab intestato. 100.
In Feudo. I. 775.
In Emphytevsi. 752.
Successor in Prælatura &c. II. 19.
Locatoris rerum. I. 746.
Suffragia in Electione. 116. 126. seq.
Supplicatio. 597.
Suspensio. II. 809.
Sustentatio Beneficiatorum. 34.
Syndicus. I. 273.
Synodaticum. II. 194. 396.

T.

Tactus impudici. 653.
Tempora Ordinationum. I. 165.
Tempus Præscriptionis. 527. 551. seqq.
Immemoriale. 527.
Consuetudinis. 103.
Solutionis. II. 25.
Tempus faciatum. 287. 438. 440.
Testamentum. 47. seqq.
Solenne. 48. seqq.
Privilegiatum. 49. 60. seqq.
Clericorum. 51. 77.
Testamenti resolutio. 93.
Testes qui esse possint. I. 443. seqq.
In Matrimonio II. 330.
In Testamento. 49. 54.
Testium productio, & receptio. I. 447. 452. seq.
Vis probandi. 54. seqq.
Juramentum. 450.
Reprobatio. 458.
Coactio. 460. seq.
Titulus ad præscribendum. 525. 547.
Ad acquirendum dominium. 391.
Titulus Mensæ 164.

Tonſura prima eſt Ordo. 154. ſeqq.
Torneamenta. II. 635. Tortura. 510.
Traditio. 390. 727. Transactio. 261. ſeqq.
Translatio Epiſcoporum. 141.
Tranſſumptum. 464. 469.
Trebellianica. II. 92. Treuga I. 241.
Tributa. II. 193. 232. Trinitas Summa. 31.
Tridentinum. I. 23. Turpi de cauſa pactum. II. 707.

V.

Vacatio Beneficiorum. 668.
Vacatio. Sedis. 673. Vagi. I. 74. I. 332.
Variatio præſentationis II. 188.
Vaſallus. II. 767. 780. Vectigalia. II. 233.
Venatio. 705. ſeqq.
Venditio. Venditor. I. 112. ſeqq. 726.
Veneficium. II. 698.
Veneratio Sanctorum & Reliq. 210.
Verba turpia. 651. Veſtes ſacræ. 199.
Vetitum Eccleſiæ. II. 287. 438. ſeq.
Vicaria, Vicarius. I. 629. 198. ſeqq.
Vicarius Generalis Epiſcopi. 199.
Capituli. 203.
Violatio. Violatores Eccleſiarum. II. 658. 661.
Vis. I. 275 privata & publica. II. 658.
Viſitatio Eccleſiar. &c. 197. Vitiati corpore. I. 186.
Vitium contra naturam. II. 646.
Vitium litigioſi. I. 417.
Vitium rei venditæ. 727. 733.
Unctio ſacra. 176. Unio Beneficiorum. 636.
Voluntas ultima. II. 47. 74.
Vota Religioſa. 165. 173. ſeqq.
Vota Matrimonio obſtantia. 364. ſeqq.
Pontifici reſervata. 166.
Votum, & voti redemptio. 162. ſeqq. 169.
Votum, Vox activa & paſſiva. I. 113.
Vota *majora*. 128. 682.
Votum ſolenne Ordinibus annexum. II. 365.
Uſucapio. vel Præſcriptio. I. 513.
Uſura. II. 670. ſeqq. Uſurarius. 691.
Uſus. Uſusfructus. I. 529. 558. 768.
Uxor adultera ad quid teneatur. II. 643.

PICHLER
CANDIDAT
ABBREVIATUS
PARS. II.

Th
4839

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN